


ELEMENTA
THEOLOGIAE PRACTICAE
AD USUM STUDIOSAE JUVENTUTIS.

TOMUS QUARTUS

Complectens Tractatus de Sacramentis.



NEAPOLI
Excudebat Publica Auctoritate
JOSEPH ANTONIUS ELIA.

MDCCLXIX.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAP. I.

De Natura Sacramentorum Novae Legis.

SACRAMENTI nomen a *sacro* derivari notissimum est. Aliter apud veteres Romanos ac profanos, aliter apud Sacros & Ecclesiasticos Scriptores usurpatum reperitur. Apud primos significat vel pecuniam in loco sacro depositam, ut qui caussa caderet, eam amitte-

ret aerario publico applicandam, uti videre est apud *Varronem lib. IV. de L. L.* vel omne religiosum juramentum, seu quod juramento affirmatum est: qua significatione usurpatur etiam in Jure Canonico & Civili, *Can.* Sacramentum *causs.* 2. *q.* 4. *Leg.* 2. *Cod.* Si adversus venditorem. Apud secundos vero Sacramentum idem est ac apud Graecos *Mysterium*, hoc est sacrum secretum, ut constat ex sacris Literis. *Danielis II.* 19. *Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est*. Et infra *vers.* 30. *Mihi Sacramentum hoc revelatum est*, videlicet quid Statua Nabuchodonosor significaret. Hinc factum est, ut Sacramentum vocarentur res & verba, occultum quid divinum ac supernaturale, quo quis Deo sacratur, significantia. Ita *Bellarminus lib. II. de Sacram. cap.*8. De Sacramento hac posteriore significatione sumto agendum hic erit.

§. I.
De Definitione Sacramenti.

Nota I. Signum ab *Augustino lib. II. de Doctr. Christ. cap.* 1. his verbis definitur: *Est res praeter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud, ex se faciens in cognitionem venire*. Viso vestigio, quod terrae impressum intuemur, transisse aliquem, cujus vestigium est, inferimus: & viso fu-

fumo, ignem adesse intelligimus. Rursus signum aliud naturale, aliud a voluntate institutum, quod *signum ad placitum* nuncupari solet. Signa autem alia ab hominibus, alia a Deo instituta sunt: horum aliqua *speculativa*, aliqua *practica* vocantur. Speculativa dicuntur illa, quae significandi duntaxat vim habent: ut Iris, de qua *Genes. IX.* Deus dicit: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum foederis inter me, & inter terram*. Practica dicuntur, quae ex divina institutione aliquid significant, & simul efficiunt.

Nota II. Sacramenta signa sunt ex divina institutione. Quorum aliqua pro statu Veteris Legis Judaeis Moysis ministerio data fuerunt; ut Agnus Paschalis, circumcisio, consecratio Sacerdotum, expiationes, & lustrationes: aliqua a Christo instituta Evangelicae Legis Sacramenta dicuntur.

Prop. I.

Sacramentum generice sumtum, est signum sensibile gratiae sanctificantis, permanenter a Deo institutum.

Probatur simul, & explicatur propositio. Dicitur 1. *signum sensibile*, hoc est corporis sensibus perceptibile. *Si enim incorporeus esses*, inquit *S. Chrysostomus Homil. cap.* 1. *nude ipsa dona incorporea tibi tradidisset. Sed quia corpori conjuncta est anima tua, ideo rebus sensibilibus tibi* in-

intelligenda traduntur.

Dicitur 2. *gratiae ſanctificantis*. Quia hominis ſanctificatio eſt finis per ſe & directe intentus a Deo in Sacramenti inſtitutione. Ipſa ſiquidem Moſaicae Legis Sacramenta, de quibus lis potior, inſtituta ſunt, ut primario gratiam in ſuſcipiente parerent, ſaltem ex opere operantis, ut clarius infra explicabitur.

Hinc breviter nota diſcrimen inter ſacrificium, & Sacramentum. Sacrificia tum Veteris, tum Novae Legis licet ſacra ſigna ſint inviſibilis gratiae per Chriſtum conferenda, teſte *Auguſtino lib. X. de Civit. cap.* 5. tamen proprie ſacramenta non ſunt; quia per ſe, ac directe ad Dei ſupremam excellentiam conteſtandam, non ad homines ſanctificandos inſtituta fuere.

Dicitur 3. *permanenter*, ideſt firma & ſtabili lege. Sacramentum enim cum ſit inſtitutum ad Deum colendum, & Dei populum ſanctificandum, & conſequenter ad hunc ab aliis nationibus infidelibus diſtinguendum, fieri non poteſt ſigno tranſeunte, nec pro aliquo ſtatu durante.

Hinc linguae igneae, quae die Pentecoſtes apparuerunt: item inſufflatio Chriſti in Apoſtolos *Joannis XX.* licet ſigna fuerint gratiae ad hominis ſanctificationem; tamen proprie ſacramenta cenſeri non debent, cum fuerint ſigna mere tranſeuntia.

Di-

Dicitur 4. *a Deo institutum*. Signum enim gratiae ab eo solo institui potest, qui gratiam exterioribus instrumentis adnectere valet. Atqui Deus solus &c.

Prop. II.

Sacramentum Novae Legis est signum sensibile, permanenter a Christo institutum, ad significandam & producendam gratiam ex opere operato.

Prob. Dicitur, *signum sensibile permanenter institutum*. Per eas quippe voces convenit cum Sacramentis Mosaicae Legis; per ceteras vero voces ab iisdem discrepat. Nam 1. Sacramenta Novae Legis, quae Ecclesiae sunt columnae septem, ab eo qui Ecclesiam fundavit, sunt constituta. *Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* ait *Ambrosius lib. IV. de Sacr. cap.* 4. 2. Quia gratiam, quam significant, continent ac caussant, & consequenter sunt signa practica gratiae sanctificantis.

Hinc colliges, essentiale discrimen inter Veteris, & Novae Legis Sacramenta in eo potissimum esse, quod nova spiritualem gratiam non tantum significant, sed ex vi institutionis suae certo operantur; vetera vero gratiam spiritualem significant tantum, non item ex vi institutionis suae operantur. *Sacramenta Novae Legis*, docet *Eugenius IV.* in decreto, *multum differunt a Sacramentis Veteris Legis. Illa enim*

non caussabant gratiam, sed illam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; haec vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Vide etiam *Tridentinum sess. VII. Can.* 7. & 8.

§. II.
De Necessitate, & Numero Sacramentorum.

Nota, necessaria ad salutem alia dici talia *necessitate medii*, alia *necessitate praecepti*. Sunt necessaria necessitate medii, quorum exsecutio ita est ad salutem necessaria, ut sine illis salus obtineri non possit, etiamsi ob ignorantiam, vel impotentiam omittatur. Sunt vero necessaria necessitate praecepti, quando non tam ipsa opera praecepta, quam eorum exsecutio est necessaria ad salutem; ita ut si ob ignorantiam, vel impotentiam ab exsecutione praecepta excuseris, non proinde salutem amittas.

Prop. I.

Novae Legis Sacramenta sunt septem, non plura, nec pauciora, videlicet Baptismus &c.

Prob. ex *Trid. sess. VI. Can.* 1. *Si quis dixerit, Sacramenta Novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptisma &c. aut etiam aliquid horum septem non esse vere* &

& proprie Sacramentum, anathema sit.

Prop. II.

Sacramenta a Christo Domino instituta, sunt necessaria ad salutem necessitate tum praecepti, tum medii, licet non omnia singulis.

Prob. ex *Tridentino sess. VII. Can.* 4. *Si quis dixerit sacramenta Novae Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.* Baptismus enim omnibus necessitate medii necessarius est in re, vel in voto. Illis vero qui gratiam regenerationis per Baptismum obtentam, mortaliter peccantes amittunt, necessarium est Sacramentum poenitentiae necessitate medii in re, vel in voto. Et de Baptismo quidem inquit Christus *Joan.III. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* De Poenitentia vero ait *Lucae XIII. Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. *Mortuorum* Sacramenta haec duo vocantur, quod vitam spiritualem per peccatum aut originale, aut actuale amissam restituant. Alia Sacramenta *vivorum* nuncupantur, quia vitam spiritualem in anima vigente exigunt, & ad gratiam augendam, vitamque divinam roborandam, nutriendam, augendamque instituta sunt:

Ut Confirmatio, Euchariſtia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Haec neceſſaria ſunt neceſſitate praecepti affirmativi, tempore, & circumſtantiis determinatis obligantis. Duo ultima neceſſaria ſunt in Eccleſia, ut Ordo ad miniſtrorum conſecrationem, Matrimonium ad fidelium propagationem.

§. III.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

Nota I. *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur: videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum*, ex *Florentino* in Decreto *Eugenii*, & conſtat etiam ex traditione, & perpetua praxi Eccleſiae.

Nota II. Quod Patres dixerunt, Sacramenta conſtare rebus, & verbis, Scholaſtici explicarunt nominibus *materiae*, & *formae*: quae nomina tanquam rei ſacramentariae explicandae accommodata adoptavit tam Eccleſia Latina, ut patet ex Concilio *Florentino*, quam Graeca: & conſtat ex capitulo VII. *Jeremiae* Patriarchae Conſtantinopolitani ad Theologos Wittembergenſes.

No-

Nota III. Materia Sacramenti dicitur illud omne, quod in Sacramento minus perfecte significat ejus effectum; unde indiget ut ab alio ad id determinetur. Duplex est, *remota*, & *proxima*. Materia remota dicitur res illa, quae adhibetur: ut aqua in Baptismo. Proxima est usus, seu applicatio ejus rei: ut ablutio.

Nota IV. Forma Sacramenti dicitur illud omne, quod clarius effectus Sacramenti indicat, & determinat, ac perficit significationem materiae obscuram, nec satis determinatam. Verba autem stricte sumta, seu vocalia, sunt forma essentialis in omnibus Sacramentis, saltem praeter matrimonium, quod juxta eos, qui in mutua partium consensione matrimonii formam reponunt, potest perfici sine benedictione Sacerdotis, sed aliquo externo signo mutuum consensum exprimente.

Nota V. Materia mutari potest vel *substantialiter*, cum ex communi usu & aestimatione non est eadem re & nomine cum illa, quam Christus instituit: vel *accidentaliter*, cum etsi adhibeatur quidem materia instituta a Christo, non adhibetur tamen qualis praecipitur ab Ecclesia. Ut si quis baptizaret quidem in aqua naturali, sed non benedicta, vel caenosa. Vide *Croix num.* 20. 21. Pari ratione mutatur forma substantialiter, cum idem non remanet verborum sensus a

Christo institutus; accidentaliter vero, cum idem manet.

Nota VI. In Sacramentorum administratione materia proxima, videlicet ablutio, unctio &c. ita debet cum forma concurrere, ut verba censeantur cadere super materiam, & unum totale signum constituant, quem *concursum* Theologi appellant, *coëxistentiam*, sive *simultatem materiae cum forma*. Quidam putarunt physice debere materiam cum forma consistere, id est, ut eodem temporis momento quo pronunciantur verba, simul materia applicetur; ita ut si infans extractus sit ex aqua, cum ultimum verbum profertur, non valere Baptisma affirment. Haec est sententia *Glossae* in *cap.* Detrahe *caus.* 1. Alii cum *Scoto* docent, necessarium esse, ut materia & forma saltem secundum aliquam sui partem concurrant; ideoque irritum esse Sacramentum E. G. baptismi, si post factam ablutionem, statim subsequatur pronunciatio formae, vel pronunciatâ formâ mox sequatur ablutio.

Communis vero sententia tenet, satis esse ad valorem sacramenti, si moraliter, idest secundum humanum agendi & loquendi morem concurrant actio ministri, & proxima materia, videlicet ablutio, unctio &c. sicuti in simili vere dicere censetur, *ego bibo*, qui poculum in manum capit, statim illud ori applicaturus bibendi causâ. Unde in-

inferunt non inficiari Sacramentum, si facta E. G. ablutione, statim pronuncietur forma, vel recitatâ formâ statim subsequatur materiae applicatio. His positis,

Prop. I.

Mutatio substantialis materiae vel formae sacramentum destruit, non accidentalis.

Prob. 1. pars. Qui substantialiter variat materiam, aut formam a Christo praescriptam, variat ipsam Christi Domini institutionem, & ejusdem Sacramenti substantiam. Ergo illud destruit.

Prob. 2. pars. Mutatio eo ipso, quod est mere accidentalis, non variat Christi institutionem, nec Sacramenti substantiam. Ergo illud non destruit.

Cavendum tamen, accidentalem videri posse, quae mutatio sit substantialis theologice, & relative ad institutionem Christi. Nam qui pro aqua utitur nive in Baptismo, vel massa cruda ad Eucharistiam: item qui in Baptismo dicit: *Ego te baptizor;* vel in Poenitentia: *Ego te absolve*, quamvis physice mutet materias & formas tantum accidentaliter, theologice tamen mutat substantialiter, nec conficit sacramentum.

Longe facilius obrepit mutatio in formam, eaque sex praecipuis modis, nimirum detractione, vel additione alicujus vocis; positione unius vocis loco alte-

terius; corruptione alicujus, detrahendo vel mutando aliquam syllabam; transpositione, & interruptione, pronunciando scilicet unam partem formae, & deinde quiescendo per aliquod tempus, vel loquendo aliquid aliud, & demum perficiendo formae prolationem. Quoties igitur aliquo ex modis istis ita mutantur verba, ut pereat sensus a Christo intentus, mutatur substantialiter forma: secus si hic sensus maneat. Sed haec paullo fusius explicanda sunt, ut mutationum regulae altius percipiantur.

I. Itaque forma mutatur verbi alicujus *subtractione:* eaque subtractio sacramentum perimit, vel non, prout sensum perimit, vel conservat. Unde si quis in Baptismo demat vocem *baptizo*, vel *te*, non stabit baptismus: sicut nec poenitentia, si dicat solum *absolvo;* quia Baptismus, & absolutio ordinantur ad subjectum certum, cui materia, vel forma applicari debet. Si vero in Baptismo dematur solum vox *ego*, vel in Consecratione particula *enim*, nihil utrique Sacramento obest; quia formae sensus integer subsistit.

II. Mutatur forma *additione* extranei verbi unius, vel multiplicis; & tunc valet, aut deficit Sacramentum, prout additio debitum sensum servat, aut corrumpit. Unde nihil conficies, si dicas cum Arianis: *In nomine Patris majoris, & Filii minoris &c.* quia sic tollitur persona-
rum

rum aequalitas, & fides Ecclesiae, in qua dantur Sacramenta. Idem erit, si dixeris: *In nomine Patris, & B. Mariae, & Filii &c.* quia sic conferri videtur Baptismus in nomine creaturae, perinde ac in nomine Trinitatis.

De Baptismo sub hac formula collato: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Virginis*, statuit *S. Thomas* illud invalidum esse, si sic intelligatur in nomine B. Virginis conferri, sicut in nomine Trinitatis; quia talis sensus esset contrarius verae fidei: validum vero, si sic intelligatur, non quasi nomen B. Virginis aliquid operetur in Baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem. Haec opinio quam tenent plures, practice probabilis videtur. Si cui tamen, ut *Tournellynio*, videatur haec dubia, repetat is talem baptismum sub conditione. Profecto peccaret graviter, qui hoc baptizaret modo, nisi ignorantia, vel bona fides excusaret.

Per contrariam rationem non perimitur forma additione accidentali. Unde valide quis baptizaret, *In nomine Patris Omnipotentis, Filii ejus Unigeniti, & Spiritus Paracliti*. Item si post ultima verba formae haec addat: *& B. Virgo te adjuvet*. Idem est, si quis his consecret verbis: *Hoc est corpus meum sanctum*, vel

pro humano genere crucifixum: secus, si hae mutatur formula : *Hoc est Corpus meum aëreum*; quia vox *aëreum* propriam a voce *corpus* amovet significationem , quam intendit Christus, saltem si adjungatur formae tanquam determinativa ejus ; ita ut ex primaria loquentis intentione , praecedentia verba per subsequentia restringantur. Et sane licet certum sit, nullo prorsus interiore errore violari veritatem sacramenti ritu legitimo celebrati, secundum illud *Augustini lib. IV. de Baptis. cap.* 15. *Ad Baptismum qui verbis evangelicis consecratur, non pertinet cujusquam vel dantis, vel recipientis error*: constat tamen non perfici Sacramentum a ministro, qui errorem, vel alienum ritum inducere vult ; cum ex hac prava intentione sensus formae ex ambiguo determinatur ad sensum Ecclesiae sensui contrarium. Hinc consultus *Zacharias* Papa *dist. IV. de Consec. can.* 86. de Sacerdote qui latini eloquii plane nescius, infringens linguam, dicebat: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*, respondit: *Si ille qui baptizavit , non errorem introducens, aut haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis sic dixerit, non possumus consentire, ut denuo baptizetur.*

Quid si minister erret circa termini sacramentalis significationem: puta si falso existimet voculam hic *in consecratione Cali-*

licis esse adverbium locale ?

Censet *Lugo* nihil hinc deperire consecrationi: quia minister, qui supponitur veram habere intentionem faciendi quod instituit Christus, vult significare quod Christus significari voluit, etiamsi illud male concipiat.

III. Mutatur forma *variatione* vocum. Si enim voces varientur tantum quoad idioma, stabit Sacramentum. Unde valet Baptisma, seu latino, seu vernaculo sermone ejus forma proferatur. Imo si quis latine loqui nesciat, vel male loquatur, satius erit juxta *S. Antoninum*, ut patrio idiomate baptizet, nisi solemniter baptizet. Stabit etiam Sacramentum, si pro voce adhiberi solita, vox usurpetur synonima. Unde si quis pro *absolvo te*, dicat, *remitto tibi peccata tua ;* vel pro *hoc est &c. Istud est corpus meum*, sacramentum perficitur. Idem est juxta *S. Antoninum*, si pro *baptizo*, vel *absolvo te*, dicatur, *baptizo*, vel *absolvo vos*, vel *majestatem vestram*.

At vero mutatio, quae tollit sensum, tollit rationem Sacramenti. Hinc si quis in Poenitentia dicat: *Abluo te a peccatis;* in baptismate: *Mundo te ab originali peccato*, nihil conficiet, quia mutatur principalis formarum significatio. Abluere enim a peccatis, non exprimit sententiam judicialem, quae a ministro proferri debet:

bet : mundare ab originali noxa , non exhibet modum ablutionis . Nam mundari quis poteſt , nec mundari per ablutionem .

IV. Mutatur forma *tranſpoſitione* verborum , quae cum ſenſum aufert , Sacramentum tollit, alias non. Unde valet Baptiſmus ſub hac datus forma : *In nomine Patris &c. baptizo te*. Valet & haec Euchariſtiae conſecratio : *Hoc eſt meum corpus*, non iſta: *meum eſt hoc corpus*; quia prima dicendi ratio ſenſum ſervat, ſecunda nequaquam . Qui enim dicit : *Meum eſt hoc corpus*, indicat tantum corpus Chriſti ad Chriſtum pertinere; qui vero dicit: *Hoc eſt corpus meum* , indicat id , quod nondum eſt corpus Chriſti , fieri Chriſti corpus ; unde vox *hoc* confuſe indicat aliquid, quod ex pane efficitur corpus.

V. Mutatur forma *corruptione* terminorum , quae ſi tanta ſit , ut verborum ſenſum deſtruat, cadet Sacramentum. Ut ſi quis dicat: *Baptizo te in nomine Matris*. Si autem corruptio, etſi gravis , relative ad vim , quam termini primitus habent , non noceat uſuali eorum ſignificationi , non deſinet Sacramentum perfici , ut patet de Baptiſmo *in nomine Patria, & Filia &c.*

VI. Mutari poteſt formae ſenſus per *interruptionem* , qua tollitur moralis continuitas actus, & intercipitur intentio mini-

nistri. Unde si quis post prolata haec verba: *Ego te baptizo in nomine Patris*, ad aliud se convertat tamdiu, ut posteriora verba cum prioribus moraliter non connectantur, Sacramentum efficiet tanto incertius, quanto fuerit prolixior mora; secus si tussiat, sternutet, silentium imperet.

Prop. II.

Qui facit mutationem substantialem sive in materia, sive in forma, per se loquendo, peccat mortaliter.

Prob. Gravem Sacramento injuriam, & grave suscipienti damnum infert, qui substantialiter formam, aut materiam immutat, cum utraque necessaria sit necessitate Sacramenti. Ergo graviter peccat, 1. contra religionem, pervertendo Sacramenti institutionem: 2. contra caritatem, voluntarie privando proximum gravi bono spirituali.

Dixi, *per se loquendo*. Nam posset a letali culpa excusari laicus, qui necessitate urgente baptizans, aliquo modo in materia, vel forma deficeret. Obstetrices vero instructae sint oportet in iis, quae ad praescriptam verborum formam in baptismo conferendo necessaria sunt.

Prop. III.

Qui facit mutationem accidentalem, si haec sit notabilis, adhuc peccat mortaliter; si non sit notabilis, ad summum peccat venialiter.

Prob.

Prob. Quia fieri poteſt, ut mutatio accidentalis, attentis conſuetudine, Eccleſiae praecepto, Sacramenti dignitate, circumſtantiarum natura &c. gravem quandoque, quandoque levem deordinationem importet. Atque hinc peccat letaliter 1. qui in Eccleſia Latina pro conſecratione utitur pane fermentato, vel forma Graeca: 2. qui in conſecratione Calicis haec omittit verba: *Novi, & aeterni teſtamenti*: 3. qui formam dicit lingua vulgari: 4. qui parum aquae non immiſcet conſecrando vino; leviter vero ſecluſo ſcandalo & contemtu peccaret juxta aliquos, qui *ego* in forma Baptiſmi, *enim* a forma conſecrationis tolleret &c.

Dixi, *ad ſummum*. Nam poterit ſimpliciter non peccare, ſi ſcilicet mutatio accidentalis non ſit contra praeceptum Eccleſiae, ſed ſolum praeter uſum communiorem Eccleſiae. Ut ſi quis tempore hyemali baptizaret in aqua tepefacta tantum manu propria, ne noceret infanti.

Prop. IV.

Graviter peccat, qui extra neceſſitatem Sacramentum conficit in materia, vel forma dubia aut probabili.

Prob. Qui in adminiſtratione Sacramenti utitur materia vel forma dubia, aut probabili, Sacramentum exponit periculo nullitatis: cum valor, & efficacia Sacramenti non pendeat ab opinione homi-

minum, sed a Christi institutione. Ergo graviter peccat &c.

Prob. Consequentia. In moralibus facere, & exponere se periculo faciendi aliquid contra legem, idem censetur. Ergo eodem modo peccat, qui voluntarie facit Sacramentum nullum, atque ille qui Sacramentum exponit periculo nullitatis. Hinc peccat 1. contra religionem, quia agit contra reverentiam Sacramentis debitam: 2. contra caritatem, nam sine justa caussa exponit proximum periculo carendi gratia sacramentali, qua indiget; cum possit illi talem gratiam certo conferre: 3. contra justitiam; si ex officio Sacramenta administrare tenetur, vel ad ea administranda se ingerit.

Hinc *Innocentius XI.* damnavit hanc propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, consuetudo, vel periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Prop. V.

Graviter peccat suscipiens, si sequatur opinionem tantum probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.

Prob. Ex dictis non licet ministrare Sacramenta cum opinione minus tuta de eo-

eorum valore, quia Sacramentum exponitur periculo fruſtrationis ; & idcirco ſic adminiſtrans graviter peccat contra religionem . Atqui eodem modo exponitur periculo nullitatis Sacramentum , ſi adhibeatur opinio minus tuta in conferendo , quam in ſuſcipiendo. Ergo utrumque eſt illicitum ; & graviter quidem contra religionem. Quinimo ſententia aſſerens, licitum eſſe in ſuſceptione Sacramenti ſequi opinionem minus tutam de valore ejus , implicite videtur proſcripta in theſi, quam ſupra retulimus.

Prop. VI.

Tenemur in neceſſitate extrema proximi , illi adminiſtrare Sacramentum cum materia vel diſpoſitione probabili tantum , vel etiam dubia , dum certa haberi non poteſt.

Prob. Lex caritatis praecipit , ut in extrema proximi neceſſitate , ei opitulemur meliore modo , quo poſſumus . Sed medium probabile vel dubium melius eſt nullo . Ergo &c. Nec tunc fit injuria Sacramento, cum ſacramenta pro hominum ſalute ſint inſtituta, non homines propter Sacramenta. Hinc puero morituro , deficiente aquâ limpidâ , poterit aquâ alio liquore vitiatâ baptiſmus miniſtrari. Fideli animam agenti, & nutu aliove ſigno poenitentiam petenti, abſolutionis beneficium a Sacerdote impertiri poteſt; quamvis pieta-

tatis operibus suam non probaverit contritionem.

Monitum. Haec assertio locum habet duntaxat in Sacramentis, quae sunt de necessitate medii, in Baptismo scilicet, & Poenitentia. Quia non licet Sacramentum ullum exponere periculo nullitatis, ne homo damnationis aeternae periculo exponatur. Hinc nunquam licet adhibere materiam dubiam in Eucharistia, Ordine &c.

Prop. VII.

Ad valorem Sacramenti sufficit moralis coëxsistentia, seu simultas materiae & formae, quae tamen non sit eadem in omnibus.

Prob. 1. pars. Sacramentum est quoddam compositum morale, conficiendum ab hominibus. Ergo sufficit ut partes hujus compositi moraliter inter se coëxsistant, & humano more. Non enim credibile est, Christum Sacramenta ad moralem hominum vitam accommodata, metaphysico rigore adstringere voluisse.

Prob. 2. pars. Major unio requiritur in Eucharistia; quia pronomina *hoc* & *hic*, quae in consecrationis forma occurrunt, verificari non possunt, nisi materia sit physice praesens: major requiritur in Baptismo, Confirmatione, Ordine, & Extrema Unctione, quam in Poenitentia, & Matrimonio. In Baptismo enim &c. si quis abluerit, & post unum *Pater*, vel *Ave* di-

dicat: *abluo te*, mentiri censebitur; quia verbum *abluo* rem praesentem, aut quasi praesentem exigit, ut verificetur. Non tam strictam unionem exigunt Sacramenta poenitentiae, & matrimonii; nam hoc innititur per modum contractus, illud institutum fuit per modum judicii, ut suo loco videbimus.

CAP. II.

De Ministro Sacramentorum.

HOc nomine intelligitur idoneus effector Sacramenti. Constat 1. de lege ordinaria, & ex Christi institutione, esse solum hominem viatorem. Solis enim hominibus dictum est *Matthaei XXVIII. Docete omnes gentes, baptizantes eos. Joannis XX. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Lucae XXII. Hoc facite in meam commemorationem.*

Dixi, *de lege ordinaria &c.* Quia dubium non est, quin Deus possit virtutem suam Angelis, & animabus separatis tribuere. Sed haec extraordinaria sunt. Vide *D. Thomam 3. part. q. 64. art. 4.* Constat 2. non quemlibet hominem esse cujusvis sacramenti ministrum. Id enim expresse definitum fuit a *Tridentino* pluribus

ribus in locis, & potissimum *sess. VII. can. 16. de Sacramentis*. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis potestatem habere, anathema sit*. Quinam vero sit cujusque Sacramenti minister, commodius suis locis explicabitur.

§. I.

De Intentione requisita in Ministro ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.

Intentio est *actus liber voluntatis, qua quis se determinat ad aliquid faciendum.* Unde differt ab attentione, quae actus animi est ad aliquid se applicantis.

Intentio multipliciter dividitur. I. In *actualem*, *virtualem*, *habitualem*, & *interpretativam*. Actualis est, qua quis actu aliquid intendit, seu vult aliquid facere. Virtualis est, quae promanat ab actuali prius habita, nec retractata, & moraliter perseverante in aliquo opere, seu in aliqua serie actionum, inchoata vi illius intentionis actu aliquando habitae. Ut si quis Altare adierit animo consecrandi, & mente in decursu distracta, consecrationis formam quasi mechanice pronunciet. Habitualis est intentio aliquando habita, & nunquam retractata. Interpretativa, quae nec actu est, nec unquam fuit; animus ta-

tamen operantis est ita dispositus, ut eam haberet, si de ea cogitaret.

Dividitur II. in *absolutam*, & *conditionatam*. Absoluta est, qua quis intendit aliquid independenter a quocunque eventu. Conditionata, qua quis aliquid vult dependenter ab aliqua conditione.

Dividitur III. in *directam*, & *indirectam*. Directa est, qua quis vult aliquem effectum in se ipso. Indirecta, qua quis vult effectum in caussa. Sic si quis inebrietur, praevidens se in ebrietate commissurum homicidium, dicitur directe velle ebrietatem, indirecte homicidium. His positis, sit

Prop. I.

Ad valorem Sacramenti ex parte Ministri requiritur vera ac sincera intentio faciendi quod facit Ecclesia.

Prob. I. ex *Tridentino sess. VII. Can.* 9. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit*. Idem docuit *Eugenius* in Decreto supra laud. ubi ad validitatem Sacramenti, praeter materiam & formam, requirit in Ministro intentionem seu voluntatem faciendi quod facit Ecclesia.

Prob. II. Ex Christi institutione Sacramentorum Ministri non sunt puri nuncii, & meri exsecutores, sed veri ministri,

ftri, & dispensatores mysteriorum Dei: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, ait *Paulus I. ad Cor. IV.* Ergo humano modo debent uti poteftate fibi data. Atqui humano modo uti poteftate fibi collata, eft libere ea uti, id eft cum intentione & electione relative ad minifterium. Ergo &c. *Dispensatio Sacramentorum* (ait *S.Bonaventura* in *VI. part. Breviloquii de Sacramentorum dispensatione*) *est opus hominis ut rationalis, ut ministri Christi, & ut ministri salutis. Hinc est, quod necesse est, quod fiat ex intentione, qua quis intendat facere quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere quod facit Ecclesia.*

Prop. II.

Ad valorem Sacramenti non requiritur expressa & distincta intentio faciendi sacramentum, sed sufficit confusa & implicita, qua quis intendat facere id quod facit Ecclesia Christi, aut quod Christiani faciunt.

Prob. Noftra propofitio conftat ex praxi Ecclefiae, quae non rebaptizat eos, qui baptizati fuere ab imperitis & rudibus, aut paganis cum debita materia ac forma; licet illi non noverint diftincte, quid fit baptifmus, aut Sacramentum. Ergo &c. Praeterea ea eft intentio faciendi quod facit Ecclefia, quam folum requirunt Concilia. Ergo &c.

Hinc colliges I. ex defectu requisitae intentionis in collatione Sacramentorum non valere Sacramentum mimice, & joculariter collatum, ut sanxit *Tridentina Synodus sess. XIV. can. 9.* contra Lutheranos: *Si quis dixerit, quod Sacerdos non serio, sed joco absolvat .... anathema sit.*

II. Nullum esse Sacramentum serio quidem exterius datum a ministro, qui a nulla extrinseca circumstantia determinatur ad agendum Ecclesiae nomine; licet omnem ritum externum observet, intus vero; & in corde suo, apud se resolvat, *non intendo facere, quod facit Ecclesia.* Assertio isthaec est expresse proscripta ab *Alexandro VIII. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero, in corde suo, apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia.*

III. Disputant Theologi, num valeat Sacramentum collatum a ministro, qui in circumstantiis extrinsecis, postulatione E. G. Sacramenti, serio, & religiose omnem ritum externum a Christo praescriptum observat; interius vero dicat: *nolo Sacramentum conficere.* Valere contendunt cum *Ambrosio Catharino* plures gravissimi Theologi, & merito. Nam intentio ministri necessario requisita ad valorem Sacramenti est inseparabilis a ritu exteriore, serio & religiose collato. Nam minister, qui li-

libere eligit celebrationem ritus in circumstantiis necessario illum determinantibus ad sacram, non profanam caerimoniam, si non explicite, saltem implicite vult facere quod facit Ecclesia. Sed intentio implicita explicitae aequivalet. Ergo &c.

Dices. Intentio isthaec implicita, quae exsurgit ex circumstantiis libere a ministro assumtis, & necessario determinantibus ministri actionem ad ritum sacrum & religiosum, destruitur ab altera expressa & formali ejusdem ministri volitione, qua Sacramentum irridet, & expresse, licet interius, protestatur se nolle facere quod facit Ecclesia. Ergo ritus sacramentalis etiam in hisce circumstantiis celebratus, caret intentione illa a *Tridentino* requisita ad integritatem Sacramenti.

R. Duplex in ministro intus nolente facere quod facit Ecclesia, & extrinsecus serio & religiose celebrante Sacramentum juxta Ecclesiae ritum, voluntas adest. Una *efficax*, altera *inefficax*. Efficax illa quae exit in actum; inefficax, quae nihil exsequitur, & intra mentis cancellos sistit. Prima vera & sincera voluntas, secunda mera velleitas. Prima secundam perimit ac destruit. Atqui voluntas serio ac religiose ritum externum peragendi efficax est; quia exit in actum, & libere exsequitur quod facit Ecclesia, superatque voluntatem interiorem non faciendi quod facit

Ecclesia. Ergo intentio, quae exsurgit ex circumstantiis necessario determinantibus ritum externum ad sacrum & religiosum a contraria & interiore ministri intentione, quae mera velleitas est, non destruitur, sed potius confirmatur, & augetur. Quia non obstante interiore lucta irridendi Sacramentum, facit quod Ecclesia fieri jubet per ministros suos, nempe legitime applicando materiam & formam a Christo praescriptam.

Hinc altum apud antiquos Patres de ulteriore intentione silentium. Sed cum quaestio ageretur de validitate Sacramenti ab Haereticis, Schismaticis, ceterisque impiis ministris collati, de hoc tantum solliciti erant, num Sacramentum legitima materia ac forma rite collatum esset; etsi multas de ulteriore ministri intentione dubitandi rationes habere possent. Rationem reddit *D. Thomas* 3. *part. q.* 64. *art.* 8. *ad* 2. dicens, non debere nos anxios esse de intentione ministri, semper ac constet ritum externum esse legitime peractum; quia *minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cujus est minister: in verbis autem quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem Sacramenti; nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum.*

Q. *Quaenam sint circumstantiae illae, quae*

quae determinant ministrum ad agendum Ecclesiae nomine?

R. Sunt circumstantiae loci, postulationis Sacramenti &c. puta si minister sit in Ecclesia, vel ad confectionem Sacramenti fuerit invitatus. Ita *Catharinus*, *Serry*, *Juveninius*, aliique gravissimi Theologi.

Prop. III.

Intentio Ministri debet esse determinata ad certam materiam, & personam.

Prob. Intentio debet esse efficax, & effectrix sacramenti. At operationes sunt circa singularia, quae sunt determinata. Ergo &c.

Hinc resolves. Si Sacerdos vellet consecrare alteram tantum ex hostiis sibi praesentibus, eam non determinans: si Confessarius vellet absolvere tantum ex poenitentibus sibi jam confessis, illum pariter non determinans; neutra hostia consecraretur, neuter poenitens absolveretur.

Monitum. Necesse non est, ut Sacerdos intentionem restringat ad talem in individuo hostiam, quam ipse apposuit, vel ad talem in individuo personam; sed potius dirigat intentionem ad personam, & ad materiam praesentem, & sibi moraliter approximatam.

Prop. IV.

Intentio indirecta, seu in caussa, non sufficit ad conficiendum Sacramentum.

Prob. Quia hujusmodi confectio Sacramenti dici nequit actio humana , cum non sit facta libere , seu ex deliberatione rationis . Ergo &c. Hinc non valet Baptismus collatus ab ebrio , vel dormiente, quamvis eo in statu praevideat collaturum .

Prop. V.

Intentio sive habitualis , sive interpretativa in Ministro sacramentum conferente non sufficit .

Prob. Quia intentio Ministri debet esse caussa actionis , qua ponitur Sacramentum . Ex vi enim illius debet positio Sacramenti esse actio humana ministri nomine Christi agentis , & prudenter dispensantis mysterium Dei . Sed intentio sive habitualis , sive interpretativa , cum neque in se , neque in sua aliqua virtute exsistat, tunc cum ponitur Sacramentum , non potest ullo modo esse caussa actionis , qua ponitur Sacramentum . Ergo &c.

Objicies . Intentio habitualis sufficit ad applicandum alicujus sacrificium per totum mensis , imo & anni spatium , ut communius docent Theologi . Ergo sufficit ad conficiendum Sacramentum .

R. Neg. Consequentiam . Nam disparitas est, quia applicatio Missae est donatio fructus sacrificii , quae non debet exsistere , nec influere , ut sortiatur effectum suum : confectio vero Sacramenti est actio, quae

quae hîc & nunc pendet ab intentione ministri, propterea virtute saltem debet influere in sacram actionem.

Prop. VI.

Quamvis in Ministro sit sufficientissima intentio actualis; ea tamen non est necessaria, sed sufficit virtualis.

Prob. Intentio virtualis est sufficiens caussa actionis, qua ponitur Sacramentum. Est enim quaedam virtus prioris intentionis imperans, & dirigens exsecutionem ejusdem objecti. Ergo &c. *Si enim in ipso exercitio actus*, inquit *S. Thomas part.* 3. *q.*64. *art.*8. *ad* 3. *cogitatio ministri ad alia rapiatur, virtute primae intentionis perficitur Sacramentum.*

Hinc inferes, Sacerdotem, qui minores hostias consecrandas in Altari reposuit, eas vere consecrasse vi primae intentionis; etsi inter mysteria mens ejus fuerit evagata, nec illarum in ipso consecrationis articulo meminerit.

Monitum. Opus non est expresse, & formaliter dicere ore, aut corde: *intendo hoc facere*. Hujusmodi enim scrupulosae reflexiones, ut notant Doctores, potius devotionem impediunt, animumque perturbant. Sed tantum requiritur, ut homo sit praesens animo, & attente faciat quod facit: ista enim dicitur intentio in actu exercito, ut loquitur *Cajetanus*.

Prop. VII.

Valet Sacramentum collatum ſub conditione de praeterito, aut de praeſenti, ſi purificata ſit conditio.

Prob. Valet Sacramentum collatum abſolute. Atqui in caſu Sacramentum confertur abſolute; nam voluntas conditionalis, poſita conditione, tranſit in abſolutam. Hinc valent Baptiſmus, & Poenitentia ſub his formulis: *Si non es baptizatus, ego te baptizo: Si vivis, ego te abſolvo;* poſito quod infans baptizatus non fuerit, aut poenitens vivat.

Prop. VIII.

Non valet Sacramentum collatum ſub conditione libere futura; niſi forte in matrimonio, de quo alibi.

Prob. Si valeret Sacramentum ſub conditione futura collatum, vel valeret dum materiae applicatur forma, vel cum implebitur conditio. Atqui neutrum dici poteſt: Ergo. Non primum; quia miniſter non habet hîc & nunc abſolute voluntatem conficiendi Sacramentum, ſed quando purificabitur conditio; unde hîc & nunc non facit Sacramentum: Non ſecundum, quia cum implebitur conditio, deſunt materia, & forma. Ergo &c. Non enim eſt in poteſtate miniſtri valorem & effectum Sacramenti ſuſpendere, illumque a materia, & forma ex ſua voluntate dividere. Hinc reſolves non valere abſolutionem datam

tam sub hac conditione E. G. *Si talis res furto abrepta, restituatur ante finem mensis.*

Prop. IX.

Licet Ministro Sacramentis apponere conditionem de praeterito, vel praesenti, si justa caussa adsit.

Prob. Ex praxi Ecclesiae saepe baptizatur infans sub hac conditione: *Si non es baptizatus*, quando prudenter dubitatur de valore baptismi. Ergo &c.

Communiter docent Theologi, iterationem Sacramenti sub conditione, antiquis temporibus, imo usque ad seculum VIII. fuisse inauditam; idque solidissimis argumentis evincit *Concina lib. I. de Sacram. in Gener. cap. 6.* Nam seculo IX. Baptisma in dubio iterandum esse sub conditione praescriptum, primo legitur in Capitularibus *Caroli Magni lib. VI. cap.* 1081. Quod & sanxit seculo XI. *Alexander III. cap.II. de Baptismo*. Seculo XIII. tanquam ritum extra controversiam positum, docuit *D. Thomas 3.part.q.68. art. 7. ad* 2. Verum laudati Canones, & Doctorum placita nonnisi aut de Baptismo loquuntur, aut de Ordine, aut de Confirmatione, quae Sacramenta iterari non possunt. Post *Tridentinum* vero usus formae conditionalis irrepsit in administratione aliorum Sacramentorum. Contra hanc praxim reclamant nonnulli, sed im-

merito ; nam si licet in Baptismo gravi de caussa uti conditione , non video , cur non liceat in ceteris Sacramentis . Hominem inopinato morbo correptum , qui non valet edere aliquod signum , animi contritionem manifestans , absolvi posse sub conditione , nec ipse *Concina* negare audet . Non ideo approbanda est praxis quorundam Confessariorum , qui extra extremae necessitatis casum , quoties dubitant de poenitentis dispositione , sit ne sufficienter contritus , absolvunt sub conditione . Haec praxis quia & antiquis incognita , & rectae Sacramentorum administrationi contraria , rejicienda . Sed de hac re alibi .

Ex communi Theologorum sententia cum Sacramentum datur sub conditione , non opus est ut conditio voce exprimatur. Si tamen baptisma publice conferatur , in casu dubio exprimenda erit conditio in Rituali expressa , ne minister Ecclesiae legi deesse credatur .

§. II.

De Fide & Probitate Ministri Sacramentorum .

Fidem ministri non esse absolute necessariam ad validam Sacramentorum confectionem , constat ex traditione , & consuetudine Ecclesiae perpetua , praesertim Romanae a tempore Apostolorum , quae ne-

neminem unquam rite ab haereticis baptizatum rebaptizavit. Merito igitur *Tridentina Synodus* anathemate damnavit Novatores asserentes, baptisma ab haereticis rite collatum repetendum esse, *Seff. VII. Can.* 4. *Si quis dixerit, baptismum qui datur ab haereticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum, anathema sit.*

Idem de probitate ministri sancitum fuit *Seff. VII. Can.* 12. contra Anabaptistas autumantes, Sacramenti valorem pendere a mala ministri dispositione: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Minister enim Sacramentorum non agit nomine proprio, sed Christi: *Baptisma*, inquit *Augustinus Tract. V. in Joan. tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur: non qualis est ille, per cujus ministerium datur.*

Q. I. *An peccet malus Sacramenti minister?*

Nota I. Aliud est conficere, aliud est ministrare Eucharistiam. Sed in aliis Sacramentis ipsa confectio est simul ministratio.

Nota II. Duplex est minister, alius ex officio seu solemnitatis, qui & *ordinarius* dicitur: alius necessitatis, qui ex-

extraordinarius nuncupari poteſt. Prior Sacramenta conficit, quia ad id ſpeciali conſecratione eſt deputatus: ut Sacerdos Miſſam celebrans, abſolvens a peccatis, & ſolemni ritu baptizans. Poſterior eſt, qui ſine ſpeciali conſecratione Sacramentum Baptiſmi adminiſtrat: ut laicus abſente Sacerdote baptizat infantem.

Prop. I.

Peccat mortaliter, per ſe loquendo, ſaltem qui ex officio Sacramenta in ſtatu peccati mortalis conficit, vel adminiſtrat.

Prob. I. ex Scriptura: *Levitici XXII. Omnis, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quae conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.* Atqui poena tam gravis peccatum grave ſupponit. Quanto ergo deteriora meretur ſupplicia, qui *Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, ad Heb. X.* ut hi faciunt, qui ſancta non tractant ſancte? Hinc Apoſtolus: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem.*

Prob. II. ratione. Miniſter Sacramenti agit nomine Chriſti, cujus principaliter eſt actio illa, qua Sacramentum conficitur; & inſuper merita ejus, & ſanguinem diſpenſat. Atqui gravis irreverentia eſt haec, & tanta praeſtare in ſtatu divinae inimicitiae, & ſub diaboli ſervitute. Ergo. *Non eſt dubium*, ait *D.Thomas 3. part. q.*

84.

84. *art. 6. quin mali, exhibentes se ministros Dei, & Ecclesiae in dispensatione Sacramentorum, peccent: & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.*

Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri, monet *Rituale Rom.* jussu *Pauli V.* editum.

Porro plerique docent, Sacerdotem exsistentem in mortali, si habeat opportunum tempus, & copiam Confessarii, necessario Sacramenti administrationi sacramentalem confessionem praemittere debere: quod de celebratione Eucharistiae certum est ex *Tridentino sess. XIII. cap.* 2.

Dixi, *per se loquendo*. Quia per accidens excusari potest a mortali 1. propter invincibilem sui status ignorantiam: 2. propter inopinatam & repentinam administrandi necessitatem ita urgentem, ut desit spatium eliciendae contritionis. Ut si periculum adsit, ne puerulus qui animam agit, moriatur sine Baptismo; vel lapidarius decidens e tecto, moriatur sine absolu-

lutione. Nam jus divinum, & caritas magis obligat ad fuccurrendum proximo in neceffitate fpirituali, quam ad attendendam Sacramenti reverentiam, contra quam non agitur in ea neceffitate.

Ex dictis inferes I. peccare mortaliter baptizantem in mortali, etiamfi fit laicus. Ita *de Lugo*, & alii contra multos. Quia laicus baptizans gerit perfonam Chrifti, Chrifti merita & fanguinem difpenfat. Atqui haec videntur graviter exigere ftatum gratiae, ne Sacramenti, & Chrifti dignitas ac fanctitas graviter laedatur. Ergo, ait *Gibertus Confultat. de Sacramentis*; obftetrix quae centies baptizavit in neceffitate, fine ullo contritionis actu, centies peccavit.

Inferes II. Sacerdotem Miffam celebrantem in mortali, duplex committere peccatum: unum, quia indigne conficit; alterum, quia indigne fufcipit. Alii addunt tertium, quia indigne fibi adminiftrat: quod evitaret, fi ante communionem contritionis actum eliceret; tum folum peccaret in conficiendo Sacramento.

Inferes III. graviter peccare 1. eum, qui cum confcientia peccati mortalis Euchariftiam adminiftrat: 2. illum, qui cum fimili noxa ex officio Euchariftiam extra adminiftrationem tangit feu immediate, puta ut ab uno vafe in aliud immittat; feu mediate, ut fi eam in proceffione circum-

cumgestet: 3. eum, qui gravis culpae reus audet cum ostia populum benedicere. Ratio est, quia hae actiones sine gravi indecentia nequeunt exerceri ab eo, qui scit se esse Christi hostem, & diaboli mancipium. *Mundamini*, ait *Isaias LII. qui fertis vasa Domini*, imo ipsum Dominum.

Inferes IV. graviter peccare Diaconos, qui gravis peccati conscii, audent solemniter ministrare Sacerdoti sacrificium celebranti, aut Eucharistiam distribuere. Quod cum multis negat *La-Croix*: sed hanc opinionem falsam reputant graviores Theologi. Nam eorum ministerium proxime accedit ad sanctissimam Eucharistiam conficiendam; & ad illud divina institutione specialiter deputati ac consecrati sunt. Hinc Apostoli *Actorum VI.* ad sacrum Diaconatus Ordinem initiandos, non alios voluerunt, quam viros Spiritu Sancto plenos, qui sancte valerent sancta tractare. Merito igitur clamat *Augustinus Epist.* 21. alias 148. *Diaconi officio...... si perfunctorie atque adulatorie res agatur, nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius.*

Quid dicendum de malo Hypodiacono solemniter Ordinis sui functiones obeunte? Res adeo comperta non est: quidam probabiliter negant peccare graviter, quia Subdiaconorum institutio ecclesiastica est,

est, & eorum ministerium non tam proxime ad venerabilem Eucharistiam accedit.

Aliud est de Clericis minoribus, quorum functiones sunt nimis remotae ab actione Sacrificii, & hodie saepissime a laicis, perinde ac a Clericis exercentur. Peccant tamen venialiter, dum in solemni ac publico ritu illas exercent; quia proprie sunt actus Ordinis, ad quem sunt consecrati.

Inferes V. ministrum, qui gravi culpa inquinatus, sacramentalia conficit, venialiter peccare, ut communiter docent Theologi. Quia hae non sunt actiones, quibus conficitur aliquod Sacramentum, etiamsi sint exercitium Ordinis sacri: peccare vero saltem venialiter, quia est aliqua indecentia & irreverentia, si absque sanctitate obeat illa munia, quae Ordinem sacrum specialiter requirunt. Hinc colligunt venialiter tantum peccare ministrum, qui in tali statu conficit benedictionem vestium sacerdotalium, aquae lustralis, cinerum &c.

Q. II. *An liceat a malis ministris Sacramenta petere?*

Nota I. Difficultas de iis praesertim ministris movetur, quos certo, & sine ambiguitate constat in peccato mortali versari, quosque neque ante administrationem, neque in ipsa administratione contri-

tritos, ex indiciis moraliter certis judicamus. Alioqui enim debet quisque bonus & fidelis Sacramentorum dispensator praesumi.

Nota II. Malus Sacramenti minister, aut est Sacerdos privatus, potestatem habens Sacramenta administrandi, & paratus ad ea petentibus conferenda; aut est Parochus, cui ex officio incumbit, Sacramenta gregi suo praebere.

Nota III. Minister indignus alter est *non toleratus*, *toleratus* alter. Non toleratus est nominatim excommunicatus, & publicus denunciatus, notorius percussor Clerici, publice & nominatim suspensus, publice & in perpetuum degradatus, publice irregularis per sententiam. Vide *Croix num.* 210. Toleratus vero censetur ille, qui licet peccator sit, tamen neque nominatim per sententiam declaratus est excommunicatus, vel suspensus, neque est notorius Clerici percussor.

Nota IV. Improbi ministri aut sunt haeretici, & schismatici; aut sunt intra Ecclesiae sinum, ut ceteri catholici omnes.

Nota V. Qui ad Sacramenta accedunt, vel sunt in extrema necessitate, ut si infans sine Baptismo moriturus sit; vel in necessitate non extrema. Haec autem vel gravis est, ut cum urget praeceptum Confessionis annuae; vel levis, ut cum quis

quis vult Euchariſtiam percipere intuitu alicujus ſolemnitatis. His poſitis,

Prop. I.

Non licet petere, aut accipere Sacramenta a miniſtro non tolerato; praeter baptiſmum, & poenitentiam in extremo mortis periculo.

Prob. 1. pars. Eccleſia prohibet communicare cum miniſtris haereticis & ſchiſmaticis, praeſertim in ſacris. Ergo non licet, exceptâ extremâ neceſſitate, petere quod Eccleſia graviter vetat.

Prob. 2. pars. In caſu extremae neceſſitatis, nempe in mortis articulo, miniſter non toleratus duo ſummae neceſſitatis Sacramenta, Baptiſmum, & Poenitentiam licite adminiſtrare poteſt. Ergo licite ab eo peti poſſunt.

Prob. Antecedens ex *Tridentino ſeſſ. XIV. cap. 7.* ubi haec ſtatuta ſunt: *In Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibuſvis caſibus, & cenſuris abſolvere poſſunt.* Eo loci nulla cenſura excipitur, nec etiam excommunicatio major, a quo non poſſit poenitens abſolvi in mortis articulo: nullus excipitur poenitens, nec etiam haereticus, qui non poſſit in morte cum Eccleſia *reconciliari*. Ergo nullus nefarius Sacerdos excipiendus eſt, etiamſi ſit haereticus, vel ſchiſmaticus, qui in

in summa necessitate, summae necessitatis Sacramentum ministrare non possit.

De Baptismo, quod licite possit peti ab haereticis ab Ecclesia recisis, haec habet *Augustinus lib. II. de Baptismo contra Donatistas cap. 2. Si quem forte coëgerit extrema necessitas, ubi catholicum per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace catholica custodita, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum, nisi catholicum deputamus*. Ex *Augustino* pro catholico habendus ille, qui urgente extrema necessitate ab haeretico Baptismum petiit: ergo licite petiit, & accepit. Ergo &c.

Prop. II.

Jure divino naturali non licet petere, aut accipere Sacramenta a ministro malo tolerato, quem moraliter constat peccaturum ministrando, si adsit alius probus.

Prob. 1. Praeceptum caritatis exigit, ne gratis proximo peccandi occasionem praebeamus. Atqui in casu sine justa caussa proximo offendiculo essemus, quod fieri nequit absque peccato. Ergo &c. 2. Ex lege caritatis tenemur impedire peccatum proximi, quando possumus sine nostro incommodo, seu damno. Atqui in casu sine nostro damno possumus impedire peccatum improbi ministri, recipiendo Sacramen-

menta a probo. Ergo &c.

Neque dicas, illum miniſtrando eſſe paratum. Te enim non petente, hoc numero ſacrilegium non admitteret.

Prop. III.

Licet petere & accipere Sacramenta a malo miniſtro tolerato, ſi alius probus deſit, & adſit juſta & gravis cauſſa, ſeu aliqua neceſſitas.

Prob. I. ex Conſtit. *Martini V.* Ad evitandum, in *Concilio Conſtantienſi* edita, non tenemur praetextu alicujus eccleſiaſticae cenſurae evitare in adminiſtratione, vel receptione Sacramentorum, niſi nominatim denunciatos, & notorios Clericorum percuſſores. Ergo ſi adſit juſta cauſſa, licet petere Sacramenta ab improbo miniſtro tolerato.

Prob. II. Licet in gravi neceſſitate mutuum petere ab uſurario, quia illud abſque foenore praebere poteſt. Ergo licet in hypotheſi propoſita Sacramentum petere ab eo, qui licite poteſt, ſi velit, & hujus petendi legitima habetur cauſſa. Improbus enim miniſter toleratus poteſt conteri, & obtinere abſolutionem a cenſura.

Nota. Gravis & juſta cauſſa petendi Sacramenta pro bono ſpirituali proprio, vel alterius, pro quo petitur a tali miniſtro, cenſetur adeſſe, quando urget praeceptum confitendi, aut ſumendi Euchariſtiam quintena Paſchali; aut ſi quis ſit in ſta-

ſtatu peccati mortalis, nec poſſit, aut ſaltem ſine gravi incommodo, adiri alius miniſter; aut ſi aliquis privandus eſſet magna utilitate E. G. ſi non poſſet lucrari Jubilaeum &c.

Prop. IV.

Etiam extra neceſſitatis caſum licet a proprio Parocho, etſi improbo, Sacramenta petere, ſi unus non adſit, qui digne miniſtrare valeat.

Prob. 1. pars. Quiſque habet jus petendi alimenta a proprio Paſtore. Ergo licite Parochianus poteſt in caſu Sacramenta petere a Parocho, qui digne, ſi velit, ea miniſtrare poteſt. Ergo &c. Idem dic de vices gerente Parochi, cui ex officio incumbit Sacramenti adminiſtratio.

Prob. 2. pars. Chriſtiana caritas ſuadet, ut impediatur peccatum proximi, ſi facile impediri poſſit.

Q. III. *An liceat peccatoribus Sacramenta miniſtrare?*

Nota. Peccatorum alii ſunt *occulti*, alii ſunt *publici*. Hi autem tales ſunt vel *publicitate juris*, cum de eorum crimine conſtat aut publicâ judicis ſententiâ, aut propriâ Rei in judicio confeſſione, aut legitimâ teſtium depoſitione: Vel evidentiâ ſeu *notorietate facti*, cum nempe crimen in loco publico coram multis ita commiſſum ſit, ut nulla tergiverſatione caelari poſſit, nec ullo juris ſuffragio excu-

cusari. Insuper peccator sive occultus, sive publicus, vel publice seu coram frequenti caetu sacramenta petit, vel occulte, id est solus a solo.

Prop. I.

Per se loquendo graviter peccat, qui scienter indignis Sacramenta ministrat.

Prob. Quia indignus, idest non rite dispositus ad ejus effectum Sacramenta ministrat, in re gravi peccat contra proprium officium, religionem, & caritatem. Ergo graviter peccat.

Prob. Antecedens. 1. Quia infideliter, & contra voluntatem Domini id vetantis Sacramenta dispensat. *Matth. VII. v. 6. Nolite dare Sanctum canibus*. Per canes enim designantur peccatores, qui canibus abominabiliores sunt, prout docent Patres omnes. 2. Peccat contra Religionem, quae prohibet indigne suscipientium profanationi sacramenta exponi. 3. Contra caritatem, quae vetat sacrilege suscipientis receptioni cooperari. Ergo &c.

Non est satis Sacramentorum ministro indignis Sacramenta non dispensare; sed illud praestare is debet, ut prudenter praesumere possit esse dignos, qui ad Sacramenta suscipienda accedunt; ita ut pro Sacramentorum diversitate majorem, aut minorem diligentiam adhibeat. In Sacramento Poenitentiae, in cujus administratione judicis partes agit sacer minister, exactior habenda

da notitia est de poenitentis dispositione: similiter promovendorum ad sacros Ordines, cum Sacramentum istud ad bonum commune ordinetur, mores & indolem investigare Episcopi debent. De Matrimonio tenetur Parochus specialiter inquirere impedimenta, quia id constituitur ab Ecclesia. In Baptismo adulti inquirendum est in ejus consensum, requisitum ad valorem; & praeterea in ejus fidem, spem &c. In reliquis communiter praesumitur dispositus, qui petit, nisi constet de opposito, ut ait *Dicastillus*.

Prop. II.

Peccatori publico, seu notorio facti aut juris notitiâ, tam publice, quam private Sacramenta petenti negari debent.

Prob. Publicus peccator neque reipsa, neque externa specie jus habet ad Sacramentum. Ergo fidelis & prudens minister juxta Domini mandatum debet iis Sacramenta negare. Quid si tales scelesti homines vi, & minis Sacramenta sibi dare urgeant? Sacerdotis officium erit potius infamiam & mortem pati, quam publicis peccatoribus sacra mysteria prodere. Ita *Concina* contra *Escobarium*, & *Gobat*.

Neganda ergo Sacramenta sunt publicis concubinariis, foeneratoribus, adulteris, aliisque similibus, nisi emendatâ vitâ, verae poenitentiae argumenta dederint.

Cavendum tamen, ne pro notorio

habeatur, quod vel paucis cognitum, vel rumoribus nixum incertis, vel in ſola vulgi credulitate, aut imperitia fundatum eſt.

Prop. III.

Peccatori occulto occulte petenti denegauda ſunt Sacramenta; niſi miniſter peccatum ejus reſcierit per Confeſſionem.

Prob. Prudens miniſter abſque ſcandalo, & nova petentis infamia debet reverentiae Sacramenti conſulere. Atqui in caſu nullum ſcandalum, nulla nova petentis infamia. Ergo conſulendum eſt Sacramento reverentiae, negando illud indigno.

Dixi, *Niſi peccatum ejus reſcierit per Confeſſionem*; quia tunc negatio Sacramenti eſſet quaedam virtualis exprobratio, & commemoratio peccati, quod jure divino graviter eſt illicitum.

Prop. IV.

Peccatori occulto Sacramentum publice petenti negari non debet.

Prob. I. ex facto Chriſti, qui proditori ſanctiſſimam Euchariſtiam non negavit, ſed praebuit, ne eum diffamaret. Ergo in ſimili caſu Chriſtus vult, ut detur Sacramentum, ne proximus infametur.

Prob. II. Ex tali negatione Sacramenti gravia ſcandala, & incommoda, ac perturbationes ſequerentur; multi enim ejicerentur a Sacramentis, non quia mali, ſed quia malis & imperitis paſtoribus diſpli-

plicerent. Ergo ne esset participatio Sacramentorum malis, & pusillis quotidiana spiritualis ruinae occasio, sapienter in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ne a Sacramentis publice arcerentur, nisi publici peccatores.

Objicies. Ministrare scienter Sacramenta indigno, est libere cooperari sacrilegae ejus receptioni. Quod est intrinsece malum. Ergo numquam licet.

R. Neg. Antecedens. Nam in casu minister non libere, sed ex obligatione ministrat: neque exterior receptio Sacramenti ad quam cooperatur, est per se mala, sed tantum per accidens ex prava petentis dispositione; & posset esse bona, si recipiens vellet.

Q. IV. *An liceat aliquando simulare Sacramentorum administrationem?*

Nota I. Simulare administrationem Sacramenti dicitur, quando profertur forma sacramentalis super materiam, sine animo conficiendi Sacramentum.

Nota II. Duplicem distinguunt simulationem: alteram *formalem*, quae directe intendit alium decipere; alteram *materialem*; quae fit ob justam caussam permittendo alterius deceptionem.

Nota III. Simulare susceptionem Sacramenti dicitur, quando subjectum suscipit, sine intentione saltem habituali illud recipiendi.

Prop. Unica.

Simulatio administrationis Sacramenti sive formalis, sive materialis, est graviter peccaminosa.

Prob. Simulatio isthaec est graviter injuriosa Sacramentis, & continet grave mendacium. Ergo est graviter peccaminosa.

Prob. 1. pars. Reverentia Sacramentis debita postulat, ut non solum tractentur sancte, sed etiam ut administrentur sincere, & non ficte.

Prob. 2. pars. Revera est mentiri in re gravi, si facto & exercite dicat simulator se baptizare, absolvere; cum sciat haec omnia non fieri. Ergo &c.

Confirmatur. Gravius peccatum est simulare administrationem Sacramenti, quam sacrilege illud administrare, ut patet ex *Joann.III. cap.* De Homicidio, *De celebr. Miss.* ubi loquens Pontifex de Presbytero, qui conscius peccati mortalis, ne sacrilege celebraret, ficte celebravit, inquit: *Licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerit irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud praesumserit simulare: cum ille in solius misericordis Dei manus incidat, iste vero non solum Deo (cui veretur illudere) sed populo, quem decipit, se adstringat.* Ergo sicut nunquam licet sacri-

crilege celebrare, quia Deo illuderet; neque etiam ficte, quia Deo illuderet, & homines deciperet; & consequenter nunquam licet simulate administrare cetera Sacramenta.

Hinc colliges I. nullam esse justam caussam hujusmodi simulationes in Sacramentis permittendi, ne mortis quidem vitandae gratiâ. Metus enim mortis satis non est ficte pejerando, aut ficte blasphemando, vel idolo adolendo thuri, cum haec sint intrinsece mala: Ergo nec ficte Sacramentis administrandis. Merito ergo damnata fuit ab *Innocentio XI.* propos. num. 29. *Urgens metus gravis est caussa justa Sacramentorum administrationem simulandi*. Unde resolves, non posse Confessarium verba absolutoria ficte proferre super indispositum ad malum comminatum declinandum: Non licere Sacerdoti hostiam non consecratam pro consecrata praebere in casu urgenti, puta si peccator sit indispositus, & teneatur communicare, vel ad evitandum scandalum, vel ne occidatur mulier a marito, si eam non videat communicare: quia hae simulationes sunt intrinsece malae.

Colliges II. licere Ministro ob justam caussam occultare defectum administrationis Sacramenti. E. G. Confessarius, qui indispositum fingens absolvere, ut sigillum sacramentale custodiat, ejusque fa-

mae consulat, dicat super poenitentem Orationem Dominicam, eumque benedicat, perinde ac si absolveret: sed nullatenus proferat verba absolutoria sine intentione absolvendi, quia hoc esset Sacramenti administrationem simulare.

CAP. III.

De Subjecto, & Effectibus Sacramentorum.

SECTIO I.

De Subjecto Sacramentorum.

SOlus homo viator est subjectum capax Sacramentorum, quia juxta ordinem praesentis providentiae solus homo viator est capax primae gratiae, vel augmenti gratiae.

Viatorum hominum alii sunt adulti, alii ratione destituti, ut infantes, & amentes. In istis nulla requiritur dispositio ad suscipienda Sacramenta, quorum sunt capaces. Apti sunt infantes ad suscipiendum Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam. Olim infantibus post Baptismum conferebatur Confirmatio, & Eucharistia, quo-

quorum duorum administratio nunc suspensa illis est, & solum post rationis usum haec duo Sacramenta conferuntur. Utrum valide quoque susciperent Sacramentum Ordinis, disputant Theologi: sed de hac re suo loco. Infantes ergo & amentes baptizari possunt absque illorum dispositione, ut constat ex perpetua Ecclesiae praxi.

Ad validam aliorum Sacramentorum susceptionem praeccedere Baptismus debet, cum sit fundamentum, & janua reliquorum Sacramentorum. *Cap. II. de Cognatione spirituali in 6.* Hoc quippe Sacramento membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiae. Hinc *Concilium Nicaenum I. cap.* 19. statuit, Clericos invalide baptizatos, rebaptizandos esse, & iterum sacris Ordinibus initiandos.

Superest nunc explicandum, an in adultis ratione utentibus requiratur aliqua propria voluntas ad validam Sacramentorum susceptionem.

Prop. I.

In adulto ratione utente ad validam Sacramenti susceptionem requiritur, ut non habeat voluntatem contrariam ejus susceptioni, excepta Eucharistia.

Prob. ex *cap.* Majores, *de Baptismo*, ubi *Innocentius III.* ait: *Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Ergo invalide recipit. Excipitur Eu-

chariſtia, quae conſiſtit in re permanenti, & ſubſiſtit extra uſum.

Animadvertendum vero, validum eſſe Sacramentum ex gravi metu ſuſceptum; quia metus, quamvis voluntarium, diminuit, non tollit ſimpliciter libertatem.

Prop. II.

In adulto Sacramentum recipiente ad ejus valorem requiritur poſitivus conſenſus.

Prob. ex *Tridentino*. Nullus adultus juſtificationem aſſequitur, niſi conſentiat. Ait enim *ſeſſ. VI. cap. 7. Juſtificatio eſt ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiae, & donorum*. Ergo ut Sacramenta valeant, neceſſe eſt, ut adultus conſentiat in eorum ſuſceptione, ne in Sacramentis recipiat gratiam, & dona ſine aliqua ſua voluntate.

Ex his colliges, falſam eſſe opinionem *Cajetani*, aliorumque putantium, ſatis eſſe ad valorem Sacramenti, ſi adultus non habeat voluntatem contrariam, ſed mere paſſive ſe gerat.

Prop. III.

Non eſt neceſſe in adulto, ut voluntas ſuſcipiendi Sacramentum ſit actualis, vel virtualis; ſed ſufficit habitualis, & in aliquibus Sacramentis interpretativa.

Prob. ex conſtanti Eccleſiae praxi. Morbo repentino oppreſſis, & obmuteſcentibus miniſtrat Eccleſia baptiſmum, abſolu-

lutionem, & extremam Unctionem, quoties constat testimonio aliquo, illos ea postulasse. Verum hac de re fusius, cum de singulis Sacramentis sermo erit.

SECTIO II.

De Sacramentorum Effectibus.

Sacramentorum effectus duplicis generis sunt; *Gratia* scilicet, & *Character*. Sit

§. I.
De Gratia.

Nota I. Gratia a Theologis dividitur in *actualem*, & *habitualem*. Prima *motio transiens* dicitur, qua anima ad pium opus excitatur. Secunda est quid *permanens*, & intrinsecus inhaerens animae, quam sanctificat.

Nota II. Gratia sanctificans vel est *prima*, vel *secunda*. Prima gratia dicitur, quae homini eâdem destituto, & peccatis inquinato confertur. Secunda est, quae datur homini justo.

Nota III. Duplicem distinguunt Theologi gratiam sanctificantem, unam omnibus Sacramentis *communem*: alteram cuique *propriam*. Prima non est alia a gratia, quae producitur ab omnibus Sacramentis. Secunda est jus quoddam ad no-

va, & specialia auxilia obtinenda, necessaria ad assequendum Sacramenti finem.

Prop. I.

Effectus primarius omnium Sacramentorum Novae Legis est gratia sanctificans, seu habitualis, quae a Theologis etiam appellatur gratia gratum faciens.

Prob. I. ex *Tridentino sess. VII. can. 6. Si quis dixerit Sacramenta Novae Legis non conferre gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre .... anathema sit.*

Prob. II. ex Scriptura. Fideles per Sacramenta remissionem obtinent peccatorum, innovantur spiritu, regenerantur ad vitam spiritualem, & divinis ornantur charismatibus. Ergo gratia quae per Sacramenta confertur, est gratia sanctificans, quae reddit hominem Deo gratum. Antecedens probatur variis Scripturae testimoniis. De Baptismo *ad Eph. V. Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* De Confirmatione *Actor. VIII. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* De Eucharistia *Joannis VI. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* De Poenitentia *Joannis XX. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De extrema Unctione *Jacobi V. Si in peccatis sit,*

sit, remittentur ei. De Ordine *ad Tim.Ut suscites gratiam, quae est in te per impositionem*. De Matrimonio *ad Eph. V. Sacramentum hoc magnum est*. Ergo Sacramenta sunt verae gratiae caussae, quae homines sanctificat, & in ipsorum cordibus inhaeret, nec tollitur nisi per peccatum.

Huic effectui gratiae sanctificantis adnexae sunt omnes virtutes infusae sive theologales, sive morales: quia omnes hae virtutes gratiam sequuntur, & comitantur ut reginam. Quare Sacramentum caussans gratiam, caussat indivisim harum virtutum infusionem, vel augmentum. Ita communiter Theologi ex *Trident. sess.VI. cap.6.* docente, *homines justificari per susceptionem gratiae, & donorum*.

Prop. II.

Quodlibet Sacramentum, praeter gratiam sanctificantem, peculiarem aliquam gratiam, quae sacramentalis *dicitur, confert*.

Prob. Quodlibet Sacramentum confert gratiam convenientem fini ad quem ordinatur. Sed unumquodque Sacramentum ordinatur ad specialem finem. Ergo specialem gratiam confert. Ita *D.Thomas*, & cum eo Theologi omnes. Unde docent in Baptismate gratiam Sacramentalem auxilium esse ad servanda omnia praecepta, & ad digne suscipienda cetera Sacramen-

ta: in Confirmatione ad fidem constanter profitendam: in Eucharistia ad augmentum, & conservationem vitae spiritualis, in Poenitentia ad detestanda peccata commissa, & ad integre pro eis satisfaciendum: in extrema Unctione ad fortiter resistendum diabolo in articulo mortis, & ad reficiendas corporis vires, prout animae expedit: in Ordine ad sacra munia peragenda, & divinum cultum propagandum: in Matrimonio ad fovendam mutuam conjugum benevolentiam, ad fidem tori servandam, ad educandos filios in timore Domini.

Prop. III.

Aequalem gratiam conferunt Sacramenta, quando eadem omnino est ex parte suscipientium dispositio; inaequalem vero, si diversae sint suscipientium dispositiones.

Prob. Sacramentum operatur ut caussa naturalis. Ignis E. G. eundem parit effectum in subjectis eodem modo dispositis; disparem vero in iis, quorum diversae sunt dispositiones. Ergo &c. Id aperte colligitur ex *Trident. sess. VI. cap.* 7. ubi declaratur: *In baptizatis justitiam recipi secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujuscunque dispositionem, & cooperationem.*

Prop.

Prop. IV.

Sacramenta vivorum *per accidens gratiam primam producere valent.*

Prob. Sacramenta gratiam conferunt non ponentibus obicem. Atqui si quis nihil sibi conscius, sed non justificatus, cum pietatis ac religionis affectu ad Eucharistiam accedat, nullum obicem ponit. Ergo in illo Sacramentum gratiam producere debet: non secundam, quia nullam in eo supponit: Ergo primam per accidens quidem, & indirecte. Ita Angelicus 3. *part. q. 79. art. 3.*

Ex his colliges, grave sacrilegium esse ad Sacramenta accedere, ponendo obicem gratiae. Unde si quis conscius peccati mortalis, vult recipere Sacramenta *vivorum*, tenetur sibi gratiae statum comparare per sacramentum poenitentiae, quae communis fidelium praxis est, & melior dispositio, quae majorem certitudinem gratiae confert: quod certum est per *Tridentinum* de Eucharistia; vel saltem per contritionem, ut loquitur *Pontificale Rom.* de Sacramento Confirmationis. Baptismum vero, & Poenitentiam, quae *mortuorum* Sacramenta sunt, ut quis cum fructu percipiat, praeter voluntatem recipiendi Sacramentum requiritur fides, spes, initialis caritas, & exinde natus dolor de peccatis.

§.II.

§. II.
De Charactere.

Character Sacramentalis ex *D. Thoma* est spirituale quoddam signum animae indelebiliter impressum, quo homo redditur idoneus ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea, quae sunt divini cultus. *Nam sicut charactere*, prosequitur idem S. Doctor, *insignitur denarius ad usum commutationum, & milites charactere insigniuntur, quasi ad militiam deputati; ita fideles sacramentali charactere insigniuntur ad ea, quae sunt divini cultus, & redduntur idonei ad alia Sacramenta suscipienda, ut in Baptismate; ad fidem profitendam, ut in Confirmatione, vel ad obeundas ecclesiastici status functiones, ut in Ordine.*

Character indelebiliter inhaeret animae; nam Sacramenta quae illum imprimunt, iterari non possunt; & ut ait idem Angelicus Doctor, *post hanc vitam, remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam: sicuti etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, & in iis qui vicerunt ad gloriam, & in iis qui sunt victi ad poenam.*

Prop.

Prop. Unica.

Tria Sacramenta, nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem.

Prob. ex *Trident. sess. VII. Can. 9. Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Ad valide recipiendum hunc effectum Sacramentorum non requiritur status gratiae in subjecto, modo serventur essentialia in eorum collatione. Verum Confirmatio, & Ordo characterem non imprimunt, nisi susceptus sit Baptismus. Qui plura cupit, legat Angelicum Praeceptorem 3. *part. q.* 67. qui omnia, quae hac in re desiderari possunt, suso calamo disputat.

APPENDIX

De Sacramentalibus.

Nota I. Sacramentalium nomine communiter vocantur Oratio Dominica seu *Pater noster*, Preces in Ecclesia consecrata fusae, aspersio aquae benedictae, comestio panis benedicti, qui & *Eulogia* dictus est ab Antiquis, Confessio generalis hoc est *Con-*

Confiteor, Eleemoſyna, benedictio Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati: Ad quae etiam revocantur conſecrationes, aut benedictiones variarum rerum, ſeu res ipſae ſacrae vel benedictae, ut Eccleſiae calices. Sacramentalia vero ſtricte ſumta, ſunt ritus ſive actiones religioſae ab Eccleſia inſtitutae ad decentem ac devotam Sacramentorum adminiſtrationem.

Nota II. In Eccleſia adeſſe hanc auctoritatem ſacros ritus praeſcribendi, declarat *Trident. ſeſſ. XXI. cap.* 4. *Haec autem poteſtas perpetuo in Eccleſia fuit, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalvâ illorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret, vel mutaret, quae ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.*

Nota III. Utiles eſſe hos ſacros ritus ad fidelium pietatem, ac devotionem fovendam, docet idem *Trident. ſeſſ. XXI. cap.* 2. his verbis: *Cum natura hominis ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus, ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli; propterea pia Mater Eccleſia, ritus quoſdam, ut ſcilicet quaedam ſubmiſſa voce, alia clariore in Miſſa pronunciarentur, inſtituit. Caerimonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, luminaria, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & tra-*

di-

ditione, quo Majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per haec visibilia religionis, & pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. His positis, remanet nunc discutiendum 1. quodnam sit discrimen inter Sacramenta, & Sacramentalia. 2. An sit libera eorum observatio.

Prop. I.

Sacramentalia differunt a Sacramentis potissimum in eo, quod sacramenta caussant effectus suos ex opere operato; Sacramentalia vero nullum effectum ex opere operato.

Prob. Sacramentalia non a Deo, sed ab Ecclesia sunt instituta. Sed Ecclesia non habet potestatem dandi alicui actioni vim infallibilem, ut inde aliquis effectus caussetur. Ergo. Minor patet; nam potestas Ecclesiae de efficacia Sacramentalium non fundatur in aliqua speciali Dei promissione, sed in communi lege & efficacia orationis, quae non semper habet effectum infallibilem.

Hinc colliges, quaedam Sacramentalia vim habere remittendi peccata venialia solum per modum impetrationis, ut aqua benedicta, & alia quae benedicuntur ab Ecclesia, quatenus Ecclesia suis orationibus nobis impetrat pium motum, quo venialia remittuntur: alia vero Sacramentalia,

lia , ut tunſio pectoris , confeſſio generalis , eandem vim habere , quatenus excitant in nobis devotionem , & conſequenter explicitam aut implicitam peccatorum deteſtationem , qua remittuntur venialia .

Prop. II.

Miniſter in ſolemni Sacramentorum administratione tenetur diligenter ſervare ritus accidentales in Eccleſia uſitatos . Unde ſi abſque neceſſitate urgente aliquid omittatur , eſt mortale in re gravi , & veniale in re levi .

Prob. ex *Tridentino ſeſſ. VII. can.* 13. *Si quis dixerit , receptos , & approbatos Eccleſiae Catholicae ritus in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos , aut contemni , aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti , aut in novos alios per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe , anathema ſit .* Ergo &c.

Obligatio iſthaec ſervandi ritus accidentales in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione ex genere ſuo eſt gravis , utpote de re ad virtutem Religionis pertinente . Unde qui eos negligit in re gravi , graviter peccat ; E. G. ſi quis ſine ſacris veſtibus celebraret : in re levi leviter ; puta ſi ex negligentia Sacerdos omitteret in Canone Miſſae unum vel alterum Sanctum , vel aliquam genuflexionem , ſecluſo contemtu . Nam , ut ait *S. Bernardus ,* iſte talis convertit in crimen gravis rebel-

lio-

ftionis naevum satis leve simplicis transgressionis. In his tamen materiis (*Colet* advertente) contemtui aequivalere videtur gravis incuria sive in addiscendis, sive in exercendis sacris caerimoniis. Urgente vero necessitate, conferendo Sacramenta ad salutem necessaria, sat est materiae & formae applicatio. Atque haec de Sacramentis in genere dixisse sufficiat.

TRA-

TRACTATUS
DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

CAP. I.

De Baptismo.

B*Aptismus* Graeca vox est, quae latine *immersionem*, *ablutionem*, *lotionem* significat. Ob varios tamen hujus sacramenti effectus aliis etiam nominibus a Patribus appellatus fuit, & praecipue *Sacramentum regenerationis*, *fidei*, *illuminationis*. Quia homo carnalis per Baptismum ad spiritualem vitam renascitur, fide quam in Baptismo profitetur, illustratur.

Definitur a *Catechismo Rom. part. II. cap.* 2. §. 5. *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Haec definitio materiam, formam, & proprietatem Baptismi paucis enunciat. Dicitur 1. Baptismus esse *sacramentum*, & merito, cum sit divinae gratiae sensibile signum: quae ratio cuique sacramento convenit. 2. Esse sacramentum *regenerationis*; nam in Scripturis *ad Tit. III.* nuncupatur *lavacrum regenera-*

tio-

tionis, & renovationis Spiritus Sancti: 3. per aquam in verbo. Hae voces materiam, & formam ſacramenti exhibent.

SECTIO I.

De Materia Baptiſmi.

Duplex eſt materia: *remota*, & *proxima*. De hac infra, de illa nunc. Sit ergo

§. I.
De Remota Materia Baptiſmi.

Prop. I.

Omnis & ſola aqua naturalis eſt materia remota Baptiſmi.

Prob. 1. Ea eſt neceſſaria Baptiſmi materia, quam Chriſtus inſtituit, Apoſtoli uſurparunt, & Eccleſia conſtanti adhibet praxi. Atqui aquam ut ſolam Baptiſmi materiam Chriſtus inſtituit. *Joannis III. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. 2. Apoſtoli ſola aqua naturali baptizarunt. *Actor. X.* Petrus Cornelium, ejuſque familiares baptizaturus: *Numquid aquam*, inquit, *quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi?* 3. Eandem materiam conſtanter adhibuerunt Patres. *Auguſtinus Tract. 15. in Joan. Tolle aquam, non eſt ba-*

baptiſmus. Idem habetur ex repetitis Eccleſiae definitionibus: ex Conciliis *Lateranenſi*, *Florentino*, & *Tridentino ſeſſ. VII. can* 3. in quo anathemate damnantur ii, qui verba Chriſti Domini, *niſi quis renatus fuerit*, ad aliquam metaphoram detorſerint. Ergo &c.

Cur Chriſtus Dominus aquam potius, quam alium liquorem ſumſerit pro materia Baptiſmi? Nulla ſolidior ratio aſſignari poteſt, praeter divinam ejus voluntatem, quae ſic diſpoſuit. Plures tamen hujus inſtitutionis congruentias aſſignant Patres, quas *S. Thomas 3.part. q. 66. art.* 3. paucis complectitur. Prima eſt aptitudo aquae ad ſignificandos Baptiſmi effectus; aqua enim ſua humiditate lavans, apte ſignificat ablutionem peccatorum: ſua frigiditate temperans ſuperfluitatem caloris, clare exprimit mitigationem concupiſcentiae: ſua pelluciditate lumen ſuſcipiens, non obſcure indicat Baptiſmum eſſe ſacramentum fidei. Altera eſt aquae facillimus uſus, conveniens neceſſitati hujus ſacramenti.

Prop. II.

Valida Baptiſmi materia dicenda eſt aqua elementaris proprie dicta, quamvis rebus aliis ſit tantum permixta, modo uſum communem, & aeſtimationem aquae retineat.

Prob. Quia ex communi hominum ſen-

ſenſu, non ex Philoſophorum diſputationibus judicandum eſt, quaenam aqua dicenda ſit naturalis. Ergo. Ita Doctores omnes.

Hinc colliges I. aptam hujus ſacramenti materiam eſſe *aquam veram, & naturalem fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, ſtagnorum, paludum, ciſternarum, & pluvialem, & quamcunque ſimplicem & puram, quae propriam aquae ſpeciem retineat: nec referre, frigida ſit, an calida*. Ita *Rituale Rom.* juſſu *Gregorii XIII.* editum. Item ſufficientem Baptiſmi materiam eſſe aquam reſolutam ex nive, glacie, gelu, aut rore caeli, aut ex panno madido, vel luto expreſſam, aut ſulphuratam, ferrugineam. Ita communiter affirmant Theologi. Quia haec ſunt aqua naturalis. Imo juxta *D. Thomam 3.part.q. 66. art.* 4. lixivium, & juſculum carnium, modo tenue ſit; *quia in qualibet aqua*, inquit S. Doctor, *qualitercunque tranſmutata, dummodo non ſolvatur ſpecies aquae, fieri poteſt Baptiſmus*.

Colliges II. ineptam Baptiſmi materiam eſſe *aquam artificialem, ut ex roſis, floribus, herbis, ſeu ſimilibus rebus expreſſam, aut diſtillatam, neque quemvis alium liquorem*. Ita laud. *Rituale Rom. Gregorii XIII.* Nam iſta non ſunt aqua proprie dicta, & elementaris. Idem dicendum de nive non reſoluta, quia in hoc ſtatu non eſt

est apta corpori abluendo.

Liquores vero illi, quorum dubium est apud Theologos, num sint apta materia, in extrema necessitate sub conditione, *si haec materia sit sufficiens*, adhibendi sunt. Hinc in extrema necessitate teneris baptizare in aqua ex sale resoluta, in cervisia admodum tenui &c. quamvis sublata necessitate Baptismus sit repetendus.

Prop. III.

Minister sub gravi tenetur saltem in Baptismo solemni uti aqua benedicta, quae ex vetusto Ecclesiae usu in pervigilio Paschae, aut Pentecostes benedicitur.

Prob. Solemnitas, qua Ecclesia Rom. ex antiqua consuetudine consecrat aquam Baptismo inservientem, reverentia sacramento debita, praxis Ecclesiae non levis obligationis indicia sunt. Hinc optime *S. Carolus* in suis instructionibus jubet, *ut aqua, quae sacramenti Baptismi materia est, non solum vera naturalisque sit, sed etiam eo ipso anno . . . . benedicta in Sabbato Sancto, aut Sabbato Pentecostes.* In Baptismo tamen non solemni, sed privato, libere posse omitti aquam benedictam, & adhiberi communem, docet cum aliis *Gobat*, *Concina* mussitante.

§.II.

§. II.
De Proxima Materia Baptiſmi.

Nota I. Ablutio, ſeu aquae uſus, quo corpus abluitur, dicitur Baptiſmi materia proxima. Triplex pro diverſis temporibus modus abluendi obtinuit, per *immerſionem*, per *infuſionem*, per *aſperſionem*. Per immerſionem fit, quando in aquam immergitur vel caput, vel totum corpus baptizandi. Per infuſionem, verſando ſeu effundendo aquam ſupra caput baptizandi. Per aſperſionem denique, projiciendo aquae guttas in baptizandi caput.

Nota II. A primis Eccleſiae ſeculis ad XIII. uſque Baptiſmus ſolemnis ubique fere per trinam immerſionem collatus eſt. Circa ſeculum XIV. obtinere coepit ritus baptizandi per aſperſionem, vel infuſionem. Innovati ritus plures aſſignantur cauſſae, 1. inopia miniſtrorum: 2. baptizandorum commodum: 3. periculum, ne infans e manibus miniſtri delapſus in fundum Baptiſterii, aquis ſuffocaretur.

Prop. I.

Validus eſt Baptiſmus, ſive per unam aut trinam immerſionem, ſive per effuſionem, aut aſperſionem miniſtratur.

Prob. Chriſtus ablutionem abſolutam inſtituit, non modum abluendi. Ergo quocunque modo ablutio fiat, valet Baptiſ-

mus. Antecedens patet ex verbis Domini: *Euntes, baptizantes* &c.*Nisi quis renatus fuerit ex aqua*. Confirmatur exemplo Apostolorum, qui modo unum, modo alterum abluendi ritum usurparunt.

Consuetudo diversa, quae variis temporibus in Ecclesia viguit, propositam sententiam confirmat. Hinc *Rituale Rom.* jussu *Pauli V.* editum inquit: *Baptismus licet fieri possit aut per infusionem, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu pro Ecclesiarum consuetudine, retineantur*.

Colliges, quamquam hi omnes ritus satis sint ad valide Baptismum ministrandum; peccare tamen ministrum & quidem graviter, si nulla urgente necessitate, ritum suae Ecclesiae in baptizando violaret. Ita cum *D.Thoma* sentiunt graviores Theologi contra *Layman*, *Bonacinam*, & alios, qui docent, seclusum scandalo & contemtu, esse tantum veniale.

Prop. II.

Ad valorem Baptismi non sufficit quicunque aquae contactus; sed requiritur, ut infusio aquae successive & immediate fiat ad praecipuam corporis partem, nempe caput baptizandi.

Prob. 1. pars. Talis infusio facienda est, quae satis sit, ut baptizandus juxta communem sensum vere & proprie ablutus

tus dicatur. Atqui nisi contactus aquae successive fiat, non dicitur vere ablutus. Ergo &c.

Unde resolves contra *Leandrum*, *Victoriam*, aliosque, unam vel alteram guttam aquae, quae successive non defluit per corpus baptizandi, ad Baptismum satis non esse. Nam juxta communem aestimationem, qui unâ aquae guttâ aspergitur, dicitur madefactus, non lotus.

Prop. 2. pars. Ut aliquis vere dicatur lotus, requiritur contactus physicus, & immediata applicatio aquae ad corpus illius, qui abluitur. Ergo ut baptizatus juxta communem usum loquendi vere ablutus dicatur, necesse est, ut aqua immediate carnes baptizandi attingat.

Unde resolves contra *Sotum*, *Valentiam*, *Vegam*, & alios, non vere baptizari illum, cui nulla pars corporis immediate tangitur. Hinc non sufficit aspergere vestes baptizandi, applicare aquam utero materno, quo infans tenetur inclusus, vel secundinae pelliculae, quibus nascitur involutus; nam in istis non est abluere corpus, sed ejus involucra. Eâdem ratione nec valide baptizari illum, cujus soli capilli aqua asperguntur, quia capilli non sunt partes corporis. Hinc *Rituale Argentinum* ministrum monet, *ut tangat aquâ pellem capitis, unde si capillatus sit qui baptizatur, digitis sinistrae manus caesariem ejus dis-*

discriminet Sacerdos, dum dexterâ aquam infundit.

Prob. 3. pars. Ut quis dicatur simpliciter lotus, non sufficit, si solus pes, aut digitus ejus abluatur. Ergo ut quis in lavacro regenerationis dicatur vere ablutus, satis non est, ut in quacunque minima parte corporis baptizetur; sed requiritur ut saltem caput sit ablutum. Quia, ut ait *D. Thomas 3. part. 68. art. 2. ad 4. In nulla exteriorum partium integritas vitae ita consistit, sicut in capite.* Propositam doctrinam *S. Thomae* confirmat *Rituale Rom.* docens modum, quo ministrari possit Baptisma infanti, qui adhuc in utero matris inclusus, aliquod membrum visibile emiserit. Inquit enim: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.* Si tamen infantis caput emerserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emerserit, quod vitalem indicat motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur, & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus eo modo, quo supra dictum est: *Si non es baptizatus, ego te baptizo* &c.

Prop. III.

Non officit valori Baptismatis collati per immersionem, si non succedat emersio. Ita multi contra multos.

Prob. Ad valorem Baptismi sufficit im-

immediata, & successiva applicatio aquae supra corpus baptizandi. Atqui si quis immergatur, licet non emergat, haec omnia habentur. Ergo. Ita *Gonet*, *Salmanticenses*, *Berti*, *Concina*. Hinc colligunt, valere Baptisma, 1. si infans e manibus ministri dilabatur in profundum Baptisterii, pronuncietque formam minister, antequam puer moriatur: 2. si quis in puteum, aut flumen infantem projiciat animo eum baptizandi simul, & submergendi, formamque recitet, dum infans adhuc vivus in aquis reperitur; quia tunc adsunt verbum, elementum, & ministri intentio requisita ad valorem Baptismi, etsi grave scelus committeret impius minister. Verum si formam proferas in puerum, qui a se labitur, vel ab alio projicitur in flumen, non stabit Sacramentum. Nam qui formam recitat, debet abluere, alioqui forma esset falsa: quia non tu qui dicis, *ego te baptizo*, abluis, sed alius abluit. Valet etiam Baptisma collatum ab illo, qui baptizaret aqua venenata, aut ferventi, cum animo occidendi baptizatum, dummodo adsit intentio baptizandi, & debita usurpetur forma.

Admonitio. Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quam primum caute extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur. *Rituale Rom.* Verum non licet persecare alvum matris desperatae sanitatis, ut bapti-

zetur infans; nam, ut ait *D. Thomas* in *IV. dist.* 4. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. *Homo potius debet dimittere perire infantem, quam ipse pereat, homicidii crimen in matre committens.*

SECTIO II.

De Forma Baptismi.

Nota I. Forma Baptismi, qua Ecclesia Latina utitur, haec est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hanc autem formam hausit Ecclesia ex verbis evangelicis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Merito igitur hanc formam legitimam esse definierunt Concilium *Lateranense IV.* *Eugenius IV.* in decreto, & *Tridentinum sess. VII. cap.* 8.

Nota II. In ea forma quatuor exprimuntur, 1. persona baptizans, 2. subjectum, 3. actio baptizandi, 4. Unitas, & Trinitas divinarum Personarum. Utrum singulae expressiones sint de essentia formae, discutiendum erit.

Prop. I.

Ad valorem formae exprimenda est 1. *persona baptizans si non expresse, saltem implicite:* 2. *persona baptizanda:* 3. *actio baptizandi.*

Prob.

Prob. ex *cap. I. de Baptismo*, ubi *Alexander III.* ait: *Si quis puerum ter in aquam immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, non est puer baptizatus*. Atqui verba, *Ego te baptizo*, quae Pontifex requirit ad valorem formae, exprimunt personam ministri, subjectum, & actum baptizandi. Ergo &c. Hanc Romanae Ecclesiae doctrinam vellicare non sunt veriti quidam Recentiores, quorum audaciam comprimit *Alexander VIII.* in hac damnata thesi: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus*, in nomine Patris &c. *praetermissis illis*, Ego te baptizo.

Hinc colliges, valere formam, etsi omittatur pronomen *ego*, dicendo: *baptizo te*; quia in verbo *baptizo*, implicite exprimitur minister; non secus ac in forma Graecorum approbata in Concilio *Florentino: Baptizatur servus Dei N. N. in nomine Patris &c.* Secus vero, si omittatur particula *te*; quia non exprimitur subjectum, & actio ministri, maneretque incerta & indeterminata.

Prop. II.

De essentia formae est expressio Unitatis, & Trinitatis divinarum Personarum.

Prob. Hae voces essentiales sunt in forma Baptismi, quas Patres, & Concilia

ex verbis Christi Domini, ut tales judicarunt. Atqui Patres, & Concilia ex verbis Domini, *Euntes .... baptizantes eos in nomine Patris &c.* judicarunt de essentia formae esse expressam invocationem Unitatis, & Trinitatis divinarum Personarum. Ergo &c. *Tertullianus lib. de Baptis. cap.13. Lex tingendi imposita est, & forma praescripta: Ite docete nationes, tingentes eos in nomine Patris &c.* Concilium *Nicaenum I.* jussit rebaptizari Paulianistas, qui non erant baptizati *in nomine Patris &c.* Cetera Patrum, & Conciliorum testimonia videri possunt apud Theologos. Animadvertendum tamen in hisce sacrorum Scriptorum locis formam reponi non in collectivo Trinitatis nomine, sed in distincta trium Personarum invocatione. In Baptismo ergo, qui est Sacramentum fidei, necessaria est expressa mentio Trinitatis, quae est primarium objectum fidei, & fundamentum salutis.

Hinc colliges I. non valere Baptismum sub his formis collatum: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis: in nomine Dei unius, & trini: in nomine trium Personarum Trinitatis*: Item, *in nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti*; quia non exprimitur divinae Essentiae unitas.

Colliges II. dubias esse has formas ob sententiam Doctorum utrinque probabilem: *In virtute*, vel *auctoritate*, vel *sub invoca-*

catione Patris &c. In nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque. Nam, ut ait *D. Thomas part.* 3. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 7. *Sicut aqua ſumitur ad Baptiſmum, quia ejus uſus eſt communior ad abluendum; ita ad ſignificandum tres Perſonas in forma Baptiſmi, aſſumuntur illa nomina, quibus communius conſueverunt nominari Perſonae in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur ſacramentum.*

SECTIO III.

De Miniſtro Baptiſmi.

Nota. Baptiſmi miniſter duplex: alius *neceſſitatis*, alius *ſolemnitatis*. Neceſſitatis dicitur ille, qui neceſſitate urgente in defectu illius, cui ex officio competit, ſine ſolemni ritu ſacramentum adminiſtrat. Solemnitatis vero eſt ille, qui poteſtatem habet ſolemni ritu baptizandi, vel ei incumbit ex officio, & dicitur *ordinarius*; vel ex commiſſione, & dicitur *extraordinarius*.

Prop. I.

Quilibet homo viator ratione utens, ſive vir ſive mulier, ſive fidelis ſive infidelis in quovis caſu valide baptizat.

Prob. ex Chriſti inſtitutione, ex uſu & conſuetudine Eccleſiae declarata. Et ſane Concilium *Lateranenſe IV.cap.*Firmiter, ait:

Baptismum tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiae a quocunque rite collatum proficere ad salutem. Idem patet ex *Nicolao I.* ad consulta Bulgarorum. Neque deest congruens ratio, quam affert *D.Thomas 3. part. q. 77. art.6.* nimirum quod sicuti sacramento summae necessitatis conveniens est materia facile omnibus obvia, & forma omnibus perceptibilis; ita conveniens fuit, ut minister possit esse quilibet homo viator. Ergo baptisma sive conferatur a fideli, vel infideli &c.

Prop. II.

Sacerdos est ordinarius Baptismi minister, sed non sine dependentia a superiore.

Prob. 1. pars. Ille est hujus sacramenti ordinarius minister, cui ex vi suae Ordinationis competit posse passim, & ordinarie ad id deputari. Atqui talis est Sacerdos, cui ex vi suae Ordinationis competit posse passim & ordinarie ad id deputari. Ergo. Prob. Minor ex Decreto *Eugenii IV. Minister hujus sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Prob. 2. pars. Si Sacerdos simplex sine aliquo superioris nutu baptizaret, Pastoris illius Ecclesiae, in quo degit baptizandus, jus violaret. Ergo &c.

Hinc colligitur, graviter peccare simplicem Presbyterum, qui inconsulto Parocho, vel Episcopo baptizandi, sine necesf-

ceſſitate auderet miniſtrare Baptiſmum .

Prop. III.

Diaconus eſt ſolemnis Baptiſmi miniſter , ſed extraordinarius .

Prob. 1. pars . Ille dicitur extraordinarius ſolemnis Baptiſmi miniſter , qui vi Ordinis ſui in caſu extraordinario deputari poteſt ad Baptiſmum ſolemniter miniſtrandum . Atqui hujuſmodi eſt Diaconus . Prob. Minor tum ex *Actorum VIII.* 28. ubi deſcribitur Baptiſmus a Philippo Diacono collatum Eunucho Reginae Candacis ; tum ex *Pontificali Rom.* in quo Epiſcopus candidatos Diaconos alloquens , dicit : *Diaconum oportet miniſtrare ad Altare , baptizare , & praedicare* . Ergo &c.

Prob. 2. pars , nempe quod ſit extraordinarius miniſter . Quia ſi ſine ſpeciali deputatione , & paſſim hoc Sacramentum miniſtrare poſſet , eſſet ordinarius & ſimplex Baptiſmi miniſter. Sed is ſolus eſt Sacerdos ex probatis . Ergo &c. Hinc *Gelaſius* Papa ad Epiſcopos Lucaniae vetat, ne Diaconi ſolemniter ſacramentum miniſtrent , niſi abſentibus Epiſcopo , & Sacerdote .

Ex his quae huc uſque dicta ſunt , colliges , graviter peccare Diaconum , & multo gravius quemcunque alium Diacono inferiorem , qui praeſente ſimplici Sacerdote ſacramentum hoc conferat . Ordo itaque ſervandus eſt , ut extra neceſſitatem

infantis Parochus, vel ex ejus licentia Sacerdos, aut Diaconus (si tamen absint Sacerdotes, & premat vere necessitas) ministrent. In necessitate vero, si fieri potest, Parochus praeferatur Sacerdoti, Sacerdos Diacono, Diaconus Subdiacono, Subdiaconus inferioribus Clericis, hi laicis, viri feminis, fidelis infideli, non excommunicatus excommunicato. Dixi, *si fieri potest*, nam excusat caussa pudoris: ut si etiam praesente Parocho obstetrix collationem baptismi edocta, infantem non omnino editum baptizet.

Utrum vero laicus, qui presente Subdiacono vel Clerico, in necessitate baptizet, graviter vel leviter peccet, diffidium est inter Theologos. Multi in hoc levem culpam agnoscunt. Ratio est, quia ideo grave peccatum est, si praesente Sacerdote vel Diacono, baptizet laicus, quia notabiliter violat jus superiorum ministrorum, & gravem irreverentiam in sacramentum committit. Ergo leviter peccat laicus, qui praesente Subdiacono baptizet, quia haec ordinis immersio notabilis non est, neque gravis irreverentia irrogatur sacramento.

Animadvertendum I. quod praescribit *S. Pius V. in Rituali Rom. Necessitate excepta in privatis locis nemo baptizare debet, nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipsis deposcentibus; dummodo id fiat in eorum Capellis seu Orato-*

toriis, *& in aqua baptiſmali benedicta*. Idem cautum fuit in Concilio *Viennenſi* ſub *Clemente V.* Et Parochis tranſgreſſoribus noſtra *Synodus* minatur poenam ſuſpenſionis . *Syn. Pignat. part. II. cap. 2. num. 2.*

Animadvertendum II. infantes quantocius baptizandos eſſe . Quod ſi parentes a Parochis admoniti neglexerint , & poſt diem octavum diſtulerint, noſtris ſynodalibus conſtitutionibus excommunicatione latae ſententiae plectuntur . Vide *Syn. eod. loco* .

Animadvertendum III. ex antiquiſſima Eccleſiae praxi vim legis habente in Baptiſmo ſolemni adhibendum eſſe eum , qui baptizatum e ſacro fonte ſuſcipiat , & quem modo *Patrinum* , a *Tertulliano ſponſorem* , ab *Auguſtino fidejuſſorem* , *a Moguntina Synodo Compatrem* appellatum reperies . Hujus inſtitutionis rationem affert *D. Thomas 3. part. 67. art. 7. Sicuti in generatione carnali parvulus nuper natus indiget nutrice*, *& paedagogo : ita in ſpirituali generatione Baptiſmi requiritur aliquis*, *qui fungatur vice nutricis*, *& paedagogi* , *informando & inſtruendo eum* , *quaſi novitium in fide* .

Patrinorum numerum ex Concilio *Tridentino* ad ſummum duo , unus , & una . Quod ſi plures offerantur, Parochum, duos ex eis eligere ex arbitrio poſſe , notat *Sylvius* . Non

Non omnes promiscue ad patrini munus admitti possunt, sed ii, qui vices paedagogi & magistri docentis in rebus fidei & morum implere valent. Merito ergo *Synodus* nostra ab hoc munere repellit minores quatuordecim annis, ecclesiastica censura innodatos, ac notorie flagitiosos. Aliis vero de caussis *cap.* Non licet *de Consesecratione dist.* 4. & *cap.* Monachi excluduntur expresse ab hoc officio Monachi, quos *Synodus* nostra sapienter intelligit de Regularibus cujuscunque ordinis, & procuratoribus Monialium; eandemque legem extendit ad Ecclesiasticos omnes, vetans, ne sine expressa licentia nostrae Curiae audeant Clerici id munus obire. Congruum enim est, divino cultui mancipatos arcere ab omni occasione, quae possit familiaritatem cum feminis inducere. Demum graviter prohibentur parentibus propriam prolem suscipere; nam alius debet esse pater carnalis, alius spiritualis. Quare qui secus faceret, a jure petendi debitum conjugalem excideret. Sed de hac re fusius, cum de *Matrimonii Tractatu* agetur.

Patrinorum officia haec: 1. baptizandos Ecclesiae offerre: 2. pro illis promittere: 3. loco illorum ad interrogata respondere, Symbolum recitare, fidem profiteri, & Satanae abrenunciare: 4. testes baptismi esse, & dubio occurrente, fidem facere: 5.de-

5. debitum contrahere imbuendi susceptum fidei morumque praeceptis. Animadvertendum tamen cum *D. Thoma 3. part. q. 67. art. 8. Patrinos excusari communiter inter fideles ab ejusmodi debito, quando haec instructio communiter a parentibus, & Parochis testatur. Si tamen*, inquit laudatus Doctor, *quocunque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium fidelium curam impendere.*

SECTIO IV.

De Subjecto Baptismi.

Omnis homo in statu vitae degens, seu vir seu mulier, Baptismi subjectum capax est. Horum alii infantes, alii adulti. Num ipsi infantes, an vero omnes adulti baptizari possint, sit

§. I.
De Baptismo Infantium.

Nota I. Infantium alii sunt fidelium filii, alii infidelium.

Nota II. Infidelium nomine intelliguntur sectae a Christiana Religione aversae, quales sunt Judaismus, Maumethismus, Ethnicismus. Haeretici licet vera quadam ratione infideles dici possint; tamen

men Ecclesiae, a qua descivere, subditi sunt, ut advertit *Druin de re Sacramentaria*.

Nota III. Triplex pro praesenti instituto infidelium status. In primo sunt, qui a Christianorum potestate liberi omnino vivunt. In secundo sunt alii, qui jure belli, emtionis, aut alterius tituli mera mancipia piorum Christianorum exsistunt. In tertio sunt illi, qui civili & mera politica subjectione Principibus Christianis parent. His positis, sit

Prop. I.

Infantes Baptismi capaces sunt, adeoque valide, & licite baptizari possunt.

Prob. I. ex antiquissima & universali Ecclesiae consuetudine, qua ab Apostolorum aevo, ut testantur Patres, parvuli ad Baptismum oblati sunt, ut participes essent beneficii Mediatoris.

Prob. II. ex Conciliis Oecumenicis *Viennensi*, & *Tridentino*. Primum enim inquit: *Credimus Baptisma esse tam adultis, quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem*. Ergo a parvulo recens nato usque ad decrepitum senem, nullus prohibendus est a Baptismate, ut ait *S. Leo I. Ep. 86.*

Hinc colliges, nonnisi prolem humanam baptizandam esse; quia soli homines peccatum originale contraxere, & Regni caelestis per sacramenta capaces sunt. Hinc mon-

monſtrum quod humanam ſpeciem nullatenus praeſefert, non debet baptizari: ſi vero dubitetur, num proles homo ſit, an brutum, baptizetur ſub conditione: ***Si tu es homo, ego te baptizo.***

Monſtruoſus autem foetus, qui a recta conſueta forma declinat, ut ſi habeat quatuor crura, duplicem ventrem &c. tunc ſi duo habeat capita, duoque pectora diſtincta, ſed unita; quia duo ſunt homines, ſinguli baptizandi ſunt. Si periculum immineat, unico Baptiſmo ambo baptizari debent hac forma: ***Ego vos baptizo.*** Si dubitetur duo ne ſint, an unus homo, tunc unus abſolute baptizetur, alter vero ſub conditione.

Prop. II.

Ad valorem Baptiſmi in infantibus non requiritur conſenſus eorum parentum.

Prob. *Non enim ſcriptum eſt*, inquit *Auguſtinus epiſt.* 23. *niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate: ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* Ergo ſemper ac materia, forma, & debita miniſtri intentio adſint, Sacramentum valet independenter a conſenſu parentum.

Prop. III.

Extra mortis periculum non licet baptizare infantes infidelium, invitis parentibus, qui Principibus infidelibus ſubjecti ſunt.

Prob. Infans, qui invitis parentibus in-

infidelibus baptizatur, vel parentibus eripitur, & violatur jus patriae potestatis, quod parentes habent retinendi, & educandi prolem nondum rationis compotem, nec propriam voluntatem habentem: vel sub paterna potestate relinquitur, & tunc infans manifesto periculo subversionis subjacet, & Sacramentum profanationi exponitur. Ergo &c.

Prop. IV.

Illicitum est baptizare infantes infidelium sine consensu parentum, Principibus Christianis politicis duntaxat subjectorum. Ita D. Thomas cum suis contra Scotistas.

Prob. I. ex usu Ecclesiae, quae, ut advertit *D. Thomas*, numquam apud Principes Christianos egit, ut cogeret infideles sibi subjectos ad Baptismum recipiendum, aut ad offerendos eorum parvulos ad Baptismum.

Prob. II. Mera civilis subjectio non adimit parentibus jus patriae potestatis. Ergo vel contra naturalem justitiam proles parentibus eripienda, vel baptizata in paterna domo periculo apostasiae exponenda.

Prop. V.

Infantes mancipiorum possunt, & debent baptizari, invitis parentibus, si eorum domini christiani sint.

Prob. Jus in prolem mancipii spectat ad dominum, qui potest eam vendere, vel donare. Ergo sine injuria potest illam a pa-

a parentibus ſubtrahere, & curare ut baptizetur, & in fide educetur; ad quod ſaltem ex caritate tenetur dominus, qui, ut advertit *Colet*, in locum patris ſuccedit.

Prop. VI.

Infidelium parvuli, inſciis parentibus, in periculo mortis licite baptizari poſſunt.

Prob. Haec agendi ratio & aeternae ſaluti infantium conſulit, & eorum parentes non offendit. Ergo &c. Puerulus enim morti proximus & a patria poteſtate diſcedit, & periculo ſubverſionis eripitur. Ergo &c.

Animadvertendum I. licite baptizari poſſe puerum, ſi unus parentum conſentiat, altero diſſentiente. E. G. Si mater, quae Chriſtianae Religioni nomen dedit, proprium infantem offerat, puer baptizari debet: quia conſenſus in favorem Religionis, & pueri utilitatem praevalere debet.

Animadvertendum II. pueros ſive jure, ſive injuria a parentibus infidelibus avulſos, & in longinquas regiones translatos, ut nulla ſit reditus ſpes, poſſe licite baptizari. Quia paterna jura, quae a parentibus exerceri nequeunt, ad eos tranſiere, qui puerorum curam gerunt.

Animadvertendum III. baptizandos eſſe pueros infidelium rationis compotes, qui baptiſmum petunt; quia in negotio ſalutis ſunt ſui juris: ſed tunc e domo paterna egredi debent, ſi aliter chriſtiane vivere nequeant. Ani-

Animadvertendum IV. publica Ecclesiae auctoritate infantes haereticorum, si opportunitas postulet, posse ex eorum manibus eripi, ut baptizentur, & rebus fidei cum adoleverint, instruantur. Quia haeretici per Baptisma Ecclesiae subditi sunt; ideoque possunt cogi ad servandam legem Ecclesiae offerendi liberos ad Baptismum.

Animadvertendum V. amentes a nativitate, qui nunquam usi sunt ratione, baptizandos esse instar infantium in fide Ecclesiae: illos vero, qui aliquando ratione usi sunt, baptizandos non esse, usque dum sanae mentis erunt, vel nisi tempore lucidi intervalli in eis voluntas suscipiendi Baptismum apparuerit. Ita *D. Thomas 3. part. q. 68. art.* 12.

§. II.

De Baptismo Adultorum.

Nota I. Adulti omnes, cujuscunque sint nationis, sexus, vel aetatis, baptizari possunt, si velint; quia Christus Dominus id generatim, & indistincte praecepit *Matthaei XXVIII. Docete omnes gentes*. Unde Apostoli non solum Judaeos, sed & Gentiles ad fidem conversos baptizarunt.

Nota II. In adulto, ut valide Baptismum recipiat, requiritur & sufficit intentio illud recipiendi. Nam Ecclesia Baptismum

mum ſive ab haereticis, ſive ab iis, qui ſincere converſi non fuerant, receptum, numquam iteravit. Confer huc ſuperius dicta de ſubjecto ſacramentorum in genere. Supereſt nunc, ut de diſpoſitionibus neceſſariis in adultis ſanae mentis, ut dignae, & cum fructu Baptiſmum recipiant, pauca delibamus. Sit ergo

Prop. Unica.

In adulto, ut praeter characterem, gratiam Baptiſmi recipiat, requiritur fides, ſpes veniae, initialis Dei amor, dolor de peccatis actualibus, & propoſitum efficax ſervandi omnia mandata, & chriſtiane vivendi; non autem confeſſio, vel ſatisfactio.

Prob. ex *Tridentino ſeſſ. VI. cap. 6.* in quo hi actus numerantur, ut adultus in Baptiſmo juſtificationem conſequatur. Et I. requiritur *fides*, qua explicite credat exſiſtentiam unius Dei remuneratoris, Myſterium Trinitatis, & Incarnationis, & generatim vere eſſe, quae divinitus revelata, & promiſſa ſunt; & imprimis a Deo juſtificari impium per merita Chriſti. Nam horum fides explicita neceſſaria eſt neceſſitate medii.

II. *Spes veniae*. Nam peccator debet ad Deum recurrere, tanquam aeger ad medium. Ergo in ſpem erigi debet, fidens Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore. De hac ſpe loquitur Chriſtus *Marci*

II.

II. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

III. *Initialis caritas*, qua Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiat; scriptum est enim *I. Joannis III. Qui non diligit, manet in morte.*

IV. *Poenitentia*, seu dolor de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cetero. *Actor. II. Agite poenitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum. Nullus enim*, ait *Augustinus Hom.* ult. inter quinquaginta, *qui suae voluntatis factus est arbiter, nisi eum poeniteat vitae veteris, novam inchoare potest.*

Dixi, *de peccatis commissis*, voluntate scilicet physice propria, seu actualibus. Nam, ut ait *D. Thomas in Suppl.q. 2. art. 2. in c. Contritio est dolor respiciens, & quodammodo comminuens voluntatis duritiem; & ideo solum de illis peccatis potest esse, quae ex duritia nostrae voluntatis in nos proveniunt. Et quia peccatum originale nostra voluntate non est inductum, sed ex vitiatae naturae origine contractum; ideo de ipso non potest esse contritio proprie loquendo, sed displicentia tantum, vel dolor.*

V. *Propositum efficax servandi omnia mandata, & christiane vivendi.* Nam adultus non potest admitti ad Dei amicitiam, nisi sincere velit praestare omnia, quae necessaria sunt ad eam amicitiam servandam. De hac dispositione scriptum est

Mat-

Matthaei ultimo: *Euntes . . . . baptizantes . . . docete eos servare quaecunque mandavi vobis.*

VI. *Non requiritur Confessio*. Quia baptizati non indigent remissione peccatorum per claves Ecclesiae, quibus omnia remittuntur per Baptismum. *D. Thomas 3. part. q.68. art.6. in c. Non satisfactio*. Quia Baptismus nullam post se relinquit poenam temporalem, quae luenda sit, ut infra dicemus.

Animadvertendum. Qui ficte, idest sine debitis dispositionibus Baptismum suscipit, illum valide suscipit; sed gratiam non recipit. Recedente vero fictione, seu sublato obice per contritionem perfectam, vel per sacramentum poenitentiae, sacramentum reviviscit, seu gratiam efficit, deletque peccata omnia tum originale, tum actualia ante Baptismum perpetrata. Ita *D. Thomas 3. part. q. 69. art.* 10. Peccata vero commissa in ipsa Baptismi susceptione cum affectu ad illa, etiam post Baptismum administratum confitenda sunt, & haec per poenitentiam delentur.

SE-

SECTIO V.

De Proprietatibus Baptismi.

Proprietates Baptismi sunt *necessitas*, & *unitas*.

§. I.
De Necessitate Baptismi.

Nota I. Potest aliquid ad salutem esse necessarium *necessitate* vel *medii*, vel *praecepti*. Illud dicitur necessarium primo modo, sine quo salus haberi nequit, & respectu cujus neque invincibilis ignorantia, neque physica impotentia suffragatur. Potest enim quis invincibiliter ignorare Baptismi legem, at non propterea gratiam, quae vi ejusdem infunditur, assequitur. Unde *negative* ob gratiae defectum, & *positive* ob peccatum sive originale, sive actuale damnationem incurrit. Necessarium secundo modo est, quod praecepto imponitur, & sine peccato omitti nequit; haberi tamen sine eo salus potest, si inculpate omittatur. Praeceptum sumendi Eucharistiam sine peccato violari non potest ab eo, qui valet, & tenetur ad ejus observantiam; potest tamen salutem consequi, quoties vel ex ignorantia, vel ex alio obstaculo ab ejusdem observantia impeditur.

Nota II. Aliquid potest dici necessarium vel *in re*, vel *in voto*. Necessarium in re dicitur, quod ita in individuo adhiberi debet, ut nihil sit, quod ejus vices suppleat. Illud est necessarium saltem in voto, quod necessario debet adhiberi, vel secundum se, vel in ejus defectu secundum aliquid, ejus vices tenens propter suam eminentiam, & ejus votum explicitum vel implicitum continens.

Nota III. Votum seu desiderium alicujus rei aliud est *implicitum*, aliud *explicitum*. Implicitum est, quando continetur in aliquo: ut votum Baptismi dicitur implicite contineri in actu caritatis, vel contritionis in eo, qui nihil cogitat de Baptismo. Explicitum est desiderium expressum, quod ex rei cognitione oritur: ut qui non potest habere baptismum in re, elicit actum contritionis cum expresso desiderio illum recipiendi. His positis, sit

Prop. I.

Infantibus omnibus Baptismus in re est necessarius necessitate medii extra casum martyrii.

Prob. 1.ª pars. Parvuli omnes cum peccato originali nascuntur. Sed Baptisma est unicum remedium a Christo institutum ad peccatum illud delendum, ut clare constat ex Evangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Hinc *Synodus*

Milevitana, cui anno 416. interfuit *Augustinus*, *Quicunque*, inquit *can.* 20. *parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat; aut dicit eos . . . . nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, anathema sit*. Idem contra Novatores definit *Tridentinum sess. V. can.* 4. Ergo &c.

Prob. 2. pars. Parvuli incapaces sunt voti, & desiderii Baptismi in actu caritatis contenti, quippe qui usu rationis carent. Ergo ut salutem consequi possint, eis necessarius est Baptismus in re.

Prob. 3. pars. Martyrium parvulis loco Baptismi inservit: ut patet in infantibus ab Herode in odium Christi trucidatis, qui in Ecclesia coluntur ut veri martyres. Ergo sicuti in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita & occisis propter Christum meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequendam. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 124. *art.* 1. *ad* 1.

Prop. II.

Baptismus in re, vel in voto adultis omnibus necessarius est necessitate medii, & praecepti extra martyrii casum.

Prob. 1. pars. Nemo salutem adipisci valet, nisi per Christum, & nisi Christo incorporetur, ejusque membrum fiat. Igitur ait Apostolus *ad Rom. V. Sicut per unius delictum in omnes homines in conde-*

demnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Atqui haec mystica incorporatio cum Christo, solo Baptismate fit, teste eodem Apostolo *ad Gal. III. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Ergo sine Baptismate salus obtineri non potest.

Prob. 2. pars. Illud supplet vices Baptismi, quo Deus hominem interius sanctificat. Atqui Deus, cujus potentia signis sensibilibus non alligatur, hominem interius sanctificat per votum seu desiderium Baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante. Ergo adultus cui deest Baptismus in re, cum ejus voto potest salutem consequi. Hinc *S. Ambrosius* de Valentiniano, qui Catechumenus mortem obiit, ajebat: *Quem regeneraturus eram, amisi; verum ille gratiam quam poposcit, non amisit*. Ita *D. Thomas 3. part. q. 68. art. 2.*

Prob. 3. pars. Adulti cum primum moraliter possunt, tenentur jure divino suscipere Baptismum; tum ex generali regula, qua quis tenetur ex caritate adhibere medium ad salutem necessarium; tum ex praecepto Christi positivo, lato in verbis, *Euntes docete &c.* quo homines tenentur Ecclesiam ingredi per Baptisma, & fidem Christi profiteri. Quod praeceptum relate ad adultos obligat ad Baptismum

non diu differendum; relate vero ad infantes urget eorum parentes, ut suis liberis brevi post eorum nativitatem Baptismum procurent. Unde ad id parentes tenentur non solum ex caritate, & pietate, sed etiam ex praecepto Baptismi.

Prob. 4. pars. Martyrium supplet vices Baptismi. Ergo. Ita Patres, & Theologi omnes. Hinc *S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. III. Si quis non baptizatur, salutem non habet, praeter solos martyres, qui sine aqua Regno Caelesti potiuntur.*

Ex dictis colliges celebrem Baptismi divisionem in Baptismum *fluminis*, *flaminis*, & *sanguinis*. Baptismus fluminis seu aquae, sacramentum est, quod confertur in aqua elementari. Baptismus flaminis est votum seu propositum suscipiendi Baptismum modo debito, conjunctum cum amore Dei, quo movetur ad credendum, & ad poenitendum de peccatis. Vices Baptismi fluminis supplet, cum *mysterium Baptismi non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit*. Ita *Augustinus* relatus in *can.* Apostolicam *de presbytero non baptizato:* sed non quoad omnes effectus; quia non imprimit characterem, non reddit hominem capacem ceterorum sacramentorum, nec delet omnem reatum poenae, sed solum quoad remissionem culpae. Hoc clare colligitur ex praxi Ecclesiae, quae preces, & hostias obtulit pro Catechume-

menis, qui in tali statu decesserunt: quam praxim secutus est *S. Ambrosius* in obitu Valentiniani. Dicitur autem Baptismus flaminis, cum sit partus perfectae caritatis a Spiritu Sancto, qui Flamen nuncupari solet, excitatus.

Baptismus sanguinis est martyrium seu mors pro Christi fide, vel vera virtute tolerata. Hic autem Baptismus supplet vices Baptismi fluminis quoad remissionem omnis culpae & poenae ex opere operato; non tamen quoad imprimendum sacramentalem characterem. Dispositiones requisitae in adultis ad suscipiendum Baptismum sanguinis sunt, 1. voluntaria acceptatio mortis in fidei odium illatae: 2. ut martyrium acceptetur ob fidem Christi, & ex motivo supernaturali per fidem proposito: 3. caritas saltem initialis: *Martyrium enim est actus caritatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis; & ideo sine caritate non valet*. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 124. *art.* 2. *ad* 2. Demum peccatores debent se disponere ad martyrium eodem modo, quo ad Baptismum, ac Poenitentiam sese disponerent.

§. II.
De Unitate Baptismi.

Nota. Baptisma *unum* dici potest eo sensu, quod idem sit apud omnes: nec praeter illud a Christo institutum, constans aqua in verbo vitae, aliud Christiani agnoscunt. De hac Baptismi Unitate loquitur Apostolus *ad Eph. IV. Una fides, unum Baptisma:* idest sicuti eadem credunt omnes fideles, ita & eisdem utuntur sacramentis tanquam externis symbolis, & praecipue Baptismate, quod a Patribus *fidei sacramentum* appellatur. Brevius, Baptisma unum dici potest 1. *unitate speciei*: 2. *unitate actus*, quod pluries eidem homini conferri non potest. De hac secunda unitate quaerimus in praesentia, an Baptismus iterari possit.

Prop. I.

Baptismus valide susceptus, sine gravi sacrilegio iterari non potest.

Prob. 1. pars. Quod non possit iterari, constat ex traditione, & praxi Ecclesiae. Hinc *Theodoretus in cap. VI. Epist. ad Heb. Multa*, inquit, *& frequenter adhibentur Baptismata apud Judaeos; hic autem Christi Baptismus unus est.* Idem definitum fuit in Conciliis *Florentino*, & *Tridentino sess. VII. can. 2.*

Prob. 2. pars. Iteratio Baptismi grave

ve sacrilegium est tam ex parte dantis, quam ex parte recipientis scienter; quia fit contra Christi institutionem, applicando sacramentum subjecto incapaci, & contra reverentiam sacramento debitam, voluntarie reddendo illud vacuum suo effectu.

Prop. II.

In dubio sive juris sive facti, sive negativo sive positivo Baptismus iterandus est.

Nota. Dubium aliud est *negativum*, cum nulla sunt indicia ad judicandum hominem esse baptizatum; aliud *positivum*, cum probabiles in utraque parte militant rationes. Rursus dubium vel est *juris*, vel *facti*: juris, si aeque dubitetur, an valeat Baptismus tali materia, vel forma collatus; facti, si incertum sit, an Baptisma datum fuerit. His positis,

Prob. Iteratione Baptismi in propositis dubiis, & aeternae providetur saluti eorum, qui in probabili damnationis periculo versantur ob carentiam Baptismi; & tali cogente necessitate nulla irrogatur injuria sacramento, quod propter hominum salutem institutum est. Ergo licite in hisce circumstantiis Baptisma iterari potest, & debet. Apposite *S. Gregorius lib. XII. Epist.* 31. ait: *Ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat; quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum*. Idem probatur ex

variis Canonibus, qui licet de dubio facti expresse loquantur, intelligendi etiam sunt de dubio juris. Nam qui dubitat, an Baptismus sit datus cum legitima materia, vel forma, aequivalenter dubitat, an Baptismus sit vere collatus.

Ex dictis colliges, sub conditione baptizandos esse I. infantes expositos, & inventos sine schedula testante de Baptismo suscepto : imo etiam cum ea. Nam schedula ab incertae fidei auctore non potest pro teste certissimo haberi, & moralem parere certitudinem. Hinc Concilium *Carthagin. V.* relatum in *Can.* Placuit, *de Consecrat. dist.* 4. *Placuit*, inquit, *de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo esse baptizandos*.

II. Baptizatos ab obstetricibus, praesertim si convictae fuerint aliquando non recte baptizasse, vel si non firme & constanter respondeant, quam in baptizando materiam vel formam adhibuerint.

An vero liceat promiscue sub conditione repeti Baptisma in necessitate a patre, matre, obstetrice collatum, gravis est inter Theologos disceptatio. Alii docent sine sacrilegio iterari non posse Baptisma collatum ab obstetrice bene morata, instructa; quia de valore Baptismi ab ea collati prudenter, & rationabiliter dubitari

non

non poteſt. Ita *Sotus*, *Sylveſter*, & ſevere *Eſtius in IV. diſt.*4. §. 15. Alii vero negant credendum eſſe feminae quoad Baptiſmum. Nam mulieres urgente neceſſitate turbari ſolent, & ob periculum & rugitus parturientis vix ſunt ſui compotes; nec ipſaemet ſciunt bene ne, an male fecerint; nec verentur dictitare ſe animo fuiſſe praeſentes, ne pro imperitis habeantur, & deinceps excludantur ab officio. Denique experientiâ compertum eſt, multas ex iis, quae pro prudentibus & timoratis habentur, vanis obſervationibus & ſuperſtitionibus deditas fuiſſe. Unde concludunt, prudens dubium efformari poſſe de validitate Baptiſmi ab iis miniſtrati: laudant pro eorum ſententia *Synodum Metilinenſem*, & *Hiprenſem* ſub *Martino Ritorio*.

Utramque opinionem temperans Auctor *Collat. Andegav.* docet pag. 263. Baptiſma a quacunque obſtetrice collatum, repetendum eſſe ſub conditione, quoties deſunt teſtes, ad minus duo, qui nihil neceſſarii ab ipſa omiſſum eſſe confirment. Id etiam praecipiunt Concilia *Eboracenſe* anno 1576. nixum *Pauli V.* decreto, *Rothomacenſe* anno 1581. & *Aquiſextenſe* anno 1585. quae vetant, *ne uni feminae, ſeu alteri privatim baptizanti credi poſſit*. Huic deciſioni non adverſatur *Synodus Neapolitana* anno 1726. quae ſtatuit, infantes, quos obſtetrices baptizaverint, eſſe rebaptizandos,

nisi certo constet esse rite baptizatos. Nam certo non constat, quod testimonio unius licet oculato asseritur; quia si in aliis longe inferioris momenti materiis testis unus est nullus; nec etiam unus sufficit, ut in re praesenti fidem faciat.

SECTIO VI.

De Baptismi Effectibus.

Praecipui Baptismi effectus ad tres restringi possunt: 1. ut tollat omnem culpam, & poenam, si non adsit obex: 2. ut ex opere operato conferat gratiam sanctificantem, & virtutes infusas, quibus homo revera sanctificatur: 3. ut imprimat characterem, vi cujus iterari non possit. De secundo, & tertio effectu satis dictum est in *de Sacram. in gen.* De primo superest nunc aliquid dicendum.

Prop. I.

Baptismus, secluso obice, tollit omne peccatum tam originale, quam actuale; unde confert gratiam, qua homo interius sanctificetur.

Prob. ex Scriptura. Homines per Baptisma renascuntur, renovantur, regenerantur, exuunt veterem omnem immunditiam. Ergo omnia peccata, quae ad veterem vitam pertinent, in Baptismo delentur per veram interioris gratiae renova-

vationem, & veram peccati mortem. Scripturae teſtimonia alioquin obvia praetereo. Hanc quoque doctrinam definitam legimus in Concilio *Florentino* in dec. ad *Armenos*. *Sacramenti Baptiſmi effectus eſt remiſſio omnis culpae originalis, & actualis, omnis quoque poenae*.

Concupiſcentia, quae in renatis remanet, peccatum dicitur in Scripturis; non quia vere, & proprie in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. *Trident. ſeſſ. V. can.* 5.

Prop. II.

Baptiſmus, ſecluſo obice, poenam omnem peccatis debitam remittit.

Prob. ex *Tridentino ſeſſ. V. cap.* 5. *Nihil eſt damnationis in iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſmum . . . . . . ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu Caeli removeatur*. Ergo.

Poenae temporales, quas *poenalitates* Theologi vocant, nempe fames, ſitis, morbus, & mors ipſa, quae ſtipendium peccati eſt, in baptizatis remanet, ut materia & occaſio ſpiritualis certaminis, in quo homo pugnans, victoriae coronam accipiat: *Baptiſmus habet virtutem auferendi poenalitates praeſentis vitae; non tamen eas aufert in praeſenti vita, ſed ejus virtute auferuntur in reſurrectione*. *D. Thomas 3. part. q. 69. art.* 1.

APPENDIX

De Baptismi Caerimoniis.

Caerimoniae Baptismi petendae sunt ex Ritualibus cujuscunque Ecclesiae. Universim tamen haec servanda sunt, 1. ut extra necessitatem Baptismus non conferatur, nisi in aqua benedicta: 2. ut Baptismus solemnis non administretur nisi in templo, exceptis casibus supra expositis: 3. ut non adhibeantur aliquae caerimoniae, omissis aliis. Sed si in necessitate praetermissae sint, suppleri debent, etiam ipsi exorcismi & insufflationes. *Nec frustra supplentur*, ait *D. Thomas in IV. dist. 6. q. 2. art. 3. post Baptismum. Quia sicut impeditur effectus Baptismi, antequam percipiatur; ita potest impediri, postquam susceptus est.* Vide *Gibertum Consultat.* 1. & 2. *de Baptismo.*

CAP.

CAP. II.

De Confirmatione.

SAcramentum hoc tripliciter nominatur. 1. Vocatur *manuum impositio*, ex modo ipsum conferendi. 2. Dicitur *Confirmatio*, quia virtute hujus sacramenti ad fidem Christi coram hominibus confitendam roboramur. 3. Appellatur *Chrisma*, eo quod chrismatis unctio in ejus collatione adhibetur.

Confirmatio est *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo baptizatis per orationem, & manuum impositionem Episcopi datur Spiritus Sanctus ad fortiter Christi fidem confitendam.* Dicitur 1. *Sacramentum a Christo Domino institutum*; ut jam definitum est in Conciliis *Florentino*, & *Tridentino*. Dicitur 2. *Quo baptizatis per orationem, & manuum impositionem Episcopi.* Verba haec materiam, & formam, & ordinarium hujus sacramenti ministrum explicant. 3. Datur *Spiritus Sanctus ad fortiter & firmiter Christi fidem confitendam*. Effectus sacramenti exponitur, qui est confirmare fideles ad spiritualem pugnam.

§.I.

§. I.
De Materia, & Forma Confirmationis.

Nota I. Duplex materia in hoc sacramento adhibetur: una est *manuum impositio*, *chrismatis unctio* altera. Duplex itidem forma: Prima est *oratio*, quae manuum impositioni additur. Altera *verba* sunt, quae profert Episcopus, cum unctionem applicat. Ex his quaenam materia *essentialis* & *adaequata* hujus sacramenti, quaenam vero *accidentalis* dici debeat, inter Theologos non leve diffidium est.

Nota II. Essentialis & adaequata materia sacramenti dicitur illa, quae ex Christi institutione apta est ad producendum sacramenti effectum, & sine qua sacramentum destruitur. Accidentalis vero dicitur illa, quae non a Christo instituta, sed ab Ecclesia usurpata est, ut clarius significaret sacramenti effectum; & sine qua valet sacramentum.

Prop. I.

Confirmationis materia essentialis & adaequata, est manuum impositio; chrismatis vero unctio est tantum accidentalis.

Prob. 1. pars. 1. In Scriptura nulla de chrismate, sed de sola manuum impositione fit mentio, ut patet *Actor. VIII. Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* 2. Uni manuum im-

impofitioni Scriptura & Patres fpiritalem gratiae effectum tribuunt. Ergo.

Prob. 2. pars. In collatione facramentorum illa dicitur materia accidentalis, qua Apoftoli ufi non funt. Atqui chrifma Apoftoli non ufurparunt, fed folam manuum impofitionem. Ergo unctio chrifmatis in hoc facramento accidentalis eft, & ab Ecclefia inftituta.

Prop. II.

Confirmationis forma effentialis eft oratio Epifcopi, dum manus imponit fuper neophytum; verba vero, quae unctionem comitantur, accidentalia funt facramento.

Prob 1. pars. Illud pro forma effentiali in hoc facramento haberi debet, quod Ecclefia ab Apoftolis accepit, quod femper & ubique adhibuit, cui virtutem conferendi Spiritum Sanctum ad robur adfcripfit. Atqui talis fe habet oratio, quae manuum impofitionem comitatur. Ergo. Nam 1. *Actor. VIII. Oraverunt pro ipfis, ut acciperent Spiritum Sanctum ... tunc imponebant fuper eos manus, & accipiebant Spiritum Sanctum.* 2. Ex Ritualibus Latinorum, & ex Euchologiis Graecorum clare patet, Ecclefiam femper in hoc facramento invocationem Spiritus Sancti adhibuiffe. 3. Patres huic invocationi tribuunt effectum facramenti. *Cyprianus ep.* 83. *Qui in Ecclefia baptizantur, Praepofitis Ecclefiae*

siae offeruntur, ut per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur.

Prob. 2. pars. 1. Quia altum apud antiquos Patres silentium de forma indicativa, *signo te*. 2. Verba quae accidentalem materiam comitantur, nonnisi accidentalia sunt. Atqui unctio ex dictis accidentalis est: Ergo & forma, quae in ejus applicatione profertur. Qui plura cupit legat Card. *Bonam*, & praeclarissimum opus *Sanbovii de Confirmat.*

Licet utraque opinio absque fidei dispendio defendi possit, in praxi tamen religiose servanda sunt ea omnia, quae in collatione hujus sacramenti ab Ecclesia adhibentur. Unde juxta regulam *Innocentii III.* in *cap.* Pastoralis, *extra de Sacramentis non iterandis*, si aliquid de sacro ritu adhibitum non fuerit, caute supplendum est. *In talibus*, ait Pontifex, *non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerit praetermissum.*

§. II.
De Ministro, & Subjecto Confirmationis.

Prop. I.

Solus Episcopus est ordinarius Minister Confirmationis.

Prob. 1. ex *Tridentino sess. VII. can.* 3. 2. Ex *can.* Manus, *de Consecratione dist.* 5. *Sa-*

5. Sacramentum hoc nonnisi ab Apostolis legitur, aut scitur fuisse peractum. Ergo non ab aliis, quam ab illis, qui eorum tenent locum, unquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter praesumtum fuerit, irritum & habeatur, & vacuum, & inter Ecclesiastica nunquam reputabitur sacramenta.

Prop. II.

Simplex Sacerdos ex commissione Rom. Pontificis potest valide, & licite confirmare.

Prob. ex *Eugenio IV.* in decreto. Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili & urgenti admodum caussa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto administrasse hoc Confirmationis sacramentum.

Prop. III.

Omnis & solus homo baptizatus, est subjectum capax Confirmationis.

Prob. 1. pars. Quia Baptismus est janua ceterorum sacramentorum. Ergo &c.

Prob. 2. pars. Si viatorum aliqui essent Confirmationis incapaces, hi essent vel pueri, vel perpetuo amentes, vel energumeni. Atqui non infantes, ut ex consuetudine duodecim seculorum Ecclesiae tum Graecae, tum Latinae evincitur: non perpetuo amentes; nam isti non minus crescere, & perfici in gratiam possunt, quam spiritaliter regenerari: non energu-

me-

meni a ſacro chriſmate arcendi ſunt, ut robuſtiores contra daemones fiant. Demum ſurdos, & mutos confirmandos eſſe, docent omnes. Ergo &c.

Prop. IV.

Circa aetatem, qua ſuſcipienda ſit Confirmatio, nulla eſt lex univerſim obligans.

Prob. Eccleſia Orientalis antiquum ſervat ritum de confirmando ſtatim poſt Baptiſma, idque ſciente, & approbante Eccleſia Rom. Apud Latinos vero judicarunt plures Synodi, *convenientius & utilius eſſe, ſi infans, ut confirmetur, ſupra ſeptimum aetatis annum progreſſus fuerit, ut ea quae agantur, intelligat.* Ita *Colonienſis* anno 1538. Idem ſtatuit *S. Carolus* Unde hîc valere debet regula *Auguſtini Epiſt.* 36. alias 86. *In his rebus, in quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt.*

Animadvertendum tamen, etiam num in Eccleſia Latina ſancte & licite conferri poſſe Confirmationis ſacramentum ſeptennio minoribus, urgente periculo vitae, aut futura diuturna abſentia Epiſcopi, vel alia neceſſitate, aut juſtâ cauſsâ.

Prop. V.

Adulti confirmandi, ſi alicujus gravis culpae ſibi ſint conſcii, praemittere Confeſ-

ſio-

ſionem debent, aut ſaltem contritionem.

Prob. Ita *Pontificale Rom. Adulti deberent prius peccata confiteri, & poſtea confirmari, vel ſaltem peccata, quae admiſerunt, doleant.*

§. III.
De Neceſſitate Confirmationis.

Nota. Permulti recentiores Theologi negant, exſtare praeceptum aliquod ſive divinum, ſive eccleſiaſticum Confirmationis ſuſcipiendae. Ita *Leander Tract. III. diſt.* 1. *q.* 5. Olim fuiſſe, ſed nunc per deſuetudinem deſiiſſe illud praeceptum, contendit *Dicaſtillus* apud *Croix*. Tandem diſputant, an ſit ſaltem peccatum veniale hoc ſacramentum ex negligentia omittere. Veniale eſſe probabilius cenſet idem *Leander*: nec veniale quidem, praeciſo contemtu, & ſcandalo, docet *Dominicus Viva* in ſuo *Curſu Theologico part. VII. q.*3. *art.*2. *num. 6.* Contra hujuſmodi propoſitiones, quae laxitatem redolent, ſit

Prop. I.

Confirmatio non eſt neceſſaria neceſſitate medii.

Prob. Omiſſa inculpabiliter Confirmatione, ſalus obtineri poteſt. Ergo. Nam nihil eſt damnationis iis, qui ſunt cum Chriſto Jeſu: ut ſunt omnes per Baptiſmum. Ergo &c. Prop.

Prop. II.

Sacramentum Confirmationis est necessarium, divini & ecclesiastici praecepti necessitate.

Prob. I. *Actor. VIII.* describitur sollicitudo, & ingens studium Apostolorum, ut baptizati confirmarentur. Atqui ista sollicitudo, & ardens zelus praeceptum divinum prodit. Ergo. Cur enim tanta cura ministrandi hoc sacramentum, si nulla foret necessitas illud suscipiendi?

Prob. II. ex Patribus. *Cyprianus Ep.* 70. *Ungi necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate . . . . . esse unctus Dei, & habere in se gratiam possit.* Concilium *Laodicense can.* 48. *Oportet eos, qui illuminantur post Baptismum, inungi super caelesti chrismate. Petrus Damianus serm.* 1. *in dedicat. Ecclesiae: Decretales paginae, & Sanctorum Patrum instituta decernunt, non esse differendam post Baptismum sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor.* Concilium *Mediolanense IV. Si quis neglexerit* (ejus susceptionem) *canonicis subjaceat disciplinis*. Ex quibus omnibus sic: Quod ex unanimi consensu Patrum *necesse est, oportet fieri*, quod faciendum *Decretales paginae decernunt*, non ut indifferens, sed ut necessarium judicandum est. Atqui. Ergo &c.

Prob.

Prob. III. ex ſcopo, & fine inſtitutionis hujus ſacramenti. Confirmatio a Chriſto inſtituta eſt, ut medium per ſe certum & ordinarium ad dandam ſpiritualem fortitudinem, & incrementum vitae ſpiritualis; & non modo ad fidem coram tyrannis profitendam, ſed ad ſuperandas tentationes contra fidem, quibus adultus quiſque obnoxius eſt. Atqui incredibile eſt Chriſtum tam peculiare praeſidium inſtituiſſe, veluti rem indifferentem, & ſine gravi intentione, ut eo fideles uterentur. Ergo &c.

Ex dictis colliges I. graviter peccare 1. illum, qui ex formali contemtu ſacramentum hoc negligit: ut ſi quis nihili faciat, aut puerile ſeu vile habeat. Ita Theologi omnes. 2. Qui Confirmationem ſuſcipere omittit ex contemtu interpretativo, & virtuali: ut ſi quis commode cum poſſit, negligit. Ita ſaniores Theologi.

Colliges II. parentes teneri adducere filios ad Epiſcopum, cum Confirmationi recipiendae idoneam aetatem attigerint. Nam Canones Poenitentiales trium annorum poenitentiam imponunt parentibus, quorum negligentiâ filius ſine Confirmatione deceſſerit.

Colliges III. Epiſcopos teneri ſub mortali Confirmationem non raro adminiſtrare. Nam ratio, quae jubet confirmari

ri me ab Episcopo, jubet praesto esse Episcopum, qui me confirmet.

Prop. III.

Praeceptum Confirmationis quatenus divinum est, obligat tempore persecutionis, graviorisve contra fidem tentationis, & praesertim in mortis periculo.

Prob. 1. & 2. pars. Si quandoque urget recipiendi sacramenti obligatio, tunc eo vel magis, cum effectus ejusdem necessarius est. Atqui tempore persecutionis, & gravioris tentationis contra fidem, baptizati indigent Confirmationis effectu, nimirum spirituali fortitudine, quo sint constantes in fide. Ergo &c.

Prob.3. pars. Concilium *Parisiense VI. lib. I. can.* 33. inquit: *Infirmis, & morte periclitantibus sicut baptismatis gratiâ succurrendum est; ita incunctanter donum Spiritus Sancti est tradendum*. Fidelis enim moriturus non confirmatus versatur in probabili periculo non amplius recipiendi sacramentum spiritualis incrementi, ad quod jure divino obligatur. Ergo si commode potest, hîc & nunc illud recipere tenetur.

Animadvertendum in adulto morituro, qui Confirmationem recipere non potest, sufficere votum saltem implicitum suscipiendi hoc sacramentum, inclusum in voto totius divinae legis servandae.

Con-

Prop. IV.

Confirmationis praeceptum quatenus ecclesiasticum obligat 1. *cum Episcopus dare paratus est, nec justam differendi rationem habet baptizatus:* 2. *cum imminet Tonsurae Clericalis receptio.*

Prob. 1. pars. Concilium *Senonense* anno 1524. relatum a *Natali ab Alexandro* inquit: *Omnes Christiani, tam viri, quam mulieres usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere Confirmationem. Contemni autem dicitur, quando Episcopus est praesens paratus dare, & persona hoc sciens negligit, aut despicit suscipere.* Adultus baptizatus tenetur ex praecepto Ecclesiae Confirmationem recipere. Ergo saltem tenetur eo tempore, quo non ita difficile est illud adimplere. Atqui cum Episcopus est paratus, nec justam differendi caussam habet baptizatus, facile est illud adimpleri. Ergo.

Prob. 2. pars auctoritate *Tridentini sess. XXVIII. cap. 4. de Refor. Primâ Tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.*

Animadvertendum, nullam incurrere irrregularitatem, qui priusquam Confirmationem recipiat, Clericali Tonsurà initiatur.

§.IV.

§. IV.
De Effectibus Confirmationis.

Duplex Confirmationis effectus: *gratia*, & *character*.

Prop. I.

Confirmatio gratiam sanctificantem producit, non quidem primam saltem per se, sed secundam.

Prob. 1. pars. In Confirmationis susceptione confertur Spiritus Sanctus: *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum, Actor. VIII.* Atqui Spiritus Sancti communicatio sine gratiae infusione non fit. Ergo si Spiritus Sanctus in hoc Sacramento communicatur, gratia sanctificans confertur.

Dixi, *saltem per se:* quia per accidens potest conferre primam gratiam in eo, qui nihil sibi conscius, sed non justificatus, sufficienter tamen dispositus ad sacramentum accedit. Lege quae dicta sunt in *de Effectibus Sacrament. in gen.*

Prop. II.

Gratia Confirmationis propria, est gratia perficiens, & corroborans ad fidem intrepide confitendam contra universos fidei hostes.

Prob. ex *Can.* Spiritus Sanctus, *de Consecrat. dist. 5. Spiritus Sanctus in fonte*

te baptiſmi plenitudinem tribuit ad innocentiam; in Confirmatione augmentum praeſtat ad gratiam. In baptiſmo generamur ad pugnam: In baptiſmo abluimur, poſt baptiſma roboramur. Ergo &c.

Prop. III.

Confirmatio imprimit in anima characterem ſpiritualem, & indelebilem.

Prob. Definitum fuit a *Tridentino ſeſſ. VII. can. 9.* Inſuper probatur ex *D. Thoma 3. part. q. 72. art. 5. in c. In Confirmatione accipit homo poteſtatem ad agendum ea, quae pertinent ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei. Sicut patet exemplo Apoſtolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in caenaculo perſeverantes in oratione: poſtmodum vero egreſſi non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei chriſtianae; & ideo manifeſtum eſt, quod in ſacramento Confirmationis imprimitur Character.*

APPENDIX

De Caerimoniis Confirmationis.

Inter caerimonias ad Confirmationem ſpectantes aliae antecedunt, aliae comitantur, aliae ſubſequuntur Confirmationem.

Ex antecedentibus prima eſt conſecratio chriſmatis ab Epiſcopo facta. Latini

chrisma conficiunt oleo ex olivis, & balsamo. Graeci praeter oleum, balsamum, triginta quinque aromatum seu herbarum fragrantis odoris species miscent, vinumque adjiciunt. Ita *Goarius* in *notis ad Ritualia Graecorum*. Insuper chrisma ex veteri Ecclesiae lege debet esse novum, idest illo anno consecratum die coenae Domini, veteri combusto.

Altera est electio patrini, qui offerat neophytum confirmandum. Ex antiquissima Ecclesiae Romanae consuetudine patrinus debet esse unus tantum confirmatus, vel una, non minor quatuordecim annis, natuque major eo quem tenet, diversus a patrino baptismi, & ejusdem sexus cujus est confirmandus. Parentes non possunt tenere proprios filios, nec maritus uxorem, aut uxor maritum. Insuper excluditur Monachus, & quivis alius Regularis, nisi confirmandus esset pariter Monachus. Item unus non potest unâ eademque die esse patrinus, nisi duorum tantum. Demum patrini in brachiis teneri infantes debent; adulti vero *ponunt pedem super pedem dextrum patrinorum*, ut habetur in *Sacramentario Gregorii M.* & in *Pontificali Rom.* Nunc ex receptissima consuetudine, approbata a Sacra Rituum Congregatione 20. Septembris 1749. in una Taurinensi, Patrini manum dextram super confirmandorum dextrum humerum ponunt. Nam

qui

qui hoc Sacramentum accipit, ait *D. Thomas* 3. *part. q.* 72. *art.* 10. *ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus*. De cognatione spirituali, quae ex confirmatione oritur, abunde in *Tract. de Matrimonio* disputabitur.

Ex comitantibus 1. spectari potest locus, tempus, hora. *Locus:* Debet in Ecclesia conferri; potest etiam extra Ecclesiam, loco tamen decenti. *Tempus*: Olim conferebatur potissimum in Paschate, & Pentecoste; nunc omni anni tempore. *Hora:* Ex antiquo ritu hora tertia, nunc etiam a prandio. 2. Sacrae vestes, quibus minister ornari debet ad hoc sacramentum mistrandum. Hinc Episcopus graviter peccat, si sine mitra, stola, & baculo pastorali confirmet. 3. Confirmandus qui animo contrito, & Poenitentiae sacramento purgato, ut loquitur *Synodus Neapolitana*, sine vano, & procaci corporis cultu, & procul a pompis diaboli, quibus in baptismo renunciavit, genuflexus, manusque ante pectus tenens, post orationem, & manuum impositionem, ab Episcopo signatur chrismate signo Crucis in fronte, propter duo, ait *D. Thomas* 3. *part. q.* 72. *art.* 9.: 1. quidem, *ut in manifesto se monstret esse Christianum:* 2. *ut neque per timorem, neque per erubescentiam nomen Christi confiteri praetermittat*. Potest etiam & ejus nomen mutari, praesertim

si turpe, ridiculumve sit, neque plane conveniens homini Christiano. Vide Concilium *Mediolanense V.*

De subsequentibus Confirmationis ritibus haec scienda sunt. Episcopus alapa leviter percutit confirmatum, ut recordetur se hoc recepisse sacramentum. Ita *Synodi Senonensis*, & *Carnotensis:* vel secundum *Catechismum Rom.* ut meminerit Confirmatus, se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda. Postremo pax Confirmato datur, ut intelligat se gratiae caelestis plenitudinem, & pacem, quae exsuperat omnem sensum, consequutum esse.

TRA-

TRACTATUS
DE EUCHARISTIA, ET ORDINE.

PARS I.

De Eucharistia.

UNica tractatione haec duo conjungimus sacramenta: per quae visibile sacrificium, & sacerdotium a Christo accepimus, quaeque Dei ordinatione semper conjuncta fuere. Itaque Eucharistia Graeca vox est, latine *gratiarum actionem* significans; quia in ejus usu gratias Deo agimus, ut docet *Justinus Martyr Apologia II.* Dicitur etiam *Communio:* quia omnes in eadem mensa communicamus, & ejusdem cibi participes sumus. *Viaticum* quoque nuncupatur, quia fideles ex hoc mundo ad caelestem patriam discessuri, hoc divino viatico reficiuntur. Lege *D. Thomam 3. part. q. 73. art.* 4. in quo pro more varias congruentes rationes assignat, cur

hoc sacramentum diversis nominibus a SS. Patribus appelletur.

Cum autem Eucharistia & sacramentum sit, & sacrificium, sub hac duplici ratione considerata sermo instituendus est.

C A P. I.

De Eucharistia ut Sacramento.

DEfinitur Eucharistia : *Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini realiter contentorum, ad spiritualem fidelium alimoniam, a Christo ipso institutum* . Explicatur definitio. 1. Eucharistia dicitur *sacramentum* : quia species sensibiles, sive accidentia panis, & vini sunt signum externum, quo gratia sanctificans significatur, & producitur, juxta illud *Joannis III. v. 2. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*. 2. Sacramentum *corporis, & sanguinis Christi*. Hoc singulare & excellens in hoc sacramento reperitur, quod substantialiter corpus & sanguinem Christi Domini contineat. 3. Dicitur, *institutum ad spiritualem fidelium alimoniam* ; quia Eucharistia datur, & accipitur per modum alimenti. Nam sicut panis communis, quem quotidie edimus, vita corporis est; ita panis iste

iſte ſuperſubſtantialis vita eſt animae, & ſanitas mentis. Ita *Cyprianus ſer. de Coena Domini*. De hoc ſanctiſſimo ſacramento, omiſſis, quae ad polemicos Theologos ſpectant, & quae inutiliter Scholaſtici diſputant, breviter pro more de Materia, Forma, Miniſtro, Subjecto &c. agemus.

SECTIO I.

De Materia Euchariſtiae.

Euchariſtiae ſacramentum inſtitutum eſt per modum convivii ſpiritualis. Convivium autem conſtat cibo, & potu. Hinc duplex eſt partialis materia, qua conficitur Euchariſtia, nimirum *panis*, & *vinum*. His poſitis, ſit

§ I.

Utrum ſolus panis triticeus, & vinum de vite ſit materia Euchariſtiae.

Prop. I.

Solus panis triticeus, & vinum de vite eſt neceſſaria Euchariſtiae materia.

Prob. I. Ea eſt neceſſaria Euchariſtiae materia, quam in hujus ſacramenti inſtitutione Chriſtus deſignavit atque adhibuit. Atqui &c. Prob. *Matth. XXVI. 26. Accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite, &*

& comedite : hoc est corpus meum . Similiter de materia calicis haec subdit ibid. Evangelista : *Accipiens calicem . . . dicens . . . hic est enim sanguis meus . . . dico autem vobis : non bibam amodo de hoc genimine vitis usque &c.* Ergo.

Prob. II. ex perpetua & universali Ecclesiae traditione, quae nonnisi panem triticeum, & vinum de vite pro materia Eucharistiae usurpavit. Hinc *Eugenius IV.* in dec. ad *Armenos* ait : *Tertium est Eucharistiae sacramentum , cujus materia est panis triticeus , & vinum de vite , cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet.* Ergo &c.

Prop. II.

Utraque materia panis , & vini ita necessaria est ad hoc sacramentum conficiendum , ut per se nunquam licite possit una absque alia consecrari . Ita cum D. Thoma communiter graviores Theologi contra Dianam , & alios .

Prob. Eo modo consecrari Eucharistia debet, quemadmodum Christus Dominus praecepit . Atqui Christus Dominus simul utramque speciem consecrari praecepit . Ergo . Nam ex *Tridentino sess. XXII. cap.* 1. Christus per haec verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, id Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus fieri praecepit, quod ipse fecerat ; ipse vero sub utraque specie consecravit . Ergo.

Hinc

Hinc colliges I. utriusque speciei consecrationem esse juris divini, ita rigorosi, ut ne urgente quidem necessitate extrema liceat alterutram tantum speciem consecrare, ut scilicet detur morituro viaticum: neque etiam summus Pontifex in aliquo necessitatis casu hoc divinum praeceptum dispensare, aut interpretari possit. Quia licet hujusmodi sacramentum sit summae utilitatis, non est tamen absolutae necessitatis, ut praeceptum sumendi Eucharistiam praevalere debeat praecepto servandae integritatis sacrificii: quod in una specie sola immolari non potest, ut suo loco videbimus.

Opponunt, *Innocentium VIII.* anno 1490. dispensasse cum Norvergis, ut in solo pane consecrarent ob vini illuc asportandi difficultatem. Fabulosum esse hoc Pontificium diploma, & a *Volaterrano* obtrusum pro Novergis, ostendit *Suarez*: neque adduci potest aliquod Pontificium diploma certum, ex quo evincatur, Pontifices aliquando in hac materia dispensasse.

Colliges II. per se non licere unam solam speciem consecrari: sed per accidens posse mutilum effici sacrificium: puta si statim post consecrationem hostiae Sacerdos timens subitum mortis periculum ob imminentem Templi ruinam, vel ob hostium incursionem, a consecrando vino abstineat. Quia secluso religionis contem-

tu, positive id genus leges non obligant cum vitae dispendio.

Colliges III. etsi licite alterutra tantum species consecrari non possit, valide tamen fieri. Nam consecratio unius speciei non pendet a consecratione alterius. Ideo ante consecrationem calicis, fideles hostiam statim consecratam adorant.

Colliges IV. ex hac duplici Eucharistiae materia non sequi duplex esse specie sacramentum, sed unum moraliter. Quia Eucharistia instituta est per modum spiritualis refectionis, quae constat cibo, & potu, secundum illud *Joannis VI. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Vide *D. Thomam* 3. *part. q.* 73. *art.* 2.

§. II.

De Conditionibus requisitis in pane consecrando.

Prop. I.

Ut panis sit idonea Eucharistiae materia, debet esse ex farina triticea, & aqua naturali confectus, & igne tostus, sive assus, atque in sua specie incorruptus.

Prob. 1. Ex dictis Christus pro materia Eucharistiae designavit, adhibuitque verum & communem panem. Atqui panis usualis, ac simpliciter dictus talis, & aliorum ciborum comes sic conficitur. Ergo.

2.

2. Ex praxi Eccleſiae, quae ſemper panem eo modo confectum uſurpavit.

Hinc colliges I. ineptam hujus ſacramenti materiam eſſe panem confectum ex milio, lentibus, fabis; item ex arborum fructibus, puta caſtaneis, nucibus, amygdalis: imo neque ex farre, zea, hordeo; quia panis ex his confectus, ſpecie diſtiguitur a triticeo; neque in communi opinione dicitur ſimpliciter panis, ſed cum addito, puta hordaceus, farreus &c. Idem dicendum de pane confecto ex tritico, cui materia heterogenea admixta ſit in majori quantitate; quia ſolvitur ſpecies farinae triticeae. Hinc *Miſſale Rom. in Rubrica tit. de defectibus* ait: *Si panis non ſit triticeus, vel ſi admixtus ſit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel ſit alioqui corruptus, non conficitur ſacramentum.*

De pane confecto ex ſiligine, vulgo *ſegala*, licet aliqui putent eſſe materiam idoneam, eo quod non differat ſpecie a tritico, cum ſit ipſum triticum ſterili terrae mandatum in ſiliginem degenerans; attamen communiter aſſerunt, non poſſe ex ea fieri Euchariſtiam. Quia in ſacramentis, quae non ſunt neceſſaria neceſſitate medii, non licet uti materia dubia: & praeſertim in Euchariſtia, cui ſumma reverentia debetur, nunquam licet adhibere niſi materiam certam. Unde non poſ-

sumus in siligineo pane consecrare, ut detur viaticum morituro.

Colliges II. massam compactam ex alio liquore, quam ex aqua naturali, puta melle, olio, lacte, saccharo, & ovis, materiam esse invalidam; quia non est panis usualis. Idem dicendum de hostiis rubris, quibus literae sigillantur, vel ad minimum esse materiam dubiam; quia per admixtionem ginnabari sunt notabiliter alteratae. Idem docent de pane mixto aqua rosacea.

Colliges III. non esse sufficientem materiam massam crudam seu *pastam* elixam, vel frixam; quia non est haec vera & usualis panem coquendi ratio. Denique nullam esse consecrationem in pane substantialiter corrupto, puta si majori ex parte solutus sit in continuitate, sapore, aliisque accidentibus; quia tunc natura panis est omnino destructa.

Prop. II.

Ut panis consecrandus in Ecclesia Latina sit licita Eucharistiae materia, esse debet azymus, & circularis figurae, integer & nitidus, ex puro frumento confectus.

Prob. 1. pars ex Concilio *Florentino* in decreto unionis: *Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere,*

re, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem. Ergo.

Hinc graviter peccat Latinus Sacerdos, si utatur fermentato, & Graecus si consecret in azymo: quia uterque gravem suae Ecclesiae ritum mutat.

Ex his colliges cum communi Theologorum sententia, non licere latino Parocho consecrare in fermentato ne in casu quidem, quo plebs Missam auditura non sit, vel aeger discessurus sine viatico; quia reverentia erga augustissimum sacramentum obligat, ut non peragatur, nisi convenienti ritu & modo. Contra vero praeceptum sumendi viaticum non urget, nisi quando sumi potest cum debito modo, & cum debitis circumstantiis.

Quid vero si consecratâ utrâque specie, detegatur species panis esse corrupta, nec alia a fermentato haberi posset? Respondeo, teneri tunc Sacerdotem uti fermentato, ne mutilum maneat sacrificium. Nam lex divina servandi integritatem sacrificii, praevalere debet accidentali circumstantiae de usu azymi. Ita *Colet*.

De Sacerdote Latino per Graeciam iter agente, & de Presbytero Graeco per Latium transeunte communiter docent juxta regulam *S. Augustini ad Januarium*, posse utrumque sequi ritum Ecclesiae, in qua

qua diversatur, dummodo ibi nullum sit Templum, in quo ritus suae Ecclesiae serventur. Recensitam opinionem falsam existimat *Concina* cum *Vasquez*, & *Aversa*, docens alios esse ritus festorum, jejuniorum, de quibus loquitur *Augustinus* in laud. *Ep.* & qui pro diversitate Ecclesiarum servari possunt; alium esse ritum sacrificii, quem diversum inter Ecclesiam Latinam & Graecam omnes agnoscunt, & ad quem Sacerdotes servandum sacramento Ordinis initiantur. Hanc distinctionem colligit laud. Theologus ex *Constit. Benedicti XIV.* edita anno 1742. in qua §. 8. Italo-Graecis praecipitur, ut servent Calendarium Gregorianum, quadragesimale jejunium, dies festos, & cetera omnia, quae juxta sacros Canones in Dioecesi ubi habitant, servanda sunt. De ritu vero sacrificii §. *6.* sub poenis perpetuae suspensionis a divinis, confirmat prohibitionem, ne Latinus fermentato, aut Graecus azymo in sacrificio utatur.

Prob. 2. pars ex universali usu Ecclesiae Latinae, quae non adhibet nisi panem orbicularem, & tenuis formae.

Prob. 3. pars ex Concilio *Toletano XX. can. 6.* ubi haec habentur: *Id unanimitatis nostrae delegit conventus, ut non alter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit prae-*

praeparatus ; neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod ecclesiastica consuetudo retinet.

Hinc illicita materia erit panis, si mixtus aliquot granis diversae speciei cum tritico, si mucidus, & ad corruptionem dispositus sit.

Quantâ olim diligentiâ panis pro consecratione praepararetur, legi potest *Lanfrancus* in *lib. Decretorum* pro Ordine *S. Benedicti cap. V.* qui refert nonnisi a sacris Virginibus, vel a sanctissimis Monachis, lotis manibus, albis indutis, & psalmos recitantibus, ex selecto tritico panem eucharisticum confectum fuisse. Hunc etiam fuisse morem Ecclesiae Rom. in hoc pane praeparando, testatur *Humbertus* adversus Graecorum in Latinos calumnias. Concilium *Toletanum* supra laud. eandem fere diligentiam in hoc opere peragendo praecepit: & *Theodulphus Aurelianensis Episcopus*, qui IX. seculo floruit, in epistola ad suum Clerum jubet, panem in sacrificio adhibendum a Sacerdotibus, vel ipsis praesentibus confici. Hinc collige, quam detestanda sit eorum socordia in materia tanti sacrificii praeparanda, qui contra ac jubent Concilia, summam praeseferunt negligentiam.

§.III.

§. III.
De Conditionibus requisitis in vino consecrando.

Prop. unica.

Conditiones in vino consecrando sunt, ut vinum sit de vite, non corruptum, potabile: ad decentiam vero prohibetur mustum, & exigitur vinum optimae qualitatis, cui ex praecepto Ecclesiae ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.

Prob. 1. pars. Ex dictis vinum est materia calicis. Atqui *ad materiam sacramentorum assumitur id, quod proprie, & communiter habet talem speciem: proprie autem vinum dicitur, quod de vite sumitur; alii vero liquores vinum dicuntur secundum quandam similitudinem ad vinum vitis.* Ergo solum vinum de vite sive album sive rubrum, sive dulce sive asperum, sive calidum sive frigidum, materia est consecrationi apta. Ita *D. Thomas 3. part. q. 14. art. 5.*

Hinc colliges, non esse idoneam calicis materiam 1. vinum expressum de pomis granatis, moris &c. quia non est proprie vinum, sed dicitur tale per quandam similitudinem ad vinum: 2. omphacium, idest succum ex uvis immaturis expressum, quia non est vinum, sed via ad vinum, cujus naturam nondum habet.

Prob.

Prob. 2. pars. Vinum corruptum in communi hominum aestimatione, & morali consideratione non habet speciem vini. Ergo.

Hinc colliges, consecrari non posse 1. acetum, 2. vinum crematum, vulgo *acquavite*, quod est vini spiritus: 3. vinum aromatibus in quantitate notabili conditum: 4. loram seu vinum ex maceratis acqua vinaceis: 5. sapam vel defrutum seu mustum ad dimidiam, aut ad tertiam partem decoctum. Quia haec vel a vini specie differunt, vel morali hominum aestimatione vinum non reputantur.

Prob. 3. pars. Materia calicis designata fuit a Christo per modum potus. *Bibite ex hoc omnes*, *Matthaei XXVI.* Ergo ut vinum possit consecrari, debet esse potabile.

Hinc colliges, nullam esse consecrationem factam 1. ex liquore in uvis incluso: 2. ex vino imbibito in offa; quia haec non se habent per modum potus, sed per modum edulii. 3. Idem docent multi contra multos de vino congelato; quia potui idoneum non est. Quid si vinum gelu constringatur post consecrationem? A consecratione non excidere respondet *Colet*, quia ab intrinseca ratione vini non excidit, si consecratum non esset: tamdiu porro manet sanguis Christi, quandiu maneret vinum, nisi consecratum esset. Unde praeci-

cipit *Missale Rom.* ut species congelatae liquefiant, calicem aut in aqua ferventi ponendo, aut pannis calidis involvendo, & a ministro sumantur ut consecratae.

Prob. 3. pars. Prohibetur quin mustum statim expressum de uva, in calice offeratur: quia hoc est indecens propter impuritatem musti; potest tamen in necessitate fieri. Dicitur enim a *Julio* Papa *cap.* Cum omnino, *de Consecrat. Si necesse fuerit, botrus in calice comprimatur.* Ita *D. Thomas 3. part. q.* 14. *art.* 5. *ad* 3. Demum congruum est, ut vinum sit optimae qualitatis, sicut de pane dictum est. Hinc graviter peccat qui utitur vino acescente, quia est in via ad corruptionem, licet valida sit consecratio.

Prob. 5. pars ex perpetua traditione Ecclesiae, quam confirmat *Tridentinum sess. XXII. cap. 7. Monet S. Synodus praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit. Quod sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aqua in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur; ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.*

In hac *Tridentini* definitione, nota sequentia, 1. hujusmodi admixtionem aquae cum vino non esse necessariam necesс-

cessitate sacramenti : quia materia hujus sacramenti est vinum , ut supra ostensum est : 2. nec etiam necessariam necessitate praecepti divini, cum nullibi sive in Evangelio , sive in Apostolorum Epistolis hoc praeceptum habeatur. 3. Sacerdotes ad hoc teneri tantum jure ecclesiastico , ut indicant laudata verba Concilii : *Praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus*. 4. Hoc praeceptum obligare sub gravi; quia licet materia sit in se levis , est tamen gravis ratione finis, & significationis. Nam apponitur aqua in calice ad significandam unionem populi fidelis cum Christo capite , ut ex *Tridentino* audivimus.

Hinc communiter docent contra *Ledesma* , non licere Sacerdoti consecrare in necessitate sine admixtione aquae . 5. Aquam vino miscendam, esse elementarem, & in ea quantitate , ut respectu vini modicissima vel modica dici queat . Monet tamen *Lebrunius* , *scrupuli expertem esse debere, qui tertiam solum aquae partem offerendo vino miscuerit*, praesertim cum generoso vino utitur . 6. Hanc mixtionem sub gravi fieri debere tempore Missae ante calicis oblationem. *Quod si celebrans ante consecrationem calicis advertat , non fuisse appositam aquam , statim ponat eam . . . . si id advertat post consecrationem calicis , nullo modo apponat ; quia non est de necessitate sacramenti*. *Miss. Rom. de De-*

fe-

fectibus. 7. Aquam vino immixtam converti in sanguinem. Ita Theologi omnes. Utrum vero prius convertatur in vinum, & postea in sanguinem, disputant Scholastici. Vide *Catechismum Rom. part. II. de Euchar.* §. 16.

§. IV.

De quibusdam aliis Conditionibus in utraque materia requisitis.

Prop. unica.

Quaecunque panis & vini quantitas licet minima, valide consecrari potest, dummodo Sacerdoti sit moraliter praesens, & in individuo determinata per intentionem: licite vero ea quantitas confici debet, quae opportuno tempore absumi posse prudenter judicatur.

Prob. 1. pars. 1. Ex vi institutionis quantitas materiae hujus sacramenti est indeterminata. Christus enim potestatem consecrandi Sacerdotibus contulit absque limitatione ad certam aliquam quantitatem. 2. Numerus fidelium, ad quorum usum conficitur Eucharistia, est indeterminatus. Ergo quaecunque sit quantitas panis & vini, sive magna, sive minima, dummodo sensibilis sit, valide consecrari potest. Ita docet *D. Thomas* in *IV. dist.II. q. 2. art. 1. quaestiun. 3. ad 1. Quantacunque sit quantitas panis, & vini, quae coram Sacerdote proponitur, credo quod possit consecrari ab ipso.* Prob.

Prob. 2. pars. Veritas formae exigit moralem praesentiam; nam pronomina demonstrativa, *hoc est*, *hic est*, non possunt verificari, nisi res moraliter praesens sit demonstranti. Ergo &c.

Ad hanc moralem praesentiam constituendam ex communi haec necessaria sunt, 1. ut celebrans sciat materiam ibi esse: 2. ut materia, licet aliquo sensu actu non percipiatur, idest non videatur, non tangatur, sit tamen in loco ubi possit a consecrante sensu percipi, & demonstrari, vel in se, vel in alio, ut in suo toto, vel proximo continente, vel in vase ad illam continendam destinato: 3. ut sit propinqua tantum, ut juxta prudentum aestimationem esse coram Sacerdote dici possit.

Hinc colliges I. valide consecrari 1. vinum in calice cooperto: 2. formulas in cumulo sub aliis latentes, vel in pixide clausas, vel involutas in corporali ut continenti, sicut in pixide. Quia ex dictis ad moralem praesentiam non requiritur, ut res videatur, & tangatur, aut verba ad eam physice perveniant; sed sufficit, ut secundum moralem loquendi morem possit per pronomen *hoc*, in se vel in alio proximo continenti demonstrari. Hinc notanda duo. 1. Improbanda est praxis eorum, qui os proxime admovent, ut alitum in panem, & calicem inspirent. 2.

In praxi adhaerendum rubricae, quae praecipit, ut pixides conſecrandae aperiantur in oblatione, & conſecratione.

Colliges II. invalide conſecrari materiam poſitam 1. poſt parietem, 2. poſt tergum celebrantis, 3. clauſam in tabernaculo, 4. abſconditam in linteo, 5. formulam infra pedem Sacerdotis poſitam. Ratio horum omnium eſt, quia materia, tali modo latens, non cenſetur moraliter praeſens, nec apte per pronomen *hoc* deſignatur.

Colliges III. non poſſe conſecrari materiam longe diſtantem a conſecrante: quia materia valde procul non cohaeret cum pronomine *hoc*, ſed potius demonſtratur pronomine *illud*. Quanta autem propinquitas requiratur, metienda eſt judicio prudentum.

Prob. 3. pars, ut ſcilicet materia per intentionem conſecrantis ſit certa, & in individuo determinata. Nam forma Euchariſtiae quid definitum exprimit. Ergo certa & determinata debet eſſe materia, ut forma verificari poſſit.

Hinc colliges I. non omnes hoſtias, quas Sacerdos praeſentes in Altari habet, conſecratas eſſe, niſi ſint ab illius intentione determinatae. II. Conſecratas non eſſe in prima Miſſa hoſtias, quae in Altari reponuntur, ut praeſto ſint Sacerdoti pro aliis duabus Miſſis die Natalis Domini. III.

III. Ex communi contra aliquos nullam esse consecrationem pixidis extra corporale ex oblivione relictae. IV. Non consecrari guttas vini calici exterius adhaerentes. Ratio est, quia licet materia sit ministro praesens, non est tamen ab ejus intentione vel explicite ut in primo, vel implicite ut in secundo & tertio casu, determinata. V. Contra, pixidem a Clerico in corporali positam, te advertente, & volente eam consecrare, certum est quod consecras, licet postea in decursu Canonis, & in prolatione formae ad eam non advertas: quia materia etsi non actu, est tamen virtute determinata a prima intentione. VI. De vini guttis calici interius adhaerentibus, res est dubia; unde pro praxi monent aliqui, ut Sacerdos semel pro semper intendat non consecrare, nisi quod est praecise continuum.

Animadvertendum est, Sacerdotem qui dubitat de formularum vera consecratione, debere illas sumere post sanguinem, vel ut censent multi, posse etiam eas in alia Missa sub conditione consecrare. Si vero dubitet de valore consecrationis alterutrius materiae sacrificii, tunc repetat sub conditione formam super illam materiam: & si dubium sit de valore materiae, puta quia praesumitur vinum esse acetum, vel aquam plurimam vino mixtam, debet certam aliam consecrare, ne sacrificium imper-

perfectum relinquat; & post communionem sumere materiam dubiam.

Prob. 4. pars. Ea materiae quantitas licite consecrari potest, & debet, quam prudenter Sacerdos agnoverit opportuno tempore posse a fidelibus absumi ad evitandum periculum, ne species corrumpantur. Hinc injuriam sacramento inferret, qui magnam materiae quantitatem consecraret cum periculo corruptionis specierum.

SECTIO II.

De Forma Eucharistiae.

Nota I. Eucharistiae forma duplex est, una panis, altera vini.

Nota II. Forma, qua utitur Ecclesia Latina in consecratione panis, haec est: *Hoc est enim corpus meum:* In vino vero: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi & aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ex his, quae leguntur in Canone, quaeritur 1. an omnia sint essentialia formae. 2. Quaenam omitti possint sine peccato.

Prop. I.

Ad validam Eucharistiae consecrationem haec sola verba sufficiunt: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, *vel quod*

quod eodem recidit: Hic est calix sanguinis mei.

Prob. 1. Quia Ecclesiae Patres hisce verbis Dominicis conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi solummodo tribuunt. 2. Haec sola verba perfecte significant praesentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. Ergo haec sola, utpote practica, efficiunt quod perfecte exprimunt. 3. Haec leguntur in omnibus Liturgiis Latinis, & Orientalibus: cetera vero, ut in forma calicis, *novi testamenti*, *mysterium fidei*, *qui pro vobis effundetur*, non reperiuntur in omnibus. Ergo.

Prop. II.

Quisque sub gravi tenetur integram recitare formam, quae in Canone legitur.

Prob. ex usu, & praecepto Ecclesiae in re tam magni momenti, qualis est forma sacramentalis. Hinc graviter peccaret, qui aliqua ex praescriptis verbis omitteret, vel mutaret. De mutatione substantiali, vel accidentali, quae in forma accidere potest, vide dicta in *de Sacram. in gen.*

Animadvertendum est I. Sacerdotes formam hujus sacramenti proferre in persona Christi, ut loquitur *Florentinum*. Hinc non historice, ut docet *Catharinus*, sed assertive & significative, seu cum intentione affirmandi id quod significat. II. Hunc esse formae sensum: *hoc contentum*

ſub his ſpeciebus eſt corpus meum, eſt ſanguis meus. III. Verba formae conſecrationis pronuncianda eſſe diſtincte, reverenter, continua ſerie, & modo naturali. IV. Formam minime repetendam eſſe, niſi valde probabiliter dubitet Sacerdos aliquid omiſiſſe, ut loquitur *Rubrica tit. V. num. 2.* his verbis: *Si celebrans non recordetur ſe dixiſſe ea, quae in conſecratione communiter dicuntur, non debet praeterea turbari. Si tamen certo ei conſtet, ſe omiſiſſe aliquid eorum, quae ſunt de neceſſitate ſacramenti, reſumat formam. Si vero valde probabiliter dubitet, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam ſaltem ſub tacita conditione.*

SECTIO III.

De Miniſtro Euchariſtiae.

Nota I. Euchariſtiae Miniſter alter eſt *conſecrationis*, alter *diſpenſationis*. Miniſter Euchariſtiae conſecrandae eſt ſolus Sacerdos; ſed de hoc ſequenti capite ſermo erit. In praeſentia de Euchariſtiae diſtribuendae Miniſtro agam.

Nota II. Hujus ſacramenti diſpenſatores alii ſunt *ordinarii*, alii *extraordinarii*. Qui ex vi ſui Ordinis poſſunt Euchariſtiam diſtribuere, ordinarii miniſtri dicuntur: qui vero id poſſunt ex delegatione, extraordinarii appellantur.

Prop.

Prop. I.

Soli Sacerdotes Eucharistiae dispensandae Ministri sunt ordinarii.

Prob. ex Apostolica Traditione, quam testatur *Tridentinum* *sess.* XIII. *cap.* 8, his verbis: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus Communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes, seipsos communicent. Qui mos tanquam ex Traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.* Ratio desumitur ex verbis Christi Domini in institutione hujus sacramenti: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quae verba hunc sensum habent: *consecrate, sumite, aliisque distribuite.* Atqui haec solis Sacerdotibus dicta sunt. Ergo.

Prop. II.

Diaconi sunt extraordinarii Eucharistiae dispensatores.

Prob. 1. Priscis Ecclesiae seculis tum in Oriente, tum in Occidente sacrae Communionis dispensatio Diaconis commissa fuit, ut patet ex *Justino*, *Cypriano*, & aliis Patribus. 2. In Concilio *Carthaginensi IV.* sancitum fuit, ut *Diaconus praesente Presbytero Eucharistiam populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* 3. Posteriore tempore in Ecclesia Occidentali commissa fuit Diaconis solius calicis dispensatio extra necessitatem, & absque Sacerdotis peculiari licentia: corporis vero distributio nisi in

necessitate, & jubente Episcopo, vel Presbytero , ut colligitur ex *D. Thoma 3. part. q.* 82. *art.* 3. *ad* 1. Unde sic: Ille dicitur extraordinarius Eucharistiae dispensator , qui non ex officio , sed ex commissione id potest . Atqui Diaconus ex Ecclesiae Canonibus id non potest, nisi de expressa vel tacita commissione Episcopi, vel Presbyteri . Ergo .

Hinc colliges I. Diaconos etiam hoc tempore posse Eucharistiam distribuere ex licentia Episcopi, vel Parochi, sed urgente gravi necessitate: ut si in principali festo Sacerdos confessionibus, & concionibus occupatus , commode sacram Communionem distribuere non posset. Si vero extrema necessitas cogat, tunc fatentur omnes id Diaconum non solum posse , quinimo debere , puta ad praebendum moribundo viaticum, absente, vel praesente, & nolente Presbytero: quia in hoc casu recte praesumitur non solum permissio, sed praeceptum Episcopi .

Colliges II. Clericos Diacono inferiores , & laicos , licet olim sibimetipsis, & aliis Eucharistiam administraverint; tamen quia ab octo & amplius seculis haec praxis abrogata est , non posse ne extrema quidem necessitate cogente seipsos aut alios communicare . Quia praeceptum sumendi Eucharistiam, cum non sit absolutae necessitatis, etiam in articulo mortis non obli-

ligat, si Minister idoneus absit.

Colliges III. ex peculiari tamen Rom. Pontificis privilegio, posse laicos semetipsos, & alios communicare: ut fertur de *Pio V.* cum Maria Stuarda Scotorum Regina.

Colliges IV. Sacerdotem, qui nequeat Missam celebrare, non solum in extrema necessitate, sed etiam sola devotionis caussa posse semetipsum communicare, si alius Sacerdos, & scandalum absit: quia nullibi est vetitum, & Concilium *Nicaenum cap.* 14. id Diacono concedit. Unde probabiliter inferunt ex hoc Nicaeni Canone aliqui Doctores, id posse Diaconum, quod de Sacerdote semetipsum communicante dictum est.

Animadvertendum I. ad licitam Eucharistiae distributionem requiri in Ministro praeter statum gratiae, de quo egimus in *Tract. de Sacramentis in genere*, jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam; quia pastoris est suas oves pascere praesertim hoc divino convivio. Unde graviter peccaret qui sine ulla prorsus jurisdictione ministrare Communionem praesumeret; quia propria auctoritate violaret jus alienum in re gravi contra rectam Ecclesiae gubernationem, & ordinem: & si minister qui hoc auderet, esset Sacerdote inferior, puta Diaconus, sine commissione, incurreret irregularitatem. Verum nota ex

communi 1. licite Eucharistiam administrare eum, qui rationabiliter praesumit Parochum factum suum approbaturum; puta si viaticum administret in absentia Parochi. 2. Ex consuetudine, & tacito Pastorum consensu statim ac conceditur alicui facultas Missam celebrandi, intelligitur concessa facultas Communionem ministrandi, quando Communio fit ex devotione.

Animadvertendum II. a Ministro servandum esse ritum, tempus, & horam Eucharistiae distribuendae.

Ritus. 1. Non ministret Eucharistiam nisi tantum sub specie panis ex Concilio *Constantiensi*, & ex recepta consuetudine vim legis habente, approbata a Concilio *Tridentino sess. XXI. cap.* 2. Unde graviter peccaret, qui contra faceret. 2. Non communicet extra Missam absque superpelliceo & stola, quorum omissio, sublata necessitate, ut tempore pestis, est graviter peccaminosa; neque in paramentis nigris. Hinc non licet eam dare ante vel post Missam defunctorum. Vide *Merati*. 3. Non tradat alicui hostiam grandiorem, vel plures simul formulas ex *Decret. sacr. Congr.* die 11. Februarii 1679. neque scindat hostiam sacrificii, ut porrigat laico Communionem, excepta necessitate. 4. Formulam non porrigat nisi indice, & pollice. 5. Si hostia in terram cadat, servet praescripta in

in Rubricis. Sed quid facto opus sit, si in sinum mulieris decidat? Permitti debet, ut mulier sua manu formulam abstrahat, & reponat in Pixide. Idem faciendum, si ministrando Monialibus Communionem, hostia cadat intra clausuram. 6. Si aliquis recens a sacra mensa species evomat, tunc *integrae species reverenter sumantur, nisi nausea fiat, vel caute separentur, & in aliquo sacro reponantur, donec corrumpantur, & in sacrarium projiciantur. Rub. tit. X. num.* 24. Quod si species sint satis alteratae, tunc vomitus comburi debet. 7. Non sine justa caussa, mentali oblatione formulas offerat post oblationem majoris hostiae. 8. Sumat fragmenta sive parva, sive magna, quae forte advertat post sumtionem ablutionis, etiamsi jam ab Altari recesserit, sed adhuc sacris vestibus indutus; quia haec hostiarum reliquiae pertinent ad idem sacrificium.

Tempus. Qualibet die etiam sanis ministrari Communio potest, excepto tempore interdicti, & feria sexta Parasceves, in qua non licet ex usu Ecclesiae Rom. nisi graviter decumbentibus viaticum praebere. De Sabbato Majoris Hebdomadae eandem prohibitionem quidam afferunt sed sine fundamento, cum nullum reperiatur certum decretum prohibens ea die Communionem; licet in Missa hujus diei non recitentur antiphonae, quae appellantur

communio, & *post-communio*; quia loco earum vesperae suffectae sunt. Ita *Gavantus*, *Grangolas*. At communis Ecclesiae praxis fert, ait sapientissimus Pontifex *Benedictus XIV.* in *de Sacrificiis Missae sect. II. cap. 6.* §. 3. ut non administretur Eucharistia hac die, nisi infirmis.

Hora. Per se loquendo qualibet diei horâ Eucharistia dispensari potest, quia circa hoc nulla adest prohibitio. Ita communiter. Dixi *per se loquendo*, 1. quia usus invaluit Communionem non ministrandi post meridiem bene valentibus. 2. quia non licet communicare in Missa, quae canitur media nocte Nativitatis Domini ex *Dec. sac. congr.* apud *Benedictum XIV.* in *de Sacrificio*.

Animadvertendum III. quemlibet Sacerdotem, deficiente Parocho, teneri morituro Eucharistiam ministrare ex caritate: Parochum vero non solum ex caritate, sed etiam ex justitia hac obligatione adstringi, 1. in necessitate, 2. extra necessitatem, quoties rationabiliter postulant Parochiani: 3. ut suae obligationi satisfaciat, debere inquirere, num in sua Parochia sint infirmi, qui hoc sacramento indigeant: 4. juxta multos etiam cum periculo vitae propriae, puta viaticum praebere peste correptis.

SE-

SECTIO IV.

De Subjecto Eucharistiae.

Inquirendum hîc, 1. quinam sint Eucharistiae capaces: 2. quaenam in subjecto dispositiones requirantur ex parte corporis: 3. quaenam vero ex parte animae.

§. I.
De iis, qui capaces sunt Eucharistiae suscipiendae.

Nota I. Cum Eucharistia consistat in re permanenti, nullus est, a quo saltem materialiter sumi non possit. II. Quilibet homo viator baptizatus, est subjectum capax suscipiendae Eucharistiae sacramentaliter cum fructu, vel sine fructu, juxta subjecti dispositiones. Tota igitur difficultas est, an haec ministrari possit 1. infantibus, 2. energumenis, 3. surdis, & mutis a nativitate, 4. amentibus, & semifatuis, 5. peccatoribus occultis, vel publicis.

Prop. I.

Infantes per se loquendo sunt capaces Eucharistiae suscipiendae, licet hodie ex prudendi Ecclesiae disciplina ad sacram mensam non admittantur, nisi ad annos discretionis pervenerint.

Prob. 1. pars . Priora ſecula tum in Orientali, tum in Occidentali Eccleſia infantibus una cum baptiſmo Euchariſtia adminiſtrata fuit . Ergo per ſe loquendo infantes hujus ſacramenti a Patribus capaces exiſtimati fuere. Inſuper parvuli & ſacramenti capaces ſunt , utpote baptizati , & ſacramenti effectus , utpote juſtificati . Ergo.

Prob. 2. pars. A quinque uſque circiter ſeculis haec diſciplina in Eccleſia Latina abrogata fuit ob reverentiam tanti ſacramenti . Inſuper Euchariſtia parvulis neceſſaria non eſt , quia ut docet *Tridentinum ſeſſ. XXI. cap. 4. per baptiſmi lavacrum regenerati , & Chriſto incorporati , adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non poſſunt* . Ergo ſicuti eo in ſtatu Euchariſtia neceſſaria non eſt, ita nec expedit eam miniſtrare .

Utramque vero Eccleſiae diſciplinam eſſe laudandam , docet *Tridentinum* eod. loco. Nam 1. & antiqui Patres *ſui facti probabilem cauſſam pro illius temporis ratione habuerunt* , & praeſens Eccleſia hujus mutatae diſciplinae ſuas habet rationes. Communio enim parvulis vix adminiſtrari poteſt , niſi ſub ſpecie vini : hinc ſublato uſu calicis , abrogata etiam fuit praxis Euchariſtiae infantibus miniſtrandae . 2. Ad evitandum periculum effuſionis , quod non raro eveniebat in porrigendis ſacris ſpeciebus . 3. Frigeſcente caritate , ne infan-

fantes, deficientibus domesticae pietatis exemplis, illi divino pani, perinde ac si communis esset, assuescerent. Hae potissimum assignantur rationes, cur parvuli hodie a sacra mensa removentur, donec & annos discretionis attigerint, & a pastoribus instructi, & probati fuerint.

Prop. II.

Energumeni, seu a maligno spiritu vexati, Eucharistiâ aliquando refici possunt.

Prob. Olim Energumenis denegata fuit sacra Communio, ut colligitur ex *can.* 29. Concilii *Illiberitani:* quin & ab ipso Eucharistiae conspectu arcebantur, clamante Diacono: *exite energumeni*. Verum in mortis articulo ab eodem Concilio *can.*37. eis concessa fuit. Concilium *Arausicanum I. can.* 14. non solum in morte, sed etiam in vita energumenos Eucharistiae participes reddidit, dummodo Ecclesiae ministrorum monitis obtemperassent. Plura occurrunt exempla, quae virtute hujus sacramenti oppressos a daemone, curatos esse perhibent. Ergo energumeni non solum in mortis articulo, & in Paschate, sed etiam crebro, si ad eorum spirituale solatium, & robur conducat, Eucharistiâ refici possunt; dummodo absit periculum irreverentiae, & sint sui compotes.

Prop. III.

Surdis, & mutis a nativitate conferri potest Eucharistia non in articulo mortis

tantum, sed & tempore Paschali; si & in his aliqua deprehendatur hujus sacramenti cognitio, & peccata sua nutibus exprimant.

Prob. Id genus homines tum per imagines & signa, tum per gratiae interioris auxilium possunt caelestem cibum a profano distinguere. Ergo si pie vivant, si cum doloris sensu per nutus peccata sua confiteantur, nihil obstat, quin possint ad sacram mensam admitti. Si vero aliquis a nativitate esset surdus, mutus, & caecus, reputandus esset ut infans, & perpetuo amens, qui nullatenus valet intelligere tanti cibi dignitatem.

Prop. IV.

Amentibus, qui lucida habent intervalla, hoc tempore concedi potest Eucharistia: qui vero aliquando usum rationis habuerint, extra mortis articulum non debet concedi, bene tamen in articulo mortis; dummodo non constet in statu peccati mortalis in amentiam incidisse.

Prob. 1. pars. Quia amentes eo tempore, quo lucida habent intervalla, possunt se rite disponere ad Eucharistiam suscipiendam. Ergo &c.

Prob. 2. pars ex Concilio *Carthaginensi IV. can. 76. Is, qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit . . . . in phrenesim versus fuerit, donent testimonium qui au-*
die-

dierint, ut accipiat poenitentiam : Et ſi continuo moriturus creditur . . . . infundatur ori ejus Euchariſtia. Ergo.

Prop. V.

Semifatuis, & debilem uſum rationis habentibus, ſi valeant hunc divinum cibum a profano diſtinguere, & reverenter illum expoſtulent, non ſolum in articulo mortis, ſed etiam in Paſchate Euchariſtia miniſtrari poteſt : ſecus vero de perpetuis amentibus.

Prob. 1. pars. Quia tales poſſunt aliquam hujus ſacramenti devotionem habere: Ergo non eis negandum. Ita *D. Thomas 3. part. q. 8. art. 9*. Verum non expedit, ut hi crebro ad Altare admittantur ob dignitatem tanti ſacramenti.

Prob. 2. pars. Quia reverentia huic ſacramento debita poſtulat, ut non detur iis, qui illud non expetunt aliquo praevio devotionis affectu. Ergo ſicuti ex hodierna Eccleſiae praxi non datur Euchariſtia infantibus, ita & perpetuo amentibus dari non debet.

De peccatoribus vero publicis vel occultis, publice vel ſecreto Euchariſtiam petentibus, vide dicta in *de Sacram. in gen.* Duo tamen hîc ſunt notanda. 1. Peccatoribus publicis ſecreto emendatis, non eſt concedenda Communio, niſi prius ſcandalo ſatisfecerint. Hinc in mortis articulo meliore modo, quo poſſunt, debent ſal-

saltem voce aut propria, aut Confessarii scandala & crimina publice retractare. 2. Ex *can.* 13. Concilii *Nicaeni I.* habetur, ut omnibus in exitu mortis Eucharistiam poscentibus administretur, si digni reputati sint a Pastoribus. Idem habetur ex *Innocentio I. Ep.* 3. *ad Exuperium: Quaesitum est, quid observari oportet de his, qui post baptismum omni tempore, incontinentiae voluptatibus dediti, in extremo vitae suae fine Poenitentiae simul & Communionis reconciliationem exposcunt. De his consuetudo tenuit prior, ut concederetur Poenitentia, sed Communio negaretur .... sed Communionem dari abeuntibus placuit.* Hinc 1. qui in peccatis consenuerunt, si urgente morte viaticum postulent, non eis denegandum, si sincere dent signa poenitentiae. 2. Reis extremo supplicio plectendis ob quodvis crimen Communio dari potest, si sunt apte dispositi per Confessionem. 3. Ne autem ex hujusmodi Ecclesiae benignitate temere sibi blandiantur peccatores, meminisse debent illud *Augustini: Sacramenta damus, securitatem non damus.*

§.II.

§. II.

De Dispositionibus ex parte animae ad Eucharistiam digne suscipiendam.

Dispositiones ex parte animae, aliae impedimenta removent & obstacula, peccata scilicet mortalia, a quibus eos mundari oportet, qui ad hoc sacramentum accedere velint: aliae mentem attentam, & devotam reddunt, ut possit quis cum fructu sacram Communionem percipere. De utrisque pauca pro more dicemus.

Prop. I.

In eo qui vult digne ad Eucharistiam accedere, requiritur immunitas ab omni peccato mortali.

Prob. ex *I. ad Corinth. II. Quicunque manducaverit .... indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini . . . judicium sibi manducat, & bibit: non dijudicans corpus Domini.* Sed qui cum conscientia peccari mortalis communicat, tum ex Apostoli scopo, tum ex unanimi Patrum consensu, manducat indigne. Ergo. Apposite *Chrysostomus homil. 3. in epist. ad Ephes. Quomodo comparebis ante tribunal Christi, qui manibus ac labiis immundis ipsius audes contingere corpus?* Porro Eucharistia cibus est. Atqui cibus non mortuis, sed vivis datur. Ergo Eucharistia non peccato mortuis, sed vivis danda est, quorum vitam ro-

roborat, vegetat, confirmat. Vide *Tridentinum sess. XIII. cap. 7.*

Hinc inferes, peccatum indignae Communionis esse gravissimum sacrilegium. Nam eo gravius est sacrilegium, quo persona, vel res sacra, quae indigne tractatur, sanctior est. Sed Eucharistia est omnium sanctissima, quae Christum continet, licet sub sacris speciebus involutum. Ergo &c.

Prop. II.

Qui peccati mortalis sibi conscius est, regulariter loquendo ante Communionem confiteri tenetur.

Prob. ex *Tridentino sess. XIII. can.* 11. *Declarat S. Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessario praemittendam esse Confessionem sacramentalem.* Ergo &c.

Disputant hîc pro more Casuistae, num praeceptum de praemittenda Confessione ab eo, qui est in peccato mortali, sit divinum, an humanum. Contra non paucos Recentiores divinum esse affirmant saniores Theologi; & probant ex praecepto Apostoli *ad Cor. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat:* quae probatio ex Ecclesiastica traditione intelligitur de probatione facienda per sacramentum Poenitentiae. Vide *Tridentinum sess. XIII. cap. 7.*

Di-

Dixi, *regulariter loquendo*. Nam si desit copia Confessarii, & simul adsit urgens necessitas communicandi, vel celebrandi, modo sit perfecte contritus, poterit quis non confessus communicare, vel celebrare, ex *Tridentino* eod. loco. Nam in casu obtineri satis potest finis praecepti praemittendae Confessionis, nempe status gratiae. Sed ut hae conditiones amplius innotescant, haec sunt notanda.

I. Dicitur deesse copia Confessarii, quando vel sine magno incommodo adiri nequit, vel qui praesto est, perinde est, ac si non adesset.

Hinc Confessarium non habere censetur 1. qui attentis circumstantiis loci, itineris, temporis, scandali, aetatis sine magno incommodo Confessarium adire nequit: 2. qui non habet nisi unicum, qui nolit eum audire: 3. qui non habet nisi excommunicatum vitandum, vel simplicem Sacerdotem.

Contra, Confessario non carere censetur 1. qui habet reservatum, & ei praesto non est, nisi simplex Confessarius, qui nihil potest in reservatis. Nam juxta multos in eo casu tenetur praemittere Confessionem omnium peccatorum; ita ut directe absolvatur a non reservatis, & indirecte a reservatis: 2. cui adest unus, quamvis ei erubescat confiteri: 3. qui cum Confessario, quem solum habet, inimicitiae, vel lites intercesserunt. II.

II. Ut quis absque praevia Confessione communicare valeat , requiritur necessitas, non quaevis, sed gravis & urgens. Nam a gravi praecepto non excusatur quis, nisi propter caussam gravem & urgentem.

Hinc ex communi , gravis necessitas adesse censetur , 1. si inest mortis periculum, puta vel quia celebratio necessaria est, ut detur moribundo viaticum ; vel quia minatur mors Sacerdoti, nisi celebret, secluso tamen Religionis contemtu : 2. si Missae celebratio, vel Communio sine periculo scandali , vel infamiae omitti nequeat . Verum hic notandum , ne populi admiratio veluti scandalum habeatur. Quod enim miretur populus, aut habeat te pro minus devoto , non est malum adeo grave, ait *Henricus a S. Ignatio* . 3. Si Sacerdos Missam in Ecclesia publica sit exorsus; quia tunc vix fieri potest , ut ab Altari recedat citra infamiae notam . Quid si in sacello celebret coram uno, vel altero tantum, qui notae sint discretionis ? De hac re ait *Colet*, id unum statui posse, quod raro admodum fiat , ut Sacerdos inceptam Missam deferens, nemini sit scandalo. Atque hinc forte *S. Bonaventura in IV. dist.* 3. simpliciter negat, teneri Sacerdotem ab Altari discedere , ut confiteatur. 4. Juxta multos , quando Parochus die festo debet celebrare, & nequit invenire, qui vices suas suppleat.

III.

III. Qui urgente necessitate ad Eucharistiam accedit sine Confessione, debet jure divino, ut fatentur omnes Catholici, actum perfectae contritionis elicere.

Hinc I. *Si Sacerdos contritionem non habeat, nec propositum confitendi, celebrare non praesumat, quantumcunque scandalum, vel necessitatem videat imminere.* Synodus *Nemausensis* anno 1284. Quid si Sacerdos gravis peccati conscius, & in Altari sistens, experiatur actum contritionis sibi esse valde difficile? Suae malitiae, & iniquitati adscribat; nam Deus *impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; & adjuvat ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, & onus leve. Tridentinum sess. VI. cap.* 11.

II. Si Sacerdos post inceptam Missam, alicujus peccati letalis recordetur, statim actum contritionis eliciat, ne polluto corde aliquam tanti sacrificii partem peragat: postea in primo, vel secundo *memento* curabit magis magisque fervorem contritionis accendere.

Porro Sacerdos, qui praetermissa Confessione ob inopiam Confessarii Missam celebravit, quamprimum tenetur ad Confessionem. Ita definivit *Tridentinum sess. XIII. cap.* 7. *Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque praevia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* In hac *Tridenti-*

ni

ni definitione haec sunt notanda. 1. Hoc decretum continere verum praeceptum, non merum consilium, constat ex damnata propositione ab *Alexandro VII.* num. 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum*. 2. Praeceptum istud obligat sub gravi, quia materia gravis est. 3. Hujusmodi Tridentini praeceptum non est quotidie differendum ac procrastinandum. Adest enim haec altera propositio num. 39. ab eod. *Alexandro VII.* proscripta, quae sic se habet: *Illa particula*, quamprimum, *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. *Suo tempore*, idest quando iterum celebrare voluerit, ut quidam male interpretati sunt apud *Dianam Part. II. Tract.* 14. *Resolut.* 6. Si enim Sacerdos ab ea celebratione duobus aut tribus mensibus abstinere vellet, jam obligationem a *Tridentino* impositam in duos vel tres menses protraheret. Quis autem id dicat *quamprimum* fieri, quod post duos vel tres menses perficietur? Itaque vox *quamprimum* pro gravitate materiae strictissimo sensu sumenda est: ideoque etsi censent non pauci Sacerdotem hunc confiteri *quamprimum*, si intra triduum confiteatur; multo tamen aequius tutiusque est, ut is, simul ac post celebrationem nactus sit copiam Confessarii, confiteatur, ipso

ipso etiam celebrationis die, si sine magna difficultate possit. Ita *Colet*. 4. Licet praefatum *Tridentini* decretum loquatur tantum de Sacerdote celebrante, potest tamen juxta multos extendi etiam ad laicos, qui in necessitate sine praevia Confessione communicant. Eadem enim praecepti ratio militat in Sacerdote, quam in Laico.

Demum disputatur, an qui rite absolutus, recordatur ante Communionem peccati alicujus in Confessione inculpate omissi, teneatur antequam communicet confiteri. *Garcias*, *Ariaga*, *Reginaldus*, *Ferrantinus*, *Eusebius Amort*, *de Ligorio*, tum & *Gibertus*, *Pontas*, *Colet*, atque Galli fere omnes paullo eruditiores negant, his ferme momentis nixi. 1. Praeceptum confitendi ante Communionem ideo latum, ut obex gratiae peccatum removeatur. Atqui per validam absolutionem remotum est. Ergo. 2. Praemittitur Confessio, ne quis indigne manducet, non dijudicans corpus Domini: *Probet autem se ipsum homo*, ait Apostolus, *& sic de pane illo edat, & de calice bibat*. Atqui indignus dici nequit, qui in statum gratiae jam restitutus est. Ergo. 3. Eucharistia sacramentum vivorum non primam, sed secundam confert gratiam ei profecto, qui primam jam habet. At habet primam, qui valide absolutus est. 4. *Tridentina Synodus* eum tantum a Communione prohibet, quem *con-*

scien-

scientia peccati mortalis gravat, qui conscius sibi est peccati mortalis, quantumvis contritus sibi videatur, absque praemissa sacramentali Confessione. *Sess. XIII. cap.* 7. & seq. Atqui neque conscius sibi peccati mortalis, neque gravatus conscientia peccati mortalis proprie dici potest, qui solutus est vinculo & onere peccati mortalis. Ergo. Affirmat etiam *Ligorius*, doctissimos recentiores Theologos Neapolitanos a se consultos in eam sententiam convenire.

At communissime teneri affirmant innumeri ex omni regione Theologi, quando illi absque scandalo, & infamiae periculo fieri potest: & contrariam opinionem improbabilem vocat ipse *Diana part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 6. eamque ex operibus *Cornejo* expunctam refert judicio Hispanae Inquisitionis: atque his argumentis ostendit: 1. Ut absolutus sit aliquis peccato inculpabiliter omisso, non tamen directe, sed indirecte absolutus est. 2. Indirecte absolutus manet sub onere confitendi omissum. Atqui hoc onus subeundum ante Communionem ipsa tanti Sacramenti dignitas exigit. 3. Sensus, praxis, disciplina fidelium id plane conficit.

Prop. III.

Qui ex veniali negligentia distractus ad Eucharistiam accedit, etsi forte augmentum habitualis gratiae recipiat; actualem

lem tamen refectionem spiritualis dulcedinis non consequitur.

Prob. ex *D. Thoma 3. part. q.* 79. *art.* 8. qui haec habet: *Effectus hujus sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae, vel caritatis; sed etiam quaedam actualis refectio spiritualis dulcedinis: quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiae, & caritatis.*

Prop. IV.

Qui communicat cum distractione veniali ex objecto, sed ex formali intentione quaesita, involvente contemtum tanti Sacramenti, non solum nullum ex Eucharistia fructum reportat, sed etiam gravem committit irreverentiam.

Prob. Qui in actuali Eucharistiae usu formaliter & ex industria alio vagatur, sacramentum contemnit. Ergo in ejus perceptione & nullum consequitur fructum, & gravem irreverentiam committit. Ita *Didacus Nunno* apud *Contensonium lib. II. part.* 1. *dissertat.* 4. *cap.* 11.

Ex dictis colliges I. actualem devotionem necessariam esse ad recipiendos effectus secundarios hujus sacramenti, nempe spiritualem dulcedinem, fervorem, majus augmentum gratiae sanctificantis, & multas gratias actuales speciales. Nam sacramenta ad modum caussae necessariae operan-

rantur plus aut minus pro minore, vel majore dispositione subjecti, ex *Tridentino sess. VI. cap.* 7. Unde distractio orta ex oscitantia in actuali Eucharistiae sumtione est grave veniale. Difficultas est inter summos Theologos, an defectus actualis devotionis impediat effectum primarium hujus sacramenti, nempe augmentum gratiae sanctificantis. Negat cum communi Angelicus in *Summa* laud. quia peccatum veniale, & defectus actualis devotionis nec gratiae sanctificanti, nec ejus augmento opponitur; & sacramenta gratiam conferunt ex opere operato non ponentibus obicem. Affirmant *D. Bonaventura*, *Alensis*, *Paludanus*, *Soto*, *Cajetanus*, aliique praesertim Veteres. 1. Quia Sacramentum hoc instar cibi institutum est. Ergo sicut cibus naturalis non nutrit, nec auget sine vitali actu nutriti; ita divinus hic cibus non nutrit, nec auget sine vitali operatione spiritualis animae, quae nutritur. Ita argumentatur *Cajetanus* in 3. *part. q.* 79. *art.* 1. 2. Quia indevotus licet secluso contemtu graviter non peccet, ponit tamen negative obicem gratiae habitualis augmento. 3. Probant experientia innumerabilium Sacerdotum quotidie celebrantium, ut supponitur, in statu gratiae: qui tamen, quia indevote accedunt ad Altare, meliores non fiunt, nec gratiae sanctificantis augmentum percipiunt. Hoc unum

unum certum est apud omnes, quod oscitantia hac in re est graviter periculosa, disponens ad culpas graves, ac saepe divinam in se concitans vindictam.

Colliges II. devotionem actualem, quam Eucharistia exigit, positam esse in exercitio fidei, spei, & caritatis erga divinissimum Sacramentum. Ita *D. Bonaventura in Breviloquio part. VI. cap. 9. Ut aliquis digne accedat ad Eucharistiam, oportet quod spiritualiter comedat: ut sic Christum per recordationem fidei masticet, & devotionem amoris suscipiat.*

Colliges III. devotionem, & reverentiam huic sacramento debitam postulare, ut communicantes non solum orationi, sed & continentiae vacent; ne mens propter delectationem carnalem depressa, & distracta, indevote accedat ad Christum. Hinc 1. ex decentia actus conjugalis, nisi prolis gignendae, vel debiti reddendi caussâ fiat, regulariter impedit Communionem. Ita *S. Gregorius* in *cap.* Vir, *causs.* 33. *q.* 4. Unde communiter docent Theologi, eum qui ob voluptatem opus conjugii exercet, si eo die communicet, regulariter venialem culpam admittere contra Religionem: a quo impedimento excusatur, si aliqua justa caussa subsit: ut si ad lucrandum Jubilaeum, vel ad scandalum vitandum communicet. 2. Ex eodem motivo reverentiae erga sacramentum corpo-

ris Christi, antiqui Patres apud *Cassianum*, eum qui per somnium mali daemonis fraude, quamvis non sua culpa, quid impurae libidinis passus fuisset, ad sacram mensam accedere non sinebant. Sed si hoc videatur a daemone procuratum ad Communionem impediendam, vel si adsit aliqua necessitas, aut singularis utilitas; vel scandalum ex omissione Communionis timeatur, posse eum qui involuntarie talia passus est, communicare, docet Angelicus 3. *part. q.* 80. *art.* 7. 3. A fortiori qui aliquod voluntarium luxuriae flagitium admisit, non statim ad Communionem est admittendus, etsi contritus & absolutus, nisi urgeat aliqua necessitas, vel aliud prudenti Confessario videatur; tum ob decentiam, tum quia hic cum debita devotione ob foedae libidinis reliquias in mente relictas communicare non potest. 4. Olim in Ecclesia poenitentibus non statim Eucharistia concedebatur, nisi per assignatas poenitentiae classes strenue decurrissent, & salubri satisfactione purgati essent. At nunc mutatus est disciplinae rigor: sed non mutata Evangelii doctrina.

Hinc recte colligimus, 1. a sana doctrina eos longe aberrare, qui blasphemantes hodiernae Ecclesiae benignitatem, asserere sunt ausi, quod *sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam con-*

di-

dignam de delictis suis poenitentiam egerint : quem errorem *Alexander VIII.* damnavit num. 22. 2. Et qui Evangelii rigorem ignorantes, impudenter asseruerunt, *quod frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis*, nempe qui gentilium corruptos mores imitantur : quam doctrinam damnavit *Innocentius XI.* num. 56. Dicimus ergo cum sanioribus Theologis, quod si poenitentia accipiatur pro satisfactione sacramentali, non debeat necessario Communioni ab iis praemitti, qui letale peccatum admiserunt : si vero sumatur pro iis pietatis operibus, quae sinceram cordis conversionem demonstrant, non raro praemittenda est.

Colliges IV. ex gratitudine, & reverentia Christo debita, communicantes teneri 1. post Communionem per aliquod tempus pie occupari cum Christo in gratiarum actione, & in actibus fidei, spei, & caritatis ; ne tempus illud judicio Sanctorum pretiosissimum ad capessendos ingentes hujus sacramenti fructus, teratur frustra : 2. non statim post Communionem spuere ob periculum, & irreverentiam.

§. III.
De Frequenti Communione.

Nota I. Recentiores quidam opinati sunt omnibus Christianis gratia sanctificante praeditis, licere absolute quotidianam Communionem, etsi aliam dispositionem non habeant praeter solum gratiae statum: ita ut quotidiana Communio licita sit laico etiam uxorato, neque illi Confessarius, aut superior eam possit interdicere. Quia Christus Dominus, omnibus qui peccati mortalis sibi conscii non sunt, sive cum magno, sive cum parvo devotionis affectu, eam liberaliter concessit. Ita *Sanchez* in *selectis disput.* 22. apud *Tamburinum de Methodo Communionis cap.* 1. §. 2. Quin & a jure divino praeceptum esse affirmarunt alii, ut constat ex *decreto de quotidiana Communione*.

Nota II. Rigoristae Bajanis erroribus adhaerentes, docuerunt ad hoc sacramentum digne suscipiendum exigi amorem Dei purissimum, omnisque mixtionis expertem. Hinc asseruerunt a sacra Communione ut sacrilegos eos arcendos esse, a quibus isthaec dispositio abest: quam opinionem damnavit *Alexander VIII.* Prop. 23.

Nota III. Sacra Congregatio, annuente Pontifice *Innocentio II.* anno 1679. de usu quotidianae Communionis decretum edi-

edidit, in quo declinatis laxitatis, & severitatis extremis, regulas certas directoribus, ac fidelibus praescripsit, quas in sequentes propositiones, Sanctorum Patrum auctoritate, & saniorum Theologorum sententiis exponam.

Prop. I.

Laudabilior est frequens Eucharistiae usus, quam rarior.

Prob. I. Eo sanctior, ac laudabilior est praxis aliqua, quo conformior est Apostolico aevo, ac vicinioribus temporibus. Atqui tempore Apostolorum, ac tribus prioribus seculis frequens fuit Eucharistiae usus, quam rarior. Ergo. Prob. Minor. Priori Ecclesiae seculo fideles *in Actis 1. erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus:* idest in Communione sanctae Eucharistiae, ut vertit Syriacus, & explicant Patres. 2. Idem eruitur pro altero Ecclesiae seculo ex *Justino Apolog. II.* 3. *Cyprianus*, qui tertio Ecclesiae seculo floruit, hanc esse sui temporis praxim, testatur in *Exposit. Orat. Dom. Eucharistiam*, inquit, *quotidie ad cibum salutis accipimus*.

Prob. II. Non potest esse nisi laudabilior praxis illa, quam Patres summo opere desiderant. Atqui positis ponendis, talis se habet frequens Eucharistiae usus. Ergo. Prob. Minor ex *Tridentino sess. XXII.*

cap. 6. ubi sic: *Optaret S. Synodus , ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu , sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent , quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret.* Idem exoptat *sess. XIII. cap.* 8. Idem docuerat Synodus *Basileensis* anno 1437. Unde merito in laud. Decreto *Innocentii* asseritur : *Frequens quotidianusque Eucharistiae usus a sanctis Patribus semper in Ecclesia probatus.*

Prop. II.

Non est tamen absolute necessaria ad salutem Communio frequentissima.

Prob. I. Si frequentissima , vel quotidiana Communio esset absolute ad salutem necessaria , Patres , data occasione , redarguissent eremi incolas, ceteroquin sanctissimos, qui perraro ad Eucharistiam accedebant. Atqui Patres ab hac agendi ratione solitarios illos non deterruerunt. Ergo absolutam illam necessitatem de quotidiana Communione, quae a Recentioribus quibusdam asseritur, non cognoverunt : alioquin vigilantissimi illi Praesules suo officio defuissent . Quod quidem patet ex *Chrysostomo homil.* 17. *in Ep. ad Hebr.* qui mentionem faciens de illis, qui in eremo degebat , & nonnisi post unum aut duos annos sacramento se reficiebant, nunquam eos redarguisse legitur . Huc referri pos-

poſſant exempla Thaidis, & Mariae Aegyptiacae.

Prob. II. ex *Auguſtino*, qui *ep.* 176. *cap.* 3. docet, non ſolum honorificare Dominum, qui Zachaeum imitatus, laetanter ſuſcipit Chriſtum in Euchariſtia, verum etiam qui Centurionis exemplo prae nimia humilitate ad Chriſti corpus non audet accedere. Atqui ſi quotidiana Communio eſſet jure divino praecepta, qui reverenter a ſacra menſa recederet, Dominum non honorificaret. Ergo. Non enim honorat Dominum, qui legi deeſt divinae.

Prob. III. ex Scholae Doctoribus, praeſertim ex *D. Thoma*, *D. Bonaventura*, *Alberto Magno*, qui pro viribus fideles ad frequentem Communionem hortantur, & ne verbum quidem faciunt de hoc divino praecepto Euchariſtiam quotidie ſumendi. Sapientiſſime ergo ſanxit *Innocentius* in praefato decreto, ut *Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes, Communionem quotidianam eſſe de jure divino.*

Prop. III.

Sola peccati letalis carentia non eſt diſpoſitio ſufficiens ad frequentem, vel frequentiſſimam Communionem.

Prob. I. Patres ad frequentem Communionem non ſolum animam requirunt a peccato mortali immunem, ſed eam virtutibus ornatam, ut *Chryſoſtomus homil.*

17. *in epist. ad Heb.* liberam affectu peccandi, ut *Gennadius lib. de Eccl. Dogmat.* sanam, & pulchram, ut *Augustinus Tract. 16. in Joann.* in gradu non ordinario devotam, & reverentem, ut Angelicus 3. *part. q.* 80. *art.* 10. caritate flagrantem, ut *D. Bonaventura in IV. distint.* 12. Ergo sola immunitas a peccato mortali non sufficit, ut possit quis frequenter, vel frequentissime communicare. Alioquin tepidus, languens, indevotus, consuetudine peccandi venialiter implicatus, quin imo habens propositum actuale committendi innumera peccata venialia, esset rite dispositus ad frequentandum hoc sacramentum: nam haec omnia possunt cum solo statu gratiae componi.

Prob. II. ex *Catechismo Rom.* & ex Decreto *Innocentii* supra laud. Ad rariorem, vel frequentiorem Eucharistiae usum non potest assignari una pro omnibus regula. Atqui hoc esset falsum, si vera esset doctrina adversariorum; nam una esset pro omnibus regula frequentandi Communionem, carentia scilicet peccati mortalis.

Objiciunt Adversarii. 1. Praxis Apostolica est quotidiana Communio: Ergo aemulanda. 2. Ratio hujus sacramenti, quod institutum est per modum cibi sub speciebus panis, qui usualis & quotidianus est hominis alimentum, postulat, ut quotidie a fideli anima percipiatur, dummo-

modo vivat per gratiam. Patres enim non aliam dispositionem requirunt in eo qui ad Eucharistiam accedit, quam immunitatem a peccato mortali. Ergo hortandi sunt fideles omnes, qui sunt in statu gratiae ad eam quotidie, vel frequentissime suscipiendam. 4. Praesens Ecclesiae usus quotidie celebrandi exigit, ut admittantur ad Altare Sacerdotes omnes, qui sunt in statu gratiae, etiamsi tepidi, & indevoti sint; ne minuto sacrificiorum numero, Ecclesia tam ingenti bono frustretur.

Ad I. R. Licet Apostolorum tempore frequens fuerit Eucharistiae usus: quid inde? Fidelium dispositiones erant aurea illa aetate dignae; nam ardens caritas, voluntaria paupertas, ingens martyrii studium, quotidianae Communioni primos Christianos reddebant idoneos. Hinc dicimus cum *D. Bonaventura in IV. dist. 12. Si quaeritur, utrum expediat frequentare Eucharistiam alicui, dicendum, quod si quis videat se esse in statu Ecclesiae primitivae, laudandum est quotidie communicare: si autem in statu Ecclesiae finalis, utpote frigidum, & tardum, laudandum est quod raro: si autem in medio modo, medio modo debet se habere, & aliquando debet cessare, ut addiscat revereri; aliquando accedere, ut inflammetur amore.*

Ad II. R. Eucharistia cibus est, & fidelium panis quotidianus, non quia in-

 di-

discriminatim, semper, & omnibus tradendus, sed quia quotidie omnibus aptis ad illum percipiendum paratus est. Audiant Adversarii *Hieronymum* exponentem illud *Zachariae cap. IX. Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines*, qui haec habet: *Hunc panem iis comedendum, qui in Christo robusti sunt; bibendumque hoc vinum ab his virginibus, quae sunt sanctae & corpore, & spiritu.*

Ad III. R. Patres duplex dispositionis genus distinguunt. Aliud, quod dici solet *removens*, *prohibens*, quod est peccatum mortale, a quo primum purgari anima debet, ne manifestum fiat sacrilegium. Aliud quod dicitur *positivum*, situm in actuali devotione, & fervore. Aliquando Patres loquuntur de negativa dispositione, *salvâ semper debita praeparatione*, ut explicat *D. Bonaventura*, *quae in paucissimis est, ut semper*. Unum adduco *Chrysostomum*, qui in oratione de *B. Philogonio* videtur cum nostris adversariis sentire: sed sanam docet doctrinam, si integer sancti Doctoris textus legatur. Ait enim: *Qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus ad Eucharistiam accedere. Quapropter adhortor vos omnes, ne negligenter, veluti festo die cogente, ad divina mysteria accedatis: sed si quando parabitis hujus sacrae hostiae fieri participes, multis ante diebus repurgetis*

vos

vos ipsos per poenitentiam, precationem, eleemosynam; denique per hoc ut vacetis spiritualibus.

Ad IV. R. Commendabilis est hodierna consuetudo quotidie celebrandi: neque ex hoc sequitur Sacerdotes tepidos, languidos, indevotos ad quotidianam celebrationem admitti debere. Quinimo ad majorem devotionem & sanctitatem adstringitur, qui quotidie celebrat, quam qui quotidie communicat; quia celebratio gradus est altioris perfectionis.

Hinc colligimus I. inter Sacerdotes non paucos esse, qui quotidiana celebratione digni non sunt. *Ecce mundus ubique fervet Sacerdotibus; & tamen sunt rarissimi Sacerdotes boni, quod vix e centum bonus reperiatur unus*, clamat *Hieronymus Ep. ad Damasum*. Concinit *Hieronymo Cajetanus* in 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. *Tot sunt Missae, quot auditores... & culpa ostenditur, dum hoc laudatur*. Improbamus forsitan disciplinam quotidie privatim celebrandi? absit; sed necessitatem debitae devotionis, & fervoris ex Patrum sententiis adstruimus. At hi sic vivant, ut quotidie mereantur celebrare.

II. Adesse alios, quibus cessatio celebrandi ad tempus optimi consilii est: quales sunt, quibus ex nimia celebratione imminet periculum irreverentiae, & indevotionis. Habeat tamen Sacerdotes, unde cum

pari dispositione frequentius sacrum facere possint, quam laici communicare; 1. quia status sacerdotalis de se fert majorem dispositionem ob elongationem a curis secularibus: 2. quia in eis quod deest dispositionis, supplet Ecclesia sua puritate, pro cujus nomine sacrificat.

Prop. IV.

Amor Dei purissimus , & omnis mixtionis expers , non est dispositio necessario requisita ad frequentem Communionem .

Prob. Isthaec dispositio non est praesentis vitae, sed alterius; in hac enim vita non datur vivere sine quacunque mixtione, seu veniali culpa. Audiant Bajani *Augustinum* in *lib. de spiritu & litera cap.* ultimo: *Hoc praeceptum justitiae, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, in illa vita implebimus, cum videbimus facie ad faciem.* Insuper damnata fuit haec propositio ab *Alexandro VIII. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

Prop. V.

Aequum est a frequenti Communione arcere illos, qui licet a peccato mortali immunes sint, affectu tamen adhaerent ad venialia, vel modicum Eucharistiae desiderium habent.

Prob. ex regula a prudentioribus animarum directoribus approbata, qui octiduam,

duam, vel frequentiorem Communionem denegant his, qui affectu adhaerent venialibus, vel nullum aut modicum Euchariſtiae deſiderium habent. Ita *S. Franciſcus Saleſius* in ſua *Introductione part. 2. cap. 20.* qui ex ſententia *Gennadii*, quae ſub *Auguſtini* nomine circumferri ſolebat, haec ſtatuit: *Ut quis octavo quoque die Euchariſtiae perceptionem recipiat, ab omni eum mortalis peccati labe, ab omni peccatorum venialium ſtudio ac voluntate immunem eſſe, ac propterea Euchariſtiae vehementi deſiderio flagrare oportet.* Confer huc ejuſdem ſancti directoris *epiſtolam* 38. alias 44. *lib.* 1. Idem docent celebris Magiſter *Avila ep.* 65. aliique bonae notae directores. De quotidiana vero Communione haec docuit idem *Saleſius* loco laud. *Sed ut quis quotidie communicet, majorem ſuarum pravarum inclinationum ſuperaſſe oportet; & hoc praevio ſpiritualis directoris conſilio fiat.*

Summa itaque doctrinae de frequenti Communione. 1. Frequens, vel quotidiana Communio a nullo jure praecepta, vel prohibita eſt. 2. Ejus frequens quotidianuſque uſus ſemper a SS. Patribus fuit in Eccleſia probatus, ſalva tamen debita diſpoſitione. 3. Carentia peccati mortalis diſpoſitio neceſſaria eſt, ne manifeſtum ſacrilegium committatur. 4. Ad Euchariſtiam digne frequentandam, praeter immuni-

nitatem culpae letalis, ex Patrum doctrina requiritur idonea praeparatio. 5. Cum nihil certi hac de re statui possit, vigilantiae & prudentiae spiritualis directoris, cui conscientiarum recessus patent, relinquitur, quid singulis permittendum. 6. Prudens director ex communicantis progressu ad virtutem, rariorem vel frequentiorem Communionem permittat. 7. Profectum animae ad pietatem sapiens director non ex solo Communionis desiderio, vel ex continuata precatione, vel ex diuturno secessu, sed ex solidae virtutis officiis spectabit. 8. Peccator, qui in unius, vel multiplicis peccati habitu vixit, si corde sincero & contrito vulnera sua patefaciat, nonnisi serio probatus ad Eucharistiam admittatur; quin etiam contra relapsus hoc caelesti antidoto firmandus erit. Cave tamen, ne praxim illorum directorum imiteris, qui ad octiduam Communionem admittunt illos, quibus nulla hebdomoda praeterit, quin semel, aut saepius luxuriae spurcitiis se contaminent.

Demum duo notanda sunt. I. In hac rarissima caussa, ne decipiaris a quibusdam Recentiorum opusculis, qui de frequenti Communione nimis rigide, vel laxe sentiunt. Lege *Salesium* loc. laud. Magistrum de *Avila Ep. 65. Henricum de Bonis* in *Tract. de Sacramento Altaris* apud *Genettum* in *Tract. de Poenitentia cap. 6.* viros spi-

ſpirituales, ac ſummos Theologos. II. Sedulo cave, ne indiſcretis ſermonibus a frequenti Communione fideles arceas; *tum quia populus noſtro hoc ſeculo multo magis inclinat ad raritatis, quam ad frequentiae vitium; tum quia cum ut plurimum ad frequentiam non declinent niſi pii & timorati: Iſtis nocebunt, nihil autem aliis proderunt ejuſmodi declamationes. Unde ab hebdomadaria ſynaxi recedent, qui eam digne frequentabant*. Hinc graviter vetuit *S.Carolus Borrhomaeus, ne quis fideles a crebra Communione removeret*. Imo enitendum Paſtoribus, ut eo gregem ſuum deducant; perſuaſi nimirum, ibi populum ſanctum fore, ubi frequens Communio viguerit.

§. IV.

De Diſpoſitionibus ex parte corporis.

Diſpoſitiones ex parte corporis ad Euchariſtiam requiſitae, ſunt modeſtia exterior, corporis mundities, & jejunium. I. Requiritur *modeſtia exterior*, ſive corporis compoſitio, quae internam reverentiam, & devotionem exhibeat in veſtibus, in vultu, in geſtu. Hinc 1. mulieres ſi nimis immodeſtae accedant, arcendae ſunt ab Altari. 2. Conveniens eſt, ut viri in Communione arma deponant. 3. Sacerdotes, qui laicorum more communicant, ex Concilio *Brancarenſi III.* ſub poena excommunica-

tio-

tionis stola ornati accedant, etiamsi in infirmitate sumant. Quod decretum etsi per desuetudinem abrogatum dicitur, a veniali tamen culpa non excusant aliqui Sacerdotem, qui contra fecerit.

II. *Corporis munditics*, quae his foeditatibus opponitur, quae humanum corpus inquinant: ut sunt lepra, fluxus sanguinis, actus conjugalis &c. Hinc corporis macula externa & delebilis ex decentia auferri debet: si vero sit occulta, per se non impedit Communionem; praesertim si longius duret, nisi propter effectus inde secutos, ut diximus in §. II.

III. Requiritur *jejunium* naturale, consistens in omnimoda abstinentia a cibo & potu ex gravi obligatione rigorosi praecepti ecclesiastici, materiae parvitatem non admittentis, a media nocte praecedenti ad tempus usque Communionis. Quod certum est ex Conciliis, & communi sensu Doctorum.

Ut vero aliqua sumtione frangatur jejunium naturale, haec tria requiruntur; 1. ut habeat rationem cibi & potus; 2. ut sumatur per modum comestionis, vel potationis, 3. ut sumatur ab extrinseco.

I. Ut habeat *rationem cibi, & potus.* Dicitur autem habere aliquid rationem cibi, & potus, quod in hominis stomacho sit alterabile, & aliquo modo nutritivum. Hinc resolves jejunium naturale

le non frangere fructuum officula, solida auri frusta, fila ex ferico, ex lana; quia non sunt neque alterabilia, neque nutritiva. Contra, jejunium frangere cartham, & fila ex lino, quae ex herbis fiunt; ceram quae semper aliquid mellis habet admixtum; terram cretam, quam praegnantes, vel aliae mulierculae solent appetere; pulverem medicinalem, qui fit ex lapidibus, aut offibus contritis; aurum potabile: quia haec semper habent aliquid digestibilis, & nutritivi.

II. Ut sumatur per modum *comestionis*, & *potationis*. Id verificatur, quando & quod per stomachum trajicitur, & modus sumendi sufficit, ut quis in morali aestimatione censeatur comedisse, vel bibisse. Hinc resolves, jejunium non frangere culicem cum respiratione, & aëre in faucibus attractum: minimas aquae, vel vini reliquias, quibus os abluitur: reliquias ciborum caenae praecedentis & dentibus adhaerentes, & postea trajectas; quia sumuntur per modum salivae, vel respirationis. Idem docent de tabaco in quacunque specie sumto; quia vel sumitur per modum aëris attracti, ut in tabaco per os attracto in fumo; vel per modum salivae, ut in iis, qui folia mandunt; vel per afflationem narium, ut in usu pulveris tabaci.

III. Ut sumatur *ab extrinseco*. Hinc sa-

saliva non frangit jejunium naturale. Item sanguis ex gengiva, vel ex capite in os defluens, si deglutiatur, haud solvit jejunium, quia non sumitur ab extrinseco.

Post Communionem nulla est lex jejunandi: sed conveniens est, ut saltem per quadrantem communicantes abstineant a cibo, vel potu. Ab hac generali jejunii lege excipiuntur aliqui casus, in quibus vel necessitas, vel reverentia sacramenti aliquid exigit. 1. Necessitas sumendi viaticum in probabili mortis periculo, quando moriturus sine incommodo jejunus communicare nequit: quin imo pluries potest moribundus non jejunus communicare, durante eodem periculo, seu infirmitate saltem post spatium octo dierum, ut docent communiter; alii addunt frequentius pro devotione, & desiderio aegrotantis. Sacerdos in periculo mortis constitutus potest non jejunus sacrificare non solum ut se communicet, ut communiter sentiunt Theologi; sed ut praebeat alteri viaticum, ut probabilius cum multis docet *Concina*. 2. Necessitas perficiendi sacrificium postulat, ut sacrificium absolvatur etiam a Sacerdote non jejuno, quando aliter fieri nequit.

Hinc Sacerdos si advertat 1. in calice non fuisse nisi aquam, cujus partem sumsit; 2. non esse jejunum: 3. Si adstringatur ad perficiendum sacrificium, ab alio

Sa-

Sacerdote inchoatum, qui peracta consecratione, vi alicujus morbi non potest illud absolvere. In hoc triplici casu non jejunus communicet, quia jus divinum faciendi sacrificium perfectum, praevalet legi ecclesiasticae de praemittendo jejunio. Huc reduci potest casus de fragmentis consecratis, quae post ablutionem in corporali, vel patena reperiuntur; quia hae reliquiae spectant ad idem sacrificium, & eadem sumtio se habet per modum unius refectionis cum praecedenti Communione. 3. Reverentia sacramento debita exigit, ut potius a non jejunis Eucharistia sumatur, quam imminente hostium incursione, vel incendio, infidelium profanationi, vel flammis sacrificium exponatur. 4. Quando violatur jejunium simul cum Communione accepta, ut contingit in feria sexta majoris Hebdomadae, vel quando particula hostiae haeret labro calicis, vel cum palato haeret: tunc una cum vino vel aqua trajiciatur; quia in his casibus violatio jejunii non censetur praecedere Communionem. 5. Si Sacerdos ante consecrationem advertat, se fregisse jejunium, si citra scandalum possit, ab Altari recedat.

Demum nota, 1. quod dubitans an sit jejunus, non potest ad Eucharistiam accedere, nisi deposito dubio. 2. In hac lege jejunii naturalis non datur parvitas materiae non solum ex parte rei ipsius, quae co-

comederetur; verum etiam ex parte temporis. Unde ad primum pulsum horologii qui vellet mane communicare, statim deberet a caena desistere. 3. Quoad horologia, quae saepissime variant, iis adhaerendum, quae plus fidei merentur. 4. Post cibum paullo ante mediam noctem sumtum non requiritur somnus, aut cibi digestio ad communicandum: verum conveniens est propter capitis gravitatem, aut torporem animi, quibus tollitur devotio, ut a Communione abstineat.

SECTIO V.

De Praecepto sumendi Eucharistiam.

Prop. I.

Eucharistiae perceptio necessaria est necessitate praecepti divini.

Prob. I. *Joannis VI. Nisi manducaveritis carnem filii hominis . . . . non habebitis vitam in vobis*. Atqui haec verba Christi Domini praeceptum continent, & quidem grave; nam poenam mortis aeternae transgressoribus minatur. Ergo.

Prob. II. Eucharistia cibus est, ad alendam, & conservandam spiritualem vitam institutus. Atqui fideles jure divino tenentur spiritualem vitam conservare. Ergo.

Hinc colliges ex communi sententia hoc praeceptum 1. obligare adultos pluries in

in vita. Nam ſi Euchariſtia ex divina inſtitutione cibus eſt animae, non raro ergo ex divino praecepto ſumenda. 2. Obligare in quovis probabili mortis periculo, conſtat tum ex conſuetudine, & praxi Eccleſiae miniſtrantis Euchariſtiam omnibus in periculo mortis verſantibus, tum ex neceſſitate roborandi vitam ſpiritualem contra graviſſimas tentationes in extremo vitae. Unde reſolves I. quemque fidelem in vitae diſcrimine quod praevidet, vel merito timet, ut in gravi morbo, difficili partu, inciſione, inſtante conflictu, periculoſa navigatione, teneri ſub mortali communicare; etiamſi paullo ante morbum communicaverit: eumque adhuc lege viatici adſtringi, docent communiter Theologi; quia certum non eſt per actum minime praeceptum ſatisfieri praecepto. Alii addunt, eum qui mane communicavit ex devotione, vel ex praecepto Paſchali, ſi eadem die incurrat periculum vitae, debere iterum communicare per modum viatici. Communior tamen ſententia, ait *Concina*, probabilius defendit non debere illum qui eadem die communicavit, iterum Euchariſtiam ſumere. II. Eum qui indigne viaticum recepit, ad novam ejus receptionem teneri; quia per ſacrilegam Communionem divino praecepto digne ſumendi Euchariſtiam non ſatisfecit. Item denuo communicare debet, qui poſt acceptum

ptum viaticum in gravem culpam labitur; unde durante eodem mortis periculo, si citra scandalum fieri possit, iterum Eucharistia ministretur. III. Pueris completo septennio, & jam doli capacibus in articulo mortis viaticum administrandum esse, docent multi. Si vero de capacitate pueri morituri dubitetur, posse nihilominus ei dispensari viaticum, censet *Concina* cum aliis; Ecclesia enim solum excludit eos, qui certo carent rationis lumine. Vide superius dicta *de subjecto*.

Prop. II.

Eucharistiae receptio est necessaria necessitate praecepti ecclesiastici.

Prob. ex Concilio *Lateranensi IV. can.* 21. ubi sic: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum; nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem caussam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioqui & vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Idem confirmatur in *Tridentino sess. XIII. can. 9.*

Porro in hoc Ecclesiae praecepto de Paschali Communione haec sunt notanda.

I. Te-

I. Teneri omnes utriusque sexus fideles usum discretionis habentes, saltem in Paschate ad mensam Eucharisticam accedere. Unde colliges 1. sub hac lege comprehendi omnes adultos baptizatos, a quibus nec etiam Papa excludendus, ut communiter docent Theologi. 2. Pueros doli capaces, qui valeant discernere cibum Eucharisticum a communi: quod in aliis citius, nempe circa annum X. vel XI. in aliis serius circa XIV. contingit. Ultra hanc aetatem nemo differre debet, si sit sufficienter instructus, & rite dispositus. Hos autem pueros docent multi obligari prius ad Confessionem, quam ad Communionem peragendam, pro qua major cognitio requiritur: *Concina* merito reclamante, qui contendit, pueros, statim ac constet, accepisse hujus sacramenti cognitionem aliquam, sive sint septennes, sive octennes, sive novennes, ad Paschalem Communionem teneri. De mutis, surdis, & semifatuis vide dicta §. II. 3. Haereticos, qui per baptisma jurisdictioni Ecclesiae subditi sunt. 4. Impeditos, qui si possint, tenentur tollere impedimenta; quia hoc praeceptum quoad substantiam est divinum, & nimis rigorose obligat. Hinc excommunicati, vel aliâ simili censurâ innodati, tenentur procurare absolutionem a censura, ut huic praecepto satisfaciant; excusantur vero, dummodo ipsi in caussa non

non sint, cur a censuris non absolvantur. Carcere detenti debent procurare libertatem, ut communicent. Ita *Salmanticenses*.

II. Praecipitur, ut *reverenter* Eucharistiae sacramentum suscipiant. Unde resolves, per sacrilegam Communionem huic praecepto non satisfieri; quia 1. qui sacrilege suscipit, non reverenter suscipit. 2. Quia praecipitur Communio, quae sit cibus, & vita animae, qualis non est Communio sacrilega, etiamsi sit materialiter talis: ut contingit in eo, qui invincibiliter oblitus se esse in peccato mortali, communicat; hic enim licet non peccet, fructuose tamen non communicat. Merito ergo ab *Innocentio XI.* proscripta fuit haec propositio: *Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem*.

III. Definitur tempus annuae Communionis, scilicet ut fiat *saltem in Pascha.* Quae temporis definitio determinatio est praecepti divini, obligantis adultos ad saepius in vita Eucharistiam sumendam. Tempus Paschale ex *Bulla* Fide digna *Eugenii IV.* & usu Ecclesiae comprehendit totam quindenam Paschalem a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis usque inclusive, excepto privilegio, vel necessitate, vel consuetudine, ex quibus plus temporis conceditur: ut Neapoli ex privilegio con-

conceditur amplissimum tempus a Dominica Palmarum ad Dominicam usque SS. Trinitatis inclusive. Unde resolves: Qui praevidet se Communionem sumere non posse infra quindecim dies Paschatis, nec postea, hoc anno tenetur anticipare: sicut etiam qui quacunque ex caussa sive legitima, sive non, praeceptum hoc suo tempore omisit, implere tenetur, cumprimum possit; quia hujusmodi praeceptum primario imperat Communionem, secundario tempus, quo fieri debet; & terminus Paschalis appositus est ad sollicitandam, non vero ad finiendam obligationem. Nota, Ex justa caussa proprius Sacerdos, sive sit proprius Parochus, sive Confessarius, potest ultra quindenam Paschalem Communionem poenitentis differre, ex eodem Concilio *Lateranensi*.

IV. Communio Paschalis sumenda in propria Parochia, & de manu Parochi, vel ejus delegati ex consuetudine vim legis habente, & sic interpretante laudatum Canonem, *Omnis utriusque*, constat etiam ex variis declarationibus Sacrae Congregationis. Ratio, ut pastor agnoscat vultum pecoris sui. Unde resolves, 1. communicantes in Cathedrali, quae non est propria Parochia, non satisfacere praecepto, nisi accesserit consensus Episcopi: ut Neapoli, ubi per Communionem factam in Ecclesia Cathedrali, praecepto

Paſchali ſatisfit ; a fortiori per Communiones factas apud Regulares huic Canoni non ſatisfit . 2. Errabundi , nempe ii, qui nullibi habent certum domicilium, tenentur in ea Parochia communicare, ubi tempore Paſchali verſantur; nam ibi cenſentur habere domicilium eo modo , quo illius ſunt capaces . Idem ſentiendum de peregrinis, qui tempore Paſchatis ad proprias Parochias redire nequeunt , cum reputentur incolae illius loci, in quo Paſchali tempore inveniuntur . Contra ſatisfacit praecepto Paſchali , qui de licentia Parochi alibi communicat. Verum ex *Synodo Neapolitana Cardinalis Pignatelli* , Parochus ſub poena ſuſpenſionis ipſo facto a divinis, eam licentiam dare nequit , niſi in caſu verae neceſſitatis . 2. Sacerdotes Miſſam celebrantes ſatisfaciunt praecepto ubicunque celebrent ; ſecus, ſi laicorum more communicent . 3. Excuſantur ab onere adeundi Parochiam, qui aliquo legitimo impedimento detenti , alibi communicant, puta non habentes veſtes, ut honeſte Eccleſiam Parochialem adire poſſint .

Tranſgreſſoribus iſtius praecepti jure communi minitatur interdictum ab ingreſſu Eccleſiae,& privatio eccleſiaſticae ſepulturae; jure vero Neapolitano haec poena eſt latae ſententiae , ejuſque abſolutio Archiepiſcopo reſervatur . Demum qui doloſe dant , vel accipiunt ſchedulas, quae tempore Paſchali

schali communicantibus in Cathedrali vel Parochiis distribui solent, ut fidem Parocho exhibeant de peracta Communione; nec non dolose cooperantes, puta consilio, mandato &c. Item qui easdem chartulas in fraudem accomodant, & eorum cooperatores incidunt in casum Archiepiscopo reservatum cum excommunicatione.

SECTIO VI.

De Eucharistiae Effectibus.

Eucharistiae effectus plures numerantur. Primus & principalis est *gratiae augmentum*. Sacramenta enim gratiam producunt, aut primam ut Baptismus, & Poenitentia; aut secundam, ut Eucharistia cum ceteris. Apposite *Eugenius IV.* in Decreto: *Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum; & quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne augeatur gratia; omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando, & delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem.* Utrum vero per accidens hoc sacramentum det aliquando primam gratiam, disputatur a

Theologis. De hac quaestione vide dicta in *Tract. de Sacram. in gen.* ubi ex solidis *D. Thomae* principiis affirmativam sententiam amplexi sumus.

Alter effectus est *remissio venialium* ex opere operato. Eucharistia enim a Patribus Tridentinis vocatur *Antidotum*, *quo liberamur a culpis quotidianis*, seu venialibus. Antidotum porro ex se, & ex vi propria operatur. Ergo si Eucharistia venialium culparum antidotum est, ex sua virtute eas delet. Ita communiter Theologi. Ad hunc effectum percipiendum multi cum *D. Thoma* docent, requiri in subjecto aliquam formalem detestationem venialium, excitatam ab auxiliis actualibus, quae Eucharistia ex opere operato confert.

Tertius effectus est *remissio poenae* peccatis debitae, non directe, & vi sacramenti, sed ex consequenti, & ex quadam concomitantia. Eucharistia enim praecipue auget caritatem, *ex cujus fervore*, inquit Angelicus 3. *part. q.* 79. *art.* 5. *aliquis consequitur remissionem non solum culpae, sed etiam poenae. Inde est, quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem poenae, non quidem totius, sed secundum modum suae devotionis, & fervoris.*

Quartus effectus est *praeservatio a peccatis mortalibus*. Ita *Tridentinum sess.XIII.*

cap.

cap. 2. docens Eucharistiam *antidotum esse*, quo a mortalibus praeservamur per gratias scilicet actuales, quibus homo adjutus a letalibus carere, & in bono progredi possit, & mediante ista praeservatione perseverantiam adipisci, & per eam gloriam consequi, juxta illud *Joannis VIII. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum:* si tamen homo gratis illis non resistat.

Eucharistia non solum suos effectus influit in animam; verum etiam nonnihil operatur in corpore. Et 1. quidem minuit fomitem peccati, qui est in membris nostris ex quadam consequentia, ut ait *D. Thomas*, in quantum auget caritatem, cujus augmentum ex *Augustino* est *diminutio cupiditatis*. 2. Influit in beatam corporum resurrectionem, & immortalitatem. Hinc a Patribus Nicaenis appellatur *symbolum resurrectionis*, & a *S. Ignatio ad Eph. pharmacum immortalitatis*.

Porro Eucharistia licet ex opere operato, & in ratione sacramenti non prosit aliis, quam sumentibus; prodest tamen aliis ex opere operantis, tum ratione sui, ut est actus pietatis; tum ratione precum, quae eamdem praecedunt, stipant, ac subsequuntur; & ejus occasione fervent magis, magisque Deo acceptae sunt. Hinc merito a Sacra Congregatione sub *Alexandro VIII.* proscriptum fuit opusculum, in quo

Communio pro mortuis facta rejiciebatur, *ut pia fraus.*

Demum duo notanda. 1. Ut Eucharistia suum pariat effectum, non sufficit sola sumtio, neque trajectio specierum per fauces; sed requiritur, ut aliqua pars earum in stomacho recipiatur, tamquam primario nutritionis instrumento, quia tunc verificatur manducatio. Hinc qui tamdiu in ore species detineret, donec dissolverentur; vel moreretur, antequam in stomachum particula descenderet, gratiam non reciperet. 2. Ex Communione unius tantum speciei percipi omnem gratiae fructum ad salutem necessarium, docet *Tridentinum sess. XXI. cap.* 3.

CAP.

CAP. II.

De Sacrificio Missae.

VAriis nominibus *Missae Sacrificium* appellatur. 1. Dicitur *Liturgia*, ideſt opus ſeu publicum illud miniſterium, quo Sacrificium perficitur. 2. *Synaxis*, ſeu conjunctio fidelium cum Chriſto. 3. *Collecta*, ſeu congregatio fidelium, ut divinis participet. 4. *Oblatio*, quae ſummae Majeſtati in expiationem peccatorum offertur. 5. Dicitur *Miſſa* a verbo *mitto*; cum quia hoſtia, & preces a nobis Deo mittuntur; tum etiam quia peractâ re ſacrâ, populus dimittitur, clamante Diacono: *Ite, Miſſa eſt*: quo ſenſu *Auguſtinus ſer.* 49. ait: *Fit Miſſa Catechumenis, manebant fideles*. In duas veluti partes olim Miſſa diſtinguebatur: Prima dicebatur *Catechumenorum*, & *poenitentium*, & durabat ab introitu ad offertorium uſque; quo imminente, Diaconus clara voce clamabat: *Exite Catechumeni, poenitentes, indigni*. Altera pars *fidelium* appellabatur, quae ab introitu uſque ad finem durabat: tunc dimittebatur populus his verbis: *Ite, Miſſa eſt*, ſeu *dimiſſio eſt*.

SECTIO I.

De Existentia, & Natura Sacrificii Eucharistici.

Nota I. Sacrificium sumitur vel *late* & *improprie*, vel *stricte* & *proprie*. Late sumtum, est omne opus bonum sive internum sive externum, quod in Dei gloriam cedit: ut orationes, laudes, adorationes, ceterique actus virtutum: & hoc sensu dicitur *Psalm. IL. Immola Deo Sacrificium laudis:* Et *I. Petri II.* Christiani omnes nuncupantur Sacerdotes sancti ad offerendas spirituales hostias.

Nota II. Sacrificium stricte sumtum definitur a Scholasticis: *Oblatio externa soli Deo facta, qua in recognitionem supremi illius dominii a legitimo ministro res aliqua sensibilis, & permanens ritu mystico consecratur, & mutatur*. Dicitur 1. *oblatio:* quae vox locum generis occupat, & est actio ministri victimam offerentis. Dicitur 2. *oblatio externa*, seu sensibilis; quia est actio, qua homines ejusdem religionis una conjunguntur ad exhibendum Deo publicum honorem per manus publici ministri. Atqui homines communicare simul nequeunt, nisi per signa sensibilia. Unde recte ab *Augustino lib. X. de Civit. Dei cap.* 5. Sacrificium definitur: *Invisibilis Sa-*

Sacrificii sacramentum, ideſt ſignum ſacrum, & externum. Dicitur 3. *ſoli Deo facta*. Solus quippe Deus conditor, & moderator hominum, eſt principium, & finis. *Quis enim*, inquit *Auguſtinus lib. X. de Civit. Dei cap.* 1. *ſacrificandum eſſe cenſuit, niſi ei quem Deum aut ſcivit, aut putavit, aut finxit?* Dicitur 4. *in recognitionem ſupremi illius dominii*. Hic enim eſt finis intrinſecus, & eſſentialis Sacrificii inſtituti ad ſummum Deo honorem exhibendum, profitendo omnia ab ipſo eſſe, & pro illius gloria ad nihilum redigenda. 5. *A legitimo miniſtro*, ſcilicet a perſona ad id ſpecialiter deputata. 6. *Oblatio rei ſenſibilis, & permanentis*; ut diſtinguatur ab oblatione rei, quae actu tranſit: ut ſunt preces, proteſtationes, aliaque id genus. 7. *Ritu myſtico conſecrata*; quia res quae offertur, ex profana fieri debet ſacra, & per hanc conſecrationem myſticis caerimoniis Deo ſingulariter dicari. Id enim ſignificat ſacrificare, ac ſacrum facere, ait *D. Thomas* 2. 2. *q.* 85. *art.* 3. *ad* 3. Ultima particula *mutatur*, diſtinguit Sacrificium a ſimplicibus oblationibus. Ait enim *D. Thomas* eod. loco: *Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit; ſicut quod animalia occidebantur, & comburebantur; quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur*. Hac diſtructione ſive immutatione ſignificatur ſupremum Dei

dominium in res omnes: qui, sicut creare omnia potuit, sic & omnia potest destruere.

Nota III. Sacrificium multipliciter dividitur. I. Ratione materiae in *cruentum*, in quo funditur sanguis; & in *incruentum*, in quo sanguis non effunditur. Praeterea aliud dicitur *victima* seu *hostia*, in quo aliquid animatum offertur; ut bos, agnus: aliud *immolatio*, in quo aliquid inanimatum sed solidum; ut panis, sal, thus., triticum: aliud *libamen*, in quo aliquid inanimatum, sed liquidum offertur; ut vinum, oleum, sanguis, aqua. II. Ratione formae aliud dicitur *holocaustum*, in quo id quod offertur, totum consumitur per ignem. Aliud *hostia pro peccato*, in quo quod offerebatur partim consumebatur, partim in usum Sacerdotum cedebat. Aliud *hostia pacifica*, in quo oblatio partim cremebatur, partim edebatur tum a Sacerdotibus, tum ab offerentibus. III. Ratione finis aliud est *latreuticum*, quod unice in cultum Dei; aliud *eucharisticum*, quo specialiter in gratiarum actionem; aliud *propitiatorium*, quod ad remissionem culpae, & poenae; aliud *impetratorium*, quod pro impetrandis beneficiis offertur. Pro latreutico est holocaustum; pro eucharistico, & impetratorio hostia pacifica; pro propitiatorio hostia pro peccatis. Vide *D. Thomam q.* 101. *art.* 3.

No-

Nota IV. In Novo Foedere translato Sacerdotio ab ordine Aaron ad ordinem Melchisedech, Christus Dominus, qui est Sacerdos in aeternum, veterum victimarum loco se posuit, offerendo seipsum Patri in ara crucis pro hominum salute, juxta illud *ad Eph. V. v. 2. Tradidit semetipsum pro nobis in oblationem, & hostiam.* Unde sequitur, in cruce oblatum fuisse verum & proprium sacrificium, in quo Christus fuit Sacerdos, & idem ipse victima: Altare vero crux, idque ex Dei institutione, qui constituerat eum Sacerdotem magnum, ut sanguine suo interveniret pro nostra salute, & esset propitiatio pro peccatis nostris. Ut autem hujus cruenti sacrificii crucis in nobis jugiter esset continuatio, applicatio, & memoria, Christus Dominus, cujus Sacerdotium morte extinguendum non erat, incruentum Sacrificium instituit, in quo sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem suum per Sacerdotes Patri suo offerret. Igitur in Nova Lege abrogatis veteribus sacrificiis, substitutum est Sacrificium Christi in cruce, & in altari. Quod substantiâ unum est, offerendi modo diversum; nam eadem victima, idem principalis offerens in cruce, & in altari. Sed in cruce non sine reali sanguinis effusione hostia immolatur; in altari vero victima, quae offertur, mystice tantum mactatur. Brevius: in No-

vo Teſtamento exſtat verum & proprium Sacrificium, nempe immolatio Chriſti Domini in cruce, & dicitur *Sacrificium cruentum ;* in altari , & dicitur *Sacrificium incruentum :* & quod in cruce pro nobis Chriſtus meruit, in altari applicat .

Nota V. Miſſam eſſe verum & proprium Sacrificium, dogma catholicum eſt. Diſputant tamen Scholaſtici, in qua actione conſiſtat eſſentia hujus Sacrificii . Pro hujus ſolutione ſex actiones notantur in Liturgia. 1. Eſt oblatio panis & vini , quae *offertorium* dicitur, & conſecrationem praecedit. 2. Conſecratio. 3. Oblatio, quae conſecrationem conſequitur ; & fit per haec verba : *Unde & memores nos ſervi tui ... offerimus praeclarae Majeſtati tuae &c.* 4. Fractio hoſtiae per partes. 5. Communio Sacerdotis. 6. Demum Communio populi. His ſuppoſitis , ſit

Prop. I.

Euchariſtia eſt verum ac proprium Sacrificium, quod in Miſſa offertur.

Prob. I. ex univerſa Apoſtolorum , ac Patrum traditione, ex qua contra Novatores dogma catholicum definivit *Tridentinum Seſſ. XXII. can.* 1. his verbis: *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium ... anathema ſit* . Rurſus *can.* 3. *Si quis dixerit, Miſſae Sacrificium tantum eſſe laudis , & gratiarum actionis, ut nudam commemoratio-*

tionem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium ..... anathema sit. Et tandem *can.* 4. *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi Sacrificio in cruce peracto, per Missae Sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit*.

Prob. II. Ad Sacrificium proprie dictum hae conditiones requiruntur; 1. res sensibilis, & permanens, quae materia sacrificii dicitur: 2. Ejus mutatio per actionem sacrificantis, quae forma sacrificii est: 3. Legitimus minister: 4. Finis legitimus, nempe agnitio supremi Dei in res omnes dominii. Atqui haec omnia adamussim Eucharistiae conveniunt. Ergo. Nam 1. per Eucharistiam in Missa offertur Deo corpus & sanguis Christi, quae sunt sufficienter sensibilia per species consecratas. 2. Habetur victimae immutatio per consecrationem, quae licet non sit realis; est tamen mystica, sufficiens ad rationem sacrificii incruenti. Nam vi verborum, quibus panis & vinum consecrantur, separatur sanguis a corpore: quae separatio est quaedam mystica sanguinis effusio. 3. Non caret legitimo ministerio; nam in Missa primarius Sacerdos est Christus, secundarii sunt Sacerdotes, qui in Christi nomine, ejusque persona ad altare accedunt. 4. Demum habet Sacrificium Eucharisticum legitimum finem, nempe cultum Dei; nam ex Dei institutione haec oblatio fit

ad

ad recognoſcendum ſupremum Dei in res creatas dominium . Ergo .

Hinc colliges I. merito damnatam eſſe a *Pio V.* hanc Baji propoſitionem num.45. *Sacrificium Miſſae non alia ratione eſt ſacrificium , quam generali illa , qua omne opus quod fit , ut ſancta ſocietate homo Deo inhaereat .*

Colliges II. Miſſae Sacrificium continere ſuperiori modo omnem differentiam hoſtiarum Veteris Teſtamenti . Hinc Sacrificium Miſſae eſt 1. *latreuticum* ſeu *honorarium* , quia offertur Deo in recognitionem ejus ſupremi dominii . 2. *Euchariſticum* , quia in ejus celebratione pro acceptis beneficiis gratiae Deo aguntur . 3. *Propitiatorium* , quia offertur in remiſſionem peccatorum , & poenae eis debitae . 4. *Impetratorium* , quatenus fit ad obtinenda a Deo beneficia .

Colliges III. in Novo Teſtamento , abrogatis Veteris Legis ſacrificiis , nullam eſſe in Eccleſia poteſtatem inſtituendi aliud ſacrificium : ſed teneri Eccleſiam offerre incruentum corporis , & ſanguinis Chriſti ſacrificium : cetera vero quae offeruntur, ut thymiama, hoſtia ante conſecrationem &c. non habere vere & proprie rationem ſacrificii , nec proprie Deo offerri , niſi quatenus ad Sacrificium Miſſae ordinantur.

Prop. II.

Utraque oblatio , tum quae praecedit , tum

tum quae subsequitur consecrationem, ad essentiam Sacrificii non pertinet.

Prob. 1. pars. Oblatio consecrationem praecedens, non est oblatio victimae sacrificii, sed mera praeparatio ad illud, cum sit oblatio panis, & vini consecrandi. Ergo ad Sacrificii essentiam non pertinet.

Prob. 2. pars. Oblatio, quae consecrationem consequitur, ab Ecclesia, non a Christo instituta est, ut patet ex verbis ipsis hujus oblationis: *Unde & memores nos servi tui... offerimus*. Ergo non est de essentia sacrificii: sacrificium enim est divinae institutionis.

Prop. III.

Fractio, commixtio, specierum distributio de essentia sacrificii non sunt.

Prob. 1. pars ex *D. Thoma*, qui 3. *part. q.* 83. *art.* 6. *ad* 6. haec habet: *Dicendum, quod fractio hostiae consecratae, & quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquae significat populum; & ideo horum praetermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc necesse sit aliquid reiterare circa celebrationem hujus sacramenti*. Hinc inferes, nullo modo reiterandum esse sacrificium, si Sacerdoti crucem facienti decideret hostia in calicem, quae frangi non potest.

Prob. 2. pars. Distributio fieri potest

a

a Diacono: actio vero sacrificii tota a Sacerdote peragi debet. Ergo &c.

Prop. IV.

Communio Sacerdotis non ad essentiam, sed ad integritatem sacrificii pertinet.

Prob. 1. pars. Ante Communionem Sacerdotis jam praeexsistit sacrificium. Ergo Communio ad ejus essentiam non pertinet; nam ante Communionem in consecratione habetur victimae immolatio. Ergo sacrificium jam praeexsistit.

Prob. 2. pars. Ad integritatem sacrificii pertinet hostiae immolatae participatio, ut patet ex sacrificiis veteris legis. Hinc si Sacerdos post consecrationem moriatur, aut ineptus ad consumtionem fiat, ex Ecclesiae traditione alius sacerdos, etiam non jejunus perficere sacrificium, & oblata consecrata absumere debet. *Ergo modis omnibus tenendum*, ajunt Patres Concilii *Tolentani XII. can.* 5. *ut quotiescunque sacrificans, corpus & sanguinem Domini Jesu Christi in altari immolet, toties perceptionis corporis & sanguinis Christi participem se praebeat.*

Nota, Sacerdotem ex ea hostia communicare debere, quam consecravit, non ex alia. Unde ex *Rubrica Missalis* si ex aliqua caussa Sacerdos non possit sumere formulam modo consecratam, uti nequit hostia in alia Missa consecrata ad perficiendum sacrificium, sed tenetur aliam consecrare.

Prop.

Prop. V.

Essentia Sacrificii Missae consistit in consecratione utriusque speciei.

Prob. Vi consecrationis habetur praesentatio, oblatio, & sufficiens victimae destructio. Ergo. Nam vi verborum consecrationis quasi per gladium, ut loquitur *Cyrillus*, sanguis a corpore mystice separatur, & Christus Dominus tamquam verus agnus & victima sistitur in Altari sub speciebus panis & vini, & in quodam statu mortis constitüitur, Patrique offertur. Ergo.

Hinc inferes contra aliquos, rationem sacrificii non salvari per consecrationem unius tantum speciei. Nam Missae Sacrificium, ut declarat *Tridentinum*, est repraesentatio sacrificii crucis: quae repraesentatio deest in una tantum specie consecrata; in qua etsi vi verborum poneretur corpus exsangue, non haberetur tamen mystica sanguinis effusio, cruenti sacrificii crucis expressa imago.

Notandum hîc quod habetur in *Rubrica Missalis tit. 5. Si materia, quae esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini non posset ullo modo haberi; si id fit ante consecrationem corporis, ulterius procedi non debet: si post consecrationem corporis, aut etiam vini deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata; tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & Missa ab-*

sol-

solvenda, ita tamen, ut praetermittantur verba, & signa, quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si exspectando aliquamdiu haberi possit, exspectandum erit, ne sacrificium maneat imperfectum. Et si Sacerdos defectum vini advertat post sumtionem corporis, ex *D. Thoma 3. part. q. 83. art. 6. ad* 4. cui adhaeret *Rubrica Missalis*, oportet ut non solum calicem, sed & panem de novo offerat, & consecret, incipiendo a verbis illis: *qui pridie quam pateretur*. Quia si Sacerdos diceret sola verba consecrationis sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi; & ex laudato concilio *Tolentano, perfecta videri non possunt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur*. Contrariam vero opinionem tenent *Scotus*, *Gabriel*, *Adrianus*, aliique, qui docent, sicut in sacramento, ita & in sacrificio nihil iterandum, sed caute supplendum, quod incaute omissum fuerit. Unde in tali casu satis erit vinum statim infundere, offerre, consecrare, incipiendo a verbis illis, *simili modo*, & sumere.

SE-

SECTIO II.

De Ministro Sacrificii Eucharistici.

Nota. *Ministri* nomine hîc intelligimus non solum eum, consecrandae Eucharistiae potestatem habentem; verum etiam omnem, qui aliquo modo ad oblationem sacrificii concurrit. Hinc sit

Prop. I.

Christus Dominus in Sacrificio Missae primarius offerens est.

Prob. Christus ex *Psalmo CIX.* & ex *Epist. ad Heb. VII.* dicitur *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Atqui non aliâ de caussâ dicitur Sacerdos in aeternum, quam quia sacrificium quod semel obtulit in cruce, nunc Sacerdotum ministerio in Ecclesia usque ad finem mundi offerre perseverat. Christus enim in suo sacerdotio non habet successores, sed ministros & vicarios. Hinc Concilium *Lateranense IV. can.* 2. inquit: *In Ecclesia idem ipse Sacerdos est, & Sacrificium.*

Prop. II.

Soli Sacerdotes sacro Ordine insigniti, Sacrificium Missae vere & proprie offerunt.

Prob. ex *Tridentino sess. XXII. can.* 2. *Si quis dixerit, illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *Christum*

stum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; anathema sit. Atqui hanc potestatem soli Apostoli accepere, eorumque in Sacerdotio successores. Ergo &c.

Hinc colliges I. hanc sacrificandi facultatem Sacerdotibus adscribi ratione sacri Ordinis, cujus sunt insigniti. Unde resolves 1. sceleſtos Sacerdotes valide consecrare; nam ut ait *D. Thomas 3. part. q.82. art. 5. Sacerdos consecrat hoc Sacramentum non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cujus persona consecrat hoc Sacramentum. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis minister esse Christi, quod est malus*. 2. Sacerdotes haereticos, schismaticos, suspensos, excommunicatos, degradatos validè sacrificium perficere. Nam licet a legitimo superiore exercitium Ordinis suspendi possit, potestas tamen Ordinis deleri nequit; quia character sacerdotalis indebilis est. *Si Sacerdos*, ait *D. Thomas* ead. *q. art. 7. ad 3. ab unitate Ecclesiae praecisus, Missam celebret, quia potestatem Ordinis non amittit, consecrat verum corpus & sanguinem Christi: sed quia est ab unitate Ecclesiae separatus, orationes ejus efficaciam non habent*.

Colliges II. Apostolos hanc consecrandi potestatem a Christo accepisse in eadem ultima caena, cum ipso recumbentes. Unde

Unde resolves rectam esse Ecclesiae consuetudinem concelebrandi in Ordinatione Sacerdotum, in qua novi Sacerdotes una cum Episcopo ordinante concelebrant. Sed ex hac Ecclesiae praxi oritur difficultas, num omnes qui verba consecrationis proferunt, consecrent, an solus Episcopus? Huic difficultati respondit *Innocentius III. lib. 4. de Mysteriis Missae cap. 22. Cum interdum uni Pontifici multi Sacerdotes concelebrent, si forte non omnes simul consecratoria verba pronunciant: quaeritur an ille solus conficiet, qui primus pronunciat? Quid ergo ceteri faciunt? an iterant sacramentum? Poterit ergo contingere, quod ille non conficiat, qui celebrat principaliter, & ille conficiat qui secundario celebravit: & sic pia celebrantis intentio vel devotio frustrabitur. Sane dici, & responderi probabiliter potest, quod sive prius, sive posterius proferant Sacerdotes, referri debeat eorum intentio ad instans prolationis Episcopi, cui concelebrant.* Huic responsioni adhaeret *D. Thomas in IV. dist.* 13. Latini tantum in Ordinatione Presbyteri, aut in consecratione Episcopi concelebrant; Graeci vero Sacerdotes saepe cum Episcopo totam legunt Liturgiam, & ab ipso Communionem sub utraque specie recipiunt.

Prop. III.

Fideles suo modo Missae Sacrificium offerunt. Prob.

Prob. ex his Liturgiae verbis: *Orate fratres, ut meum, ac vestrum sacrificium &c.* & in primo memento dicitur: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum . . . pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium.* Sacrificium enim est publicus & solemnis cultus universi populi, qui per Sacerdotem, Christi ministrum, Deo offert hostiam immaculatam.

Nota. Triplici modo dicuntur fideles sacrificium offerre; 1. quia offerunt per Sacerdotem, tamquam per publicum Ecclesiae ministrum, cujus sunt membra; 2. Procurando, ut Sacerdotes applicent Sacrificia pro seipsis. 3. Assistendo Sacrificio, & conjugendo se Sacerdoti sacrificanti, interiore caritatis affectu, consensu, & participatione ejusdem Sacrificii.

SECTIO III.

De Subjecto Sacrificii Eucharistici.

Nota. Per Subjectum sacrificii intelligimus eos, pro quibus sacrificium offerri potest. Ex his autem alii hodie vivunt, alii jam obiere. Inter eos qui vivunt, numerantur infideles, catechumeni, haeretici, excommunicati, peccatores, justi. Inter eos vero qui obierunt, recensentur Beati in Caelo regnantes, justi in Purgatorio deten-

tenti, & impii aeternis flammis addicti. De his omnibus movetur quaestio, an Sacrificium Eucharisticum offerri possit. Sit ergo

Prop. I.

Sacrificium Missae pro omnibus hominibus mortalem vitam agentibus, paganis, judaeis, haereticis, schismaticis, excommunicatis, catechumenis, maxime tamen pro fidelibus offerri potest.

Prob. Pro illis omnibus potest Sacrificium Missae offerri, pro quibus crucis sacrificium oblatum fuit. Atqui sacrificium crucis pro omnibus oblatum fuit, cum pro omnibus passus sit Christus. Ergo & Eucharisticum, quod idem est quoad substantiam cum sacrificio crucis.

Porro licet Sacrificium Missae possit pro omnibus offerri, qui inter viventes agunt; servanda est tamen Ecclesiae disciplina, quae prohibet, ne nomina eorum qui extra Ecclesiam sunt, in Altari publice recitentur. Unde colliges I. non posse Sacerdotem directe, & ex publica intentione orare pro excommunicatis, praesertim vitandis, infidelibus, haereticis &c. Quia excommunicati privantur communibus Ecclesiae suffragiis, inter quae primum locum tenet sacrificium; & infideles cum non sint de familia Christi, in qua nascuntur per Baptisma, nullum jus habent ad sacrificium: Posse vero Sacerdotem pro-

his

his omnibus privatim orare, & indirecte sacrificium offerre, nempe pro Ecclesia Catholica propaganda, amplificanda, unienda, ex qua oratione indirecte offertur pro infidelibus, haereticis, schismaticis, ut convertantur.

Colliges II. non omnes omnis sacrificii fructus esse capaces, etsi pro omnibus offeratur. Hinc 1. infantes baptizati sunt incapaces fructus satisfactorii; quia per lavacrum regenerationis mundati a culpa, & poena, nihil justitiae divinae debent: possunt vero impetratorium sacrificii fructum recipere, ad conservationem animae & corporis. 2. Peccatoribus, quorum culpa non adhuc fuit remissa, sacrificium non prodest quoad vim satisfactoriam, quia poena non dimittitur ante culpam. 3. Catechumeni per fidem, & contritionem justificati, possunt percipere non solum fructum impetrationis, sed etiam satisfactionis.

Prop. II.

Pro damnatis nec debet, nec potest offerri Sacrificium.

Prob. Damnati in aeternum a Christi corpore sunt separati. Ergo sacrificium pro iis offerri non debet, nec potest. 1. Multiplici Ecclesiae Canone prohibetur sacrificare pro damnatis, ut constat ex Conciliis *Tiburiensi can.* 35. & *Bracarensi I. can.* 7. Hinc graviter peccaret Sacerdos, si

si Missam celebraret pro eo, quem moraliter constat in peccato mortali decessisse; puta pro eo, qui omnino voluntarie, & sui compos se occidit: quia invalide & illicite Sacrificium offerret, agendo contra institutionem Christi, & Ecclesiae prohibitionem. 2. Oratio, quae in Missa defunctorum legitur: *Domine Iesu Christe .. libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, & de profundo lacu*, intelligenda de illo instanti, quo animae e corporibus migrant: & Ecclesia orat, ne filii sui de numero sint reproborum, sed ut in sinum veri Abrahae recipiantur. 3. Historiolae quae narrantur de oratione *Macarii* pro sacerdote ethnico damnato, de liberatione Trajani ab inferis precibus *S. Gregorii*, fabulosae & supposititiae sunt. Vide *Natalem ab Alexandro Sec. II. Hist. Eccles. Disp. I.* 4. De peccatoribus Sanctorum precibus miraculose ad vitam revocatis dicendum cum *D. Thoma in Supplem. q. 71. art. 5. quod non erant in inferno finaliter damnati*. Demum rejicienda quorumdam opinio ut praesumtuosa, Sanctorum dictis contraria, vana, nulla auctoritate fulta, & *irrationalis*, ut ait *D. Thomas 3. part. q. 71. art. 5.* in c. asserentium, licitum esse pro damnatis orare, non ut liberentur, sed ut eorum tormenta mitigentur.

Prop. III.

Pro animabus in Purgatorio detentis Missae Sacrificium pie & utiliter offertur.

Prob. Ex *Tridentino sess. XXII. cap.* 2. Sacrificium Missae *non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur.*

Prop. IV.

Sacrificium Missae nec sanctis offertur, nec pro sanctis, ut iis ad poenae vel culpae remissionem prosit: pro iis tamen pie offertur, tum ut in eis honoretur Deus, & ipsi in Deo; tum ut eorum apud Deum intercessio obtineatur.

Prob. 1. pars. Oblatio Sacrificii est actus latriae cultus, sicut erectio templi, & altaris consecratio: Ergo soli Deo debetur. Patet haec doctrina ex Traditione Ecclesiae. Unde *Augustinus lib.* 8. *de Civ. Dei cap.*27 *Quis audivit aliquando stantem Sacerdotem ad Altare . . . dicere in precibus: offero tibi sacrificium Petre, & Paulle, vel Cypriane, cum apud memorias eorum offeratur.* Idem docet *Trident. sess. XXII. cap.* 3.

Prob. 2. pars. Quia Sanctis cum Christo regnantibus nihil superest luendum poenae vel culpae.

Prob. 3. pars. Ex *Trid. sess. XXII. can.* 5. *Si quis dixerit, imposturam esse Mis-*

Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

SECTIO IV.

De Effectibus Sacrificii Eucharistici.

Nota I. Alius est valor, alius fructus Sacrificii. Valor est efficacia, quam habet Sacrificium ex sua institutione ad bona conferenda offerenti, & iis pro quibus offertur; fructus autem sunt bona ipsa, quae Deus intuitu Sacrificii confert. Valor ergo a fructu distinguitur, velut caussa ab effectu.

Nota II. Scholastici duplicem in Sacrificio valorem agnoscunt: unum ex opere operato, alterum ex opere operantis. Primum ex ipso opere immediate a Christo instituto proficisci afferunt, semperque percipi, nisi obex adsit: alterum esse effectum meriti & dignitatis ministri, vel suscipientis, nec semper haberi, cum pendeat a celebrantis devotione.

Nota III. Rursus quaerunt e Schola Theologi, an valor Sacrificii, sive virtus operantis, quam habet ex Christi institutione, sit finitus, an infinitus. Plerique cum *Soto* finitum esse contendunt, ita ut Sacrificium pluribus applicatum, prosit minus singulis, quam si uni tantum applicetur. Ita expresse docet *Sotus in IV. dist.*

 13.

13. *q.* 2. *art.* 1. ubi ait: *Intentioni Sacerdotis, quia est de essentia Sacrificii, etiam ex opere operato respondet certus & taxatus gradus satisfactionis; & ideo quanto in plures illud distribuitur, tanto minus singulis obvenit.* Recentiores communiter defendunt, valorem Missae esse intensive & extensive infinitum quoad sufficientiam ratione infinitae dignitatis Christi, qui in hoc Sacrificio est victima, & principalis offerens. Dicitur *intensive infinitum*, quatenus potest caussare fructum majorem, & minorem juxta mensuram dispositionis hominis; *extensive* vero, quatenus potest infinitos effectus producere, & juvare ita uni soli, ac infinitis hominibus.

Nota IV. De fructu Sacrificii triplex traditur in Schola distinctio: generalis, specialis seu medius, & specialissimus. *Generalis* fructus dicitur, qui in omnia Christi membra dividitur ex Christi institutione; *Specialis* vero seu *medius* est ille, qui cedit in bonum illius, pro quo Sacrificium ex intentione Sacerdotis offertur. Denique *Specialissimus* dicitur ille, qui cedit in bonum ipsius celebrantis.

Nota V. De effectibus Sacrificii quaeritur, an illud peccata remittat, & qua ratione id fiat, an mediate, vel immediate. His praejactis, sit

Prop.

Prop. I.

Missae Sacrificium, prout est actio Christi principaliter offerentis, valet ex opere operato.

Prob. Opus operantis est effectus meriti & dignitatis ministri, vel subjecti. Sed Missae Sacrificium operatur independenter a merito & dignitate utriusque. Ergo. Prob. 1. pars Minoris ex *Tridentino sess. XXII. cap. 1. Haec quidem*, inquit, *illa munda oblatio est, quae nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest*. Prob. 2. pars Minoris. Si Sacrificium operaretur dependenter a devotione illius pro quo celebratur, nihil peculiare prae ceteris bonis Sacrificium haberet, quae efficaciam habent ex opere operantis. Atqui major debet esse efficacia Sacrificii, quam boni cujuscunque operis. Ergo.

Ex dictis colliges I. ut Sacrificium in aliis a sacrificante causset effectus suos, non requiri in ministro statum gratiae. Hinc sequitur 1. Missam mali Sacerdotis quoad fructum principalem aeque prodesse, ac boni, etiamsi ille sit excommunicatus, degradatus; quia valor Missae est ex opere operato, pendens a meritis Christi. 2. Aeque valere Missam mali Sacerdotis, ac boni quoad fructum precum, quae in Missa fiunt a celebrante nomine Ecclesiae; quia Ecclesia semper sancta est

& grata Deo . Hinc Sacerdos qui in statu peccati, accepta stipe, Missas pro benefactore applicavit , non tenetur deinceps parem Missarum numerum refundere . 3. Non eandem vero vim habere orationes improbi Sacerdotis , quatenus orat in Missa, ut persona privata. Ita *D. Thomas 3. part. q. 81. art. 6.* Hinc *Alexander* Papa *can. 90. caus. 1. q. 1.* ajebat: *Sacerdotes quanto digniores fuerint , tanto facilius pro quibus clamant, exaudiuntur*. Demum orationes Sacerdotis excommunicati efficaciam non habere, docet *D. Thomas* loco cit. *art. 7. ad 3.* quia ab unitate Ecclesiae est separatus . Quod de excommunicato vitando videtur esse certum , secus vero de tolerato ; quia Ecclesia permittendo ut fideles ab eo Missas postulent, consequenter etiam permittit , ut omnino ipsae fructuose sint postulantibus.

Colliges II. etsi effectus Sacrificii Missae ex vi suae institutionis sit infallibilis , non raro tamen propter obicem nihil operari ; sicut contingit in sacramentis, quae propter subjecti indispositionem saepe suo effectu frustrantur.

Prop. II.

Sacrificium Missae valoris est infiniti tum extensive , tum intensive .

Prob. 1. pars . Missae Sacrificium idem est quantum ad substantiam , ac sacrificium crucis, sola offerendi ratione diver-

versum. Sed cruentum crucis sacrificium fuit infiniti valoris. Ergo idem dicendum de Sacrificio Missae.

Prob. 2. pars. Valor Missae est intensive, & extensive infinitus. Nam 1. Sacrificium ex *D. Thoma 3. part. q. 79. art. 5.* non secus ac sacramenta, suum effectum parit juxta subjecti dispositionem, quae semper adaugeri potest. *Quamvis haec oblatio*, inquit Angelicus Doctor, *ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, fit satisfactoria pro illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suae devotionis, & non pro tota poena.* 2. Fructus Sacrificii non minuitur ex numero eorum, pro quibus seu in confuso, seu nominatim offertur, instar solis, qui tam uni, quam multis aequale lumen impertit. Nam ex *D. Thoma* loco laud. oblatio Sacrificii unicuique prodest secundum quantitatem suae devotionis. Atqui quantitas devotionis Petri, nihil tollit de quantitate devotionis Paulli: Ergo de fructu, qui respondet devotioni hujus, nihil tollitur ex consortio illius. Porro si minueretur fructus ex numero eorum pro quibus offertur Sacrificium, efficacior esset Missa in minore communitate, quam in majore. Ergo si Missa habet effectum determinatum, hoc non provenit ex parte Christi sacrificium instituentis; sed ex parte subjecti, quod jux-

ta mensuram suae dispositionis de ejus fructu participat.

Ex dictis sequitur I. non frustra multiplicari in Ecclesia Missas, nec superflua esse anniversaria pro eadem anima, & capellanias, atque legata perpetua. Nam cum fructus Sacrificii non percipiatur secundum proprium valorem, sed juxta dispositionem illius cui applicatur, sequitur quo pluries pro uno repetuntur sacrificia, eo pluries fructus percipi *secundum modum* devotionis ejus, si sermo sit de viventibus; de defunctis vero probabiliter juxta gradum piae dispositionis, in qua decesserunt, vel secundum occulta Dei judicia.

II. Ex eo quod non minuitur fructus Sacrificii ex numero eorum pro quibus offertur seu in confuso, seu nominatim, non sequi Sacerdotem citra injustitiae labem posse pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre. Nam stipendium celebranti datur, non ut pretium fructus Sacrificii, qui nullo pretio aestimari potest, sed pro sustentatione ministri: unde semper ac minister suam habeat sustentationem, deficit titulus, quo aliud stipendium possit accipere. Merito ergo ad coërcendam quorumdam ministrorum avaritiam damnata fuit ab *Alex.VII.* haec prop. num.10. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neque*

que etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram. Et in decreto *Urbani VIII. de Celebrat. Missar.* dicitur is Sacerdos graviter peccare, & teneri ad restitutionem. Notandum hic quod monet *Cajetanus in 3. part q. 79. art. 5. Una Missa*, ait vir doctissimus, *non perdit vim satisfactionis suae pro primo offerente, ex hoc quod pro secundo, tertio, quarto, quinto offertur: sicut quantitas devotionis unius nihil tollit de quantitate devotionis alterius. Unde arguendi, instruendique simul sunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro eleemosyna sua totam sibi Missam dari, aut suo defuncto; nihil enim minus ipse habebit, si mille alii petant eandem Missam pro seipsis, & aliis defunctis, quam si pro seipso solo celebrari dicatur*. Poterit ergo Sacerdos una cum aliis (a quibus tamen stipendium non accipiat) Sacrificium applicare pro eo, a quo stipem accepit, saltem sub conditione, nempe modo ille qui stipendium contulit, non defraudetur.

III. Ex doctrina tradita de infinito valore Sacrificii non sequitur, Missam non plus prodesse iis qui stipem dant, aut pro quibus specialiter applicatur, quam aliis quos generali intentione complectitur Sacerdos. Nam 1. in Missa considerari possunt

preces ab Ecclesia institutae, quae limitatum habent effectum, & magis prosunt iis pro quibus specialiter applicantur: unde in Concilio *Constantiensi* damnatus fuit hic articulus *Wiclephi: Speciales orationes applicatae uni personae per Praelatos, & Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus*. 2. De ratione Sacrificii est, ut inter eos quibus applicatur, aliquis ordo servetur. Unde plus Sacerdoti celebranti proderit, quam ceteris; plus danti stipendium, quam non danti; plus assistentibus, quam qui non assistunt; plus nominatim & speciali intentione designatis, quam pro quibus generatim solum offertur, sive hi vivant, sive defuncti sint. Quapropter sicut fatentur Adversarii, plus juvari eos qui Sacro assistunt, quia assistentiam hanc Christus pro speciali dispositione habere voluit; sic & plus juvabuntur qui stipem dabunt, quia & id quoque pro speciali dispositione habere voluit Sacrificii nostri institutor: sicque quod Christi Majestatem decet lucrabitur unus, absque eo, quod alteri quidpiam depereat. Ita *Colet*.

Prop. III.

Missae Sacrificium tum peccatum, tum peccati poenas remittit ex opere operato, non tamen eâdem prorsus ratione.

Prob. 1. pars. Ex *Tridentino* Sacrificium Missae est vere propitiatorium. Ergo valet ad remissionem tum culpae, tum

tum poenae. *Si quis dixerit*, ait *sess. XXII. can.* 3. *Missae Sacrificium tantum esse laudis ... non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis, & defunctis pro peccatis, poenis, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit*. Porro Sacrificium Missae semper in Ecclesia oblatum fuit pro justis, & peccatoribus. Ergo valet ad remittendam culpam impiis, & poenam justis.

Prob. 2. pars ex dictis in 2. propositione, nempe Missam valere ex opere operato.

Prob. 3. pars, peccata, & peccati poenas remitti non eâdem prorsus ratione ex dicendis in sequenti propositione. Sit

Prop. IV.

Missae Sacrificium mediate tantum peccata remittit, & gratiam adauget; poenas vero peccati, & satisfactiones justis immediate remittit.

Prob. 1. pars. Illud mediate tantum peccata remittit, quod impetrat auxilia, quibus homo excitatur ad poenitentiam, qua remittuntur peccata. Atqui Missae Sacrificium hoc modo operatur. Ergo &c. Minor prob. ex *Tridentino sess. XXII. cap.* 2. ubi Sacrificium Missae dicitur propitiatorium. *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum poenitentiae concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit*. Ergo Missae Sacrificium

immediate gratiam poenitentiae obtinet, mediante vero gratiae hujus usu remissionem peccatorum praestat. Porro si Sacrificium immediate peccata remitteret, nullum esset agendi discrimen inter sacramentum, & sacrificium; cum diversorum mediorum diversa debeat esse agendi ratio. Ulterius nulla esset necessitas frequentandae poenitentiae, si homo rite dispositus, justificationem reciperet in Sacrificio.

Eàdem ratione dicimus remitti venialia vi Missae, nempe mediate, excitando animam justi ad actus supernaturales, quibus destruuntur venialia.

Prob. 2. pars de gratiae augmento. Nulla est potior ratio, cur Sacrificium mediate tantum producat primam gratiam, & immediate secundam. Ergo si mediante poenitentia confert peccatoribus justificationem, mediante bonorum operum incremento in justis gratiam auget. Intuitu enim Sacrificii Deus confert gratias, per quas justi bona opera edunt, quibus merentur gratiae augmentum.

Prob. 3. pars de remissione poenae temporalis peccato debitae. 1. Remissio poenae est actus exterior, quo creditor condonare debitori potest debitum etiam de eo non cogitanti. Ergo Sacrificium immediate valet ad remissionem poenae. 2. Valet Sacrificium pro defunctis ad remissionem poenae temporalis. Atqui defun-

cti incapaces sunt actus meritorii, cum non sint in via: Ergo immediate in eis operatur ad remissionem poenae.

Porro Sacrificium offerimus ad bona temporalia obtinenda, quatenus ad aeternam salutem conducunt secundum ordinem divinae providentiae; idque patet ex universali Ecclesiae consuetudine. Inquit enim *Chrysostomus homil. 71. in Joan. Pro infirmis & terrae, & maris, & universi orbis fructibus sacrificamus.*

Notandum. Ut Missa prosit potius uni, quam alteri, requiritur Sacerdotis applicatio. Sed hac de re inferius.

SECTIO V.

De Obligationibus Sacerdotis relative ad Sacrificium.

Sacerdotum obligationes relative ad Missam, aliae Sacrificii oblationem antecedunt, aliae comitantur, aliae subsequuntur. Ex antecedentibus prima est immunitas a gravibus peccatis; altera oblatio ipsa celebrandi; tertia honorarii recipiendi facultas; quarta demum immediata ad Missam praeparatio. Ex comitantibus 1. numeranda est intentio Sacerdotis; 2. necessitas ministri Sacro inservientis; 3. Rubricarum praxis accurata. Inter oblationes Sacrificium subsequentes praecipua est gratia-

tiarum actio. De immunitate a gravi culpa, & de jejunio diximus supra: de ceteris hic agendum.

§. I.
De Tempore Celebrationis.

Nota. Sacerdotum alii solum Ordinis sui characterem habent, alii curae animarum mancipati sunt. De his omnibus quaeritur 1. an identidem per annum celebrare teneantur. 2. an in die pluries celebrare possint; 3. an privatim.

Prop. I.

Laudabilis est saepe celebrare, quam raro. Etsi autem nulla lege praecipiatur quotidiana celebratio simplicibus Presbyteris, peccant graviter qui fere nunquam celebrant.

Prob. 1. pars. Nonnisi laudabiliter est per se loquendo frequens, quam rarior praxis illa, in qua praestantiorum virtutum actus exercentur. Atqui frequens Missae celebratio secum fert exercitium actuum excellentissimarum virtutum, nempe perfectissimi cultus erga Deum, & excellentissimae caritatis in Deum, & proximum per Eucharistiae participationem, & per ingentia bona, quae ex Sacrificio in homines fluunt. Ergo. Hinc *S. Bonaventura lib. de Preparat. ad Missam cap.* 5. *Qui raro celebrat, quantum in ipso est, privat*

vat Ss.Trinitatem laude & gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio & gratia, in purgatorio exsistentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, & seipsum medicina & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates.

Prob. 2. pars. Nulla exstat lex neque divina, neque humana, quae simplices Sacerdotes ad quotidianam celebrationem adstringat: Ergo ad eam non tenentur.

Idem dicendum de Parocho. Quia sicut simplex Sacerdos vi sui Ordinis non tenetur quotidie celebrare; ita nec Parochus vi sui beneficii tenetur quotidie offerre.

Prob. 3. pars, teneri scilicet simplices Sacerdotes sub gravi aliquando celebrare: & I. jure divino ex verbis Christi Domini *Lucae XX. Hoc facite in meam commemorationem*. Atqui haec verba continent verum offerendi praeceptum, ut docet *Tridentinum sess. XXII. cap.* 1. his verbis: *Apostolis .... eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: hoc facite &c.* Ergo. Praeterea quilibet Sacerdos in sua Ordinatione accipit non solum potestatem, sed munus, & officium sacrificandi per se illi adnexum; ut patet ex Apostolo *ad Heb. V. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat sacrificia*. Atqui unusquisque munus suum exsequi tenetur gravi-

viter in re gravi, ut in hac; & uti potestate sibi concessa in honorem Dei, & utilitatem proximi. Ergo. Hinc. *D. Thomas 3. part. q. 82. art. 10.* loquens de obligatione qua adstringitur simplex Sacerdos, celebrandi, ait: *Unusquisque tenetur uti gratia data, cum fuerit opportunum. Opportunitas autem sacrificium offerendi attenditur principaliter per comparationem ad Deum, cui Sacrificium offertur.*

II. Tenentur etiam Ecclesiastica lege. *Lateranense IV. cap.* Dolentes, *de celebrat. Missar.* inter peccata Sacerdotum recenset, quod vix quater in anno celebrent, & addit: *Haec igitur, & similia sub poena suspensionis inhibemus.* Atqui suspensionis poena gravem culpam arguit. Ergo. Et Concilium *Trid. sess. XIII. de Refor. cap.* 14. haec praescribit: *Curet Episcopus, ut ii* (Sacerdotes) *saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus .... Missas celebrent.* Atqui si Missae celebratio in simplici Sacerdote esset de consilio, non vero de praecepto, non videretur, qua ratione Concilium eam ab Episcopis urgeri vellet. Ergo &c.

Hinc colliges I. sententiam *Cajetani*, asserentis venialiter duntaxat peccare Sacerdotes, qui raro, aut nunquam celebrant, merito jussu *Pii V.* expunctam fuisse ab ejus commentariis, ut nimium laxam, & falsam.

Col-

Colliges II. quamvis jure divino non teneantur Sacerdotes ad certum Missarum numerum, teneri tamen jure ecclesiastico ad frequentem celebrationem. Hinc *D. Thomas* loco laud. ait: *Unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare: sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in praecipuis festis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt.* Haec autem festa praecipua multi docent intelligi de singulis Dominicis, & festis diebus solemnioribus: quales sunt dies Nativitatis Christi, dies Resurrectionis, festum Ascensionis, dies Pentecostes, solemnitas corporis Christi, festum Sanctorum omnium, & praecipua Virginis Deiparae festa, Annunciatio, Purificatio, Assumtio, & Nativitas. *Nemini Sacerdoti*, ait *Marbesius*, *dubitare licet, quin offerre debeat numeratis diebus festis ad evitandum peccatum letale, nisi legitimo quopiam impedimento sacris operari prohibeatur.* Hoc idem statuit *S. Carolus* in suo Concilio *Mediolanensi I. ut Sacerdos Dominicis, & reliquis festis diebus celebrare non omittat.* Communiter tamen Casuistae docent huic obligationi satisfieri, si ter, vel quater in anno celebrent, praecipue diebus Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes.

Prop. II.

Parochi, & omnes curam animarum ge-

gerentes tenentur sub gravi per se, aut per alios toties celebrare, quoties Missae adstringuntur subditi interesse.

Prob. ex *Tridentino* loco supra laudato. *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus; si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Atqui suo muneri non satisfacit Pastor, nisi sacrificet, quoties Missam populus audire debet; nam quo jure urgentur fideles Missam audire, eodem tenentur Parochi offerre, cum hae obligationes sint correlativae. Ergo.

Quidam docent, Parochos teneri celebrare non quotidie, sed saepius quam Dominicis, & festis, ut fideles ad Sacrum audiendum alliciantur, & suo modo cum propriis Sacerdotibus offerant. Hinc *D. Carolus* in Concilio *I. Mediolanensi*, *Curatis praecepit, ut praeter dies festos ter in hebdomada celebrent, aut eo etiam saepius, quo vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem divini sacrificii usum postulabit.*

Prop. III.

Capellanus celebrare tenetur, quoties, ubi, & quando praescribit fundatio.

Prob. 1. Quia pacta, & conventiones servari debent. 2. Quia aliter defraudaretur pia fundatoris intentio. *Necesse est, ut defuncti dispositio, modis omnibus conservetur*, ait *S. Gregorius epist.* 20. *lib.* 2.

Hinc

Hinc I. si Capellanus ex onere Capellaniae, vel legati ad quotidianam celebrationem adstringatur, omni die ad mentem fundatoris celebrare tenetur, *salvâ tamen honestate, & devotione Sacerdotis*, ut praescribit *Alexander III. cap. I. de Praebendis*. Unde resolves 1. eum Sacerdotem retento Capellaniae stipendio, posse semel in hebdomada abstinere a celebratione, reverentiae caussâ, ex praesumta fundatoris intentione; nisi ab eo expresse cautum sit, ut numquam desit Missa per aliquem celebranda. Num vero his vacationis diebus possit pro aliis celebrare, negant communiter Doctores: qui solum id permittunt semel, & iterum in anno pro se, & suis, alia de caussâ occurrente; quia talem esse mentem testatoris rationabiliter praesumitur. 2. Capellanum aegrotantem, qui nequeat celebrare per breve tempus, puta dierum quindecim per *Bonacinam*; unius mensis secundum Concilium *Mediolanense VII.* duorum mensium secundum alios, quibus adstipulatur *Concina*, retentis fructibus Capellaniae, liberum esse ab onere supplendi Missas omissas: quia non praesumitur testatorem voluisse tam rigorose Capellanum obligare, cum ne famulis quidem ob eam caussam stipendium minui soleat; secus vero, si aliter expresse in fundatione cautum sit. Si autem morbus diutius duret, substituendus est alius, qui one-

neri Capellaniae satisfaciat. 3. Capellanum impeditum aliis negotiis, licet justis, cum haec non debeant obesse fundatori, debere satisfacere per alium, vel postea compensare, praesertim si fiat saepius.

II. Capellanus obligatus ad celebrandum in Ecclesia, vel Altari a testatore designato, si celebret alibi, tunc si id faciat ex justa & gravi caussa, dummodo celebret juxta intentionem fundatoris, non peccat, nec compensare tenetur: Si absque caussa, peccat, mortaliter, si saepius; venialiter vero, si raro: puta si quinquies, vel sexies per annum juxta multos; secundum alios semel, vel bis in mense: quia in re gravi defraudat testatorem. Multi excusant eum a novarum Missarum celebratione; quia nihil amisit fundator quoad substantiam de fructu Sacrificii; idque verum putant aliqui, etiamsi negligat Altare Privilegiatum: sed alii censent teneri ad lucrandas Indulgentias applicabiles pro defunctis, vel teneri de excessu, si stipendium datum fuerit majus ordinario. Aliquando Episcopus ex rationabili caussa potest dispensare ab obligatione celebrandi in loco a testatore designato.

III. Qui ob aliquam piam caussam certis diebus celebrare adstringitur, puta feria VI. & sabbato in honorem Passionis Christi, & B. Virginis, non erit immunis a culpa, si diem diei substituat; quamvis ali-

qui

qui censeant, hanc culpam non esse gravem, si raro, & ex caussa fiat. Idem dicendum de eo, qui adstrictus celebrare certum Missarum numerum singulis mensibus, puta quindecim in mense, ob aliquam peculiarem caussam, E.G. ne Ecclesia Missis careat, anticipat celebrationem, celebrando Missas, quae mensibus sequentibus celebrandae sunt: secus vero, si determinatio temporis facta fuerit a testatore sine aliquo peculiari fine, vel caussa; quia isthaec anticipatio celebrationis est in commodum testatoris.

§. II.
De Unica in die Celebratione.

Prop. I.

Olim pluries eodem die Sacerdotes celebrare poterant; at nunc vetitum est, excepto privilegio & caussa necessitatis.

Prob. 1. pars ex Concilio *Toletano XII.* anno 681. *can.* 5. ubi sic: *Relatum est nobis, quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis sanctae gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur offerre.* Atqui hîc non improbatur repetita celebratio, sed in quibusdam Missis omissa Communio. Ergo tunc licebat pluries eodem die offerre.

Prob. 2. pars ex *Innocentio XI. cap.3. de celebrat. Misfar.* ubi excepto Nativita-

tis

tis Dominicae die, nisi caussa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare; nam *& felix valde est, qui celebrat digne unam*, ait *Honorius III. cap. XII.* eod. tit.

Prob.3.pars. Quamvis ex privilegio plures liceat celebrare Missas, ut die Natalis Domini, ut modo ex *Innocentio* audivimus; nemo tamen ad tres celebrandas adstringitur, etiamsi sit Parochus. Qui unam tantum celebrare velit, potest legere quam maluerit secundum *Gavantum*. Monet ordo Neapolitanus, ut legatur tertia; nam ejus oratio cum Officio diei concordat. Utrum vero qui media nocte Missam celebravit, possit successive alias duas legere, affirmat *Viva q. 5. art. 6. num. 3.* cum *Suarez*, & *Diana*, dicens, decretum emanatum anno 1641. quo id prohibetur, non esse ubique receptum: sed haec opinio rejicitur a *Concina*, utpote contraria communi consuetudini. In Regno Valentiae die commemorationis defunctorum quilibet Sacerdos potest duas celebrare Missas. Eâdem die Sacerdotes Lusitani ex privilegio *Benedicti XIV.* possunt tres celebrare Missas, sed pro una sola stipendium accipere.

Prob. 4. pars. Plures necessitatis casus numerantur, in quibus Sacerdoti licet pluries eodem die celebrare. 1.Si Parochus duas habeat Parochias, & nisi binas celebret Missas, aliqua Paraecia Missâ privetur.

tur. 2. Si post sumtionem sanguinis sciat aliquem esse moribundum, tunc potest novam inchoare Missam, ut ei porrigat viaticum, juxta *D. Antoninum*, & alios, contradicentibus aliis. 3. Adventus Principis, vel Magnati &c. Sed supervacaneum est has discutere quaestiunculas ob Sacerdotum multitudinem, ideoque juxta *Concinam* falsae sunt opiniones istae praesertim aetate nostra. De Missis privatis, nempe de iis, in quibus solus Sacerdos communicat, haec monet *Tridentinum sess. XXII. cap. 6.* Missae, *in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat ... vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim quod a publico Ecclesiae ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus ... celebrentur.*

Prop. II.

Non licet quacunque anni die Sacrum facere.

Prob. Die Parasceves sub gravi vetitum est omnibus celebrare. Ita omnes, & constat ex praxi Ecclesiae, Pontificum decretis firmata. Utrum vero feria quinta, et & Sabbato ejusdem hebdomadae cuilibet Sacerdoti liceat offerre, negant multi ex variis Sacrae Rituum Congregationis Decretis. Alii affirmant, quia nullum adest praeceptum prohibens hisce diebus celebrationem; decreta vero, quae afferuntur, ajunt

ajunt non esse ubique vel publicata, vel recepta. Superiores ex rationabili caussa possunt cum aliquo Sacerdote dispensare, ut in feria quinta Majoris Hebdomadae privatim celebret, ut bene notat *Concina*.

§. III.
De Missae Stipendio.

Nota. Juvat hîc de origine Stipendii Missarum pauca excerpere ex eruditissimo opere *de Syn. Dioec. Benedicti XIV.* Olim fideles, ut notat sapientissimus Pontifex *lib.*5. *cap.*8. accedentes ad Missam, panem & vinum offerebant, ex quibus congrua pro sacrificio consecranda segregabatur, & reliqua in usum Sacerdotum, & Clericorum cedebant. Praeter panem & vinum, quae sacrificio inserviebant, alia offerri vetitum erat. Permissum postea fuit offerri incensum, oleum, spicas, & uvas: ceteri vero fructus non ad Altare, sed ad Episcopum deferebantur. In Paschate, in quo baptisma administrabatur, lac & mel offerebantur, quae recens baptizatis degustanda tradi solebant. Vide Cardinalem *Bona Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 17. Observat *Martenius de antiq. Eccl. Rit. Tom.* 1. *lib.* 4. *cap.*4. *art.* 6. posteriore aetate permissum fuisse ad Altare offerre, quidquid in Sacerdotum commodum cederet. Quo autem tempore coeperit usus oblationis pecuniae, ignoratur.

tur. Narrat *Baronius* ad ann. 44. primis Ecclesiae seculis in singulis templis Christianorum arcam fuisse expositam, in quam a fidelibus pecuniae mittebantur, in usum ministrorum & pauperum distribuendae. Progressu temporis pecunias ad Altare offerri pro explorato est, ut colligitur ex *Honorio Augustodunensi*, qui floruit seculo XII. Tandem pecunia oblata fuit ipsis Sacerdotibus, ut ad mentem largitoris Missas privatim celebrarent, quae uni offerenti prodessent. Hujusmodi autem mos juxta *Mabillonium* coepit alicubi circiter seculum VIII. neque passim ubique obtinuit ante seculum XII. quem improbare visus est *Valafridus Strabo*, scriptor IX. seculi *lib. de Reb. Eccl. cap.* 12. existimans sacrificium non plus prodesse illi pro quo offerebatur, quam ceteris fidelibus. At Wiclephistae aperte eleemosynam Sacerdoti datam pro Missae applicatione simoniae arguebant; quem errorem Theologi catholici omnes improbant, & damnant.

Verum simul atque consuetudo invaluit dandae eleemosynae Sacerdotibus pro applicandis sacrificiis ad mentem offerentium, erupit avaritia quorumdam Sacerdotum, qui propter hoc lucrum pluries in die celebrabant. Hinc *Innocentius III. cap.* Consuluisti, *de celebrat. Missar.* & *Honorius III. cap.* Te referente, eod. tit. id severe prohibuerunt. Cui prohibitioni alia succes-

sit nequitia Sacerdotum , ut narrat *Petrus Cantor* in opere inscripto *Verbum abbreviatum cap.* 29. Tot quippe hostias in eadem Missa consecrabant , quot erant eleemosynam offerentes. Alii vero Missam illius diei ter, vel quater legebant usque ad offertorium; deinde tot secretas iterabant, quot orationes legerant ; & tandem sub uno Canone Missam perficiebant tot repetitis collectis in fine, quot initio recitaverant ; atque ita pro numero repetitionum accipiebant stipendia. Has Missas *bifaciatas* , & *trifaciatas* appellabant , quasi duplicem aut triplicem haberent faciem. Lege Card. *Bona lib.*1. *cap.*15. *Rer.Liturgic.*

His corruptelis eliminatis, non idcirco, pergit Pontifex sapientissimus, Sacerdotum cupiditas penitus avulsa est . Hinc Concilium *Toletanum* anno 1324. severe prohibuit omnes illiberales exactiones, pactiones, conventiones pro Missis celebrandis, sed tantum indulsit, ut *Sacerdos gratis accipiat , si aliquid per facientem Missas celebrari , oblatum sibi caritative fuerit absque pacto, & conventione*. Et Concilium *Tridentinum sess. XXII.* in decreto *de observandis, & vitandis in celebrat.Missae* haec Episcopis injunxit ; ut *cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur ; nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius , quam postulationes ,*

nes, *aliaque hujusmodi quae a simoniaca labe*, *vel certe a turpi quaestu non longe absunt*, *omnino prohibeant*. Postremis temporibus patrocinio Casuistarum alii abusus hac in re irrepsere, quos variis decretis Rom. Pontifices eliminare studuerunt. Quid vero in hac materia tutâ conscientiâ sequi possimus, sequentibus propositionibus resolvemus. Sit

Prop. I.

Potest Sacerdos pro Missa stipendium accipere per modum sustentationis, non vero per modum pretii.

Prob. 1. ex universali Ecclesiae consuetudine, quae id permittit. Hinc *D. Thomas in IV. Dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quaest.* 1. *ad* 4. ait: *Sacerdos*, *qui non tenetur ex officio Missam cantare*, *potest accipere denarios*, *sicuti cuncti Sacerdotes faciunt*, *non quasi pretium Missae*, *sed quasi sustentationem vitae*. 2. Missae stipendium successit loco voluntariae oblationis panis & vini, quae primis Ecclesiae seculis in usum sacrificii & sustentationem ministrorum, ut retulimus in Prolegomenis, a fidelibus fieri consueverat. Atqui tunc temporis non solum licitum, sed & commendabile erat aliquid Sacerdotibus tribuere in specie ad victum necessaria. Ergo & nunc illicitum non erit paucos asses sponte offerre sacrificii ministro pro ejus sustentatione. Ergo &c. Ita ratiocinatur *Christia-*

nus Lupus. Dixi, *non per modum pretii*; nam esset simoniacum.

Prop. II.

Sacerdos stipendio per legem, vel consuetudinem praefixo contentus esse debet: potest tamen aliquid amplius gratis oblatum, imo & modeste exigere ratione laboris extrinseci.

Prob. 1. pars. Sacerdos contentus esse debet justo stipendio. Atqui justum stipendium dicitur, quod a lege, vel consuetudine taxatum est. Ergo. Nam licet stipendium non sit pretium Missae, servat tamen pretii proportionem, quatenus in eo ratio justitiae servanda est. Unde resolves, qui non ab ultro offerente, vel ab ignorante taxam plus exigit vel accipit, teneri excessum restituere.

Nota, Missae eleemosynam, ubi non est a lege synodali, vel a consuetudine loci praefixa, taxandam esse arbitrio Ordinarii juxta morem regionis, cui stare debent etiam Regulares pro Missis celebrandis in eorum Ecclesiis ex variis decretis sacrae Congregationis apud *Benedictum XIV. Notif. 56. num.* 10.

Prob. 2. pars. Qui sponte eleemosynam Sacerdoti offert majorem quam quae taxata est, censetur excessum liberaliter dare. Ergo Sacerdos potest illam accipere.

Prob. 3. pars. Labor extrinsecus in celebrando (puta si Sacerdos celebrare ad-

addicitur non fine magno incommodo, vel ratione longioris itineris, vel quia tenetur exſpectare uſque ad meridiem) eſt Miſſae per accidens adjunctus, & ab ea ſeparari poteſt, & aliunde eſt pretio aeſtimabilis. Ergo modeſte pro hac extrinſeca defatigatione poteſt aliquid pluſquam conſueto honorario exigi.

Canones autem, qui prohibere videntur conventiones omnes & pacta circa celebrationem Miſsarum, intelligendi ſunt, de importunis, excedentibus, atque illiberalibus exactionibus, quae avaritiam ſapiunt, & pariunt ſcandala, ut ex Conciliis *Toletano*, & *Tridentino* retulimus; non de modeſta & juſta conventione, vel pro conſueta taxa, vel pro labore extraordinario. Ita communiter Doctores, *Concina* pro more contradicente.

Q. I. *Utrum Parochi, & alii animarum curam gerentes, ſtipendium pro Miſſis accipere poſſint?*

R. Varias fuiſse ſuper hoc argumento Theologorum ſententias, ſed eas omnes abſtuliſſe *Benedictum XIV.* in Conſtitutione, quae incipit, *Cum ſemper oblatas*, edita anno 1740. docens, decretum *Tridentini ſeſſ. XXIII. cap.* 1. *de Reformat.* (in quo obligatio Paſtorum animarum his verbis exprimitur: *Cum praecepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſa-*

 cri-

crificium offerre) intelligi de speciali applicatione, prout declaravit sacra Congregatio Cardinalium, ita ut non possit Parochus accipere stipendium pro Missa iis diebus, quibus tenetur ex officio celebrare. Deinde sequentia statuit.

I. Declarat, ut Vicarii amovibiles & temporarii, ac Regulares ad id etiam teneantur.

II. Decernit, ut *licet Parochi, seu alii animarum curam habentes, congruis praefinitis reditibus destituantur, & quamvis antiqua seu etiam immemorialis consuetudo in ipsorum Dioecesibus, seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo non applicaretur; eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*

III. Teneri jubet Parochum ad Missae applicationem diebus duntaxat festis, quibus populus tenetur Missam audire, *licet permissum sit opera servilia exercere.*

IV. Facultatem concedit Episcopis dispensandi Parochos pauperes ab applicatione pro populo diebus festis, ea tamen lege, ut in Ecclesia Parochiali celebrent, ac totidem Missas infra hebdomadam pro populo applicent, *quot in diebus festis infra hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alicujus pii benefactoris obtulerint.*

V. Ut in Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Missa

Con-

Conventualis quotidie celebranda, pro benefactoribus in genere applicetur, contraria consuetudine non obstante.

VI. Ut Canonicus, qui simul cum Canonicali praebenda alio quopiam Missarum onere adstrictus invenitur, per hoc non eximatur ab onere celebrandi, & applicandi Missam Conventualem; sed alterum substituat, qui ipsius loco Missam, quam peculiariter celebrare tenetur, applicet: ipse vero satisfaciat oneri Missae Conventualis.

VII. Ut in hujusmodi Collegiatis absolvatur ab applicatione secundae & tertiae Missae Conventualis, nisi aliud usu receptum sit. Nota, Episcopos pro sua Dioecesi Sacrum facere debere; quia & ipsi curam habent animarum.

Q. II. *Utrum Sacerdos possit per alium celebrare, retentâ sibi parte stipendii accepti?*

R. Neg. 1. Quia sine justo titulo partem illam retineret. Nam qui stipem confert, gratis & liberaliter non donat, sed cum onere celebrandi Missam. Ergo vel per seipsum Missam celebret, & sic totius stipendii absolutum comparabit dominium; vel si in alium onus celebrandi rejicit, debet totum celebrationis proventum in illum refundere. 2. Hoc turpe lucrum a decreto sacrae Congregationis per *Urbanum VIII.* approbato, & per *Innocentium XII.* confirmato, damnavit *Alexan-*

xander VII. in proposit. 9. (in qua asserebatur : *Post decretum Urbani potest Sacerdos , cui Missae celebrandae traduntur , per alium satisfacere , collato illi minori stipendio , alia parte stipendii sibi retenta* .) Epistola Encyclica sub die 30. Junii anni 1741. quae incipit , *Quanta cura* , sub poena censurarum , quarum absolutio ipsi Rom. Pontifici reservatur , mercimonia prohibet super eleemosynis Missarum : hoc est , qui eleemosynas colligunt in iis locis , in quibus pro minore pretio celebrari soleant , si Laici sint , excommunicationem ; si vero Clerici , vel Sacerdotes, suspensionem a solo Rom. Pontifice absolvendam incurrant .

Ex dictis colliges cum communi praesertim Recentiorum , illum qui retinet partem stipendii juxta damnatam propositionem , non solum peccare , sed etiam ad restitutionem teneri : & Sacerdoti quidem celebranti , in quo juxta voluntatem benefactoris una cum onere celebrandi Missam jus ad intregum stipendium translatum est. Verum ab hac prohibitione non retinendi aliquam accepti stipendii partem excipiuntur aliqui casus .

I. Beneficiarius , qui per alium celebrat , licite praebere potest consuetam eleemosynam , etiamsi ex beneficio majorem percipiat . Ita communiter , & constat ex decreto sacrae Congregationis supra laud.

an-

annuente *Innocentio XII.* Nam in beneficio praeter celebrationem Missarum sunt & alia onera, quibus adstringitur Beneficiarius; puta recitatio Horarum Canonicarum, animarum cura, vigilantia bonorum temporalium beneficii, aut saltem studii: nec dubium, ait *Colet*, quin, ut iis Beneficiati tranquillius vacarent, & deinceps de Ecclesia melius mererentur, iisdem gratificari voluerint Fundatores.

II. Capellanus, qui beneficiatus non est, sed stipendiatus instar beneficiati, quamvis amovibilis sit, & quilibet alius, cui commissa est Missae perpetuae celebratio, si per alium celebret, poterit alteri tribuere congruam eleemosynam, & pingues Capellaniae vel legati fructus retinere; nisi in fundatione aliter cautum fuerit. Ita docet *Bonacina*, *Diana* cum multis, *Concina* annuente. Quin & doctissimus *Ligorius* refert decretum confirmatum a sacra Congregatione Concilii die 15. Martii anni 1745. in quo asseritur id licere Capellano amovibili, modo pro Capellania certi reditus sint annuatim constituti, & perpetuo Capellano assignati; secus vero, si huiusmodi Capellano pro qualibet Missa celebranda *certa detur eleemosyna*. Et quidem eaedem fere rationes militant pro Beneficiato, quam pro Capellano: & alia onera subire tenetur, puta in ornatu Altaris, quibus non adstringitur Sacerdos in celebratione substi-

tutus. Restat ergo prohibitionem intelligendam esse tantum de Missis manualibus, in quibus vetitum est celebrare per alios, collato minore stipendio quam acceptum sit.

III. Si moraliter constet justi stipendii excessum dari Sacerdoti non intuitu Missae celebrandae, sed intuitu personae, puta ratione amicitiae, vel paupertatis, vel gratitudinis &c. ut probabiliter docent multi.

IV. Administratores Ecclesiarum ex eleemosynis datis propter Missas possunt aliquid detrahere pro expensis altarium, vestium, inservientium, luminum &c. ex decreto laud. Sed hîc notandum aliud decretum ejusdem sacrae Congregationis editum die *6.* Julii anno *1726.* apud *Benedictum XIV. Notif.* 56. *num.* 13. ubi statutum fuit *Archipresbyterum non teneri ad ministranda utensilia iis, qui celebrant in sua Ecclesia ex obligatione beneficii, sive Capellaniae: quoad Missas vero adventitias teneri ad dictam subministrationem, quatenus permittat eas in sua Ecclesia celebrari; nec teneri ad eas Missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes.*

V. Permutatio Missarum inter duos Sacerdotes, quorum quilibet integrum retinet sibi collatum stipendium: puta si tibi hodie offeratur tarenus ut celebres: & rogas alium Sacerdotem, ut hodie pro te celebret, spondens cras pro illo te celebra-

braturum, qui pro sua crastina Missa unum carolenum accepit. Hanc permutationem licere censent multi; quia hoc non est retinere partem stipendii, quod Pontifex damnavit, sed est tantum permutare dies, & Missas. *Concina* e contrario a specie turpis mercimonii hanc permutationem non excusat, licet non audeat gravis culpae damnare.

VI. Condonatio omnino spontanea & mere liberalis excessus stipendii facta a Sacerdote substituto. Hujusmodi enim Sacerdos a te delegatus ad celebrationem, sicuti potest tibi totam donare stipem, sic & remittere partem ejusdem. Sed isthaec opinio merito improbatur praesertim a Recentioribus post laudatam Encyclicam *Benedicti XIV.* Nam 1. cavendum, ne hujusmodi remissio sit tantum *ore tenus* liberalis; Substitutus enim timens, ne inveniat in posterum eleemosynas pro Missis celebrandis, inducitur ad excessum donandum. 2. Ut accurate advertit *Ligorius*, modus iste retinendi partem stipendii, tanquam abusus execrabilis, & a pluribus Pontificibus vetitus, asseritur in praefata Constitutione: *Pontifices decretum voluerunt*, verba sunt Constitutionis, *nimirum a quolibet Sacerdote stipendio majoris pretii pro celebratione Missae accepto, non posse alteri stipendium minoris pretii erogari; etsi eidem Sacerdoti celebranti, & consentienti* (nota)

se majoris pretii eleemosynam accepisse indicasset.

Q. III. *Utrum unicâ Missâ possit pluribus obligationibus satisfieri?*

R. Neg. Unde resolves I. Non potest Sacerdos pro unica Missa plura stipendia accipere: quod damnavit *Alexander VII.* ut supra retulimus, cum de valore Sacrificii verba fecimus. II. Nec etiam ille, qui plura stipendia exigua accepit, unica Missae celebratione singulis satisfacit, sed tenetur tot Missas celebrare, quot stipendia, licet incongrua scienter acceptaverit, ex decreto Congregationis sub *Urbano VIII.* III. Sacerdos eo die, quo celebrare adstringitur ratione Capellaniae, vel legati, aut beneficii, nequit pro Missa ejus diei stipendium accipere. IV. Nequit Sacerdos duplex accipere stipendium, unum pro praesentia, seu officiatura in Ecclesia designata, alterum pro applicatione; nisi testator, vel eleemosynam offerens expresse & conceptis verbis declaraverit se velle tantum celebrationem, secus vero applicationem: constat ex variis Decretis sacrae Congregationis apud *Benedictum XIV. Notif.* 15. V. Pro Missa, quam Confessarius Sacerdoti poenitenti imponit, accipi stipendium nequit. Ita *Concina*. Idem Theologus docet contra *Tamburinum*, non posse Sacerdotem, qui vovit Missam in gratiarum actionem celebrandam, pro eadem Missa stipendium ac-

accipere; quia praesumitur voventem habuisse intentionem pro eadem Missa stipendium non accipiendi. VI. Non licet pro diversis Sacrificii fructibus duplicata stipendia accipere. Hinc 1. merito damnata fuit opinio ab *Alexandro VII.* in hac prop. 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post decretum Urbani VIII.* 2. Neque valet Sacerdos accipere stipendium unum pro fructu impetrationis Missae, & alterum pro fructu satisfactionis. Unde qui accepit stipendium ad celebrandam Missam pro mortuo, & aliud ad celebrandam pro vivo, non satisfacit unicâ Missâ utrique obligationi: nec etiam duplex stipendium accipere potest, ex eo quod uni applicet Missam, alteri Indulgentias V.G. Altaris privilegiati. Nam qui Missas petit, & stipendia confert, utrumque pro se applicare intendit.

Q. IV. *An, & quomodo peccet Sacerdos, qui accepto stipendio, Missam celebrare vel omittit, vel differt, vel promissum ritum non servat?*

Ad I. R. graviter peccare Sacerdotem, qui accepto stipendio Missam omittit. Nam etsi decem assium jactura plerumque non sufficiat ad culpam mortalem, privatio tamen fructus etiam unius Missae spiritua-

le

le damnum satis grave inducit, ut hinc grave peccatum exsurgat. Ita probabilius docet *Colet* cum multis; quin & *Concina* censet, etiam graviter peccare illum, qui liberaliter promisit alteri unum Sacrum animo se obligandi, si fide fracta non celebret.

Ad II. R. utique peccare Sacerdotem, & quidem graviter, si diu differat Missarum celebrationem, pro quibus stipendium jam accepit. Constat ex laudatis Decretis sacrae Congregationis, in quibus prohibetur, *plures Missas acceptari, quam infra modicum tempus celebrari valeant*. Sed dubitatur, quantum temporis spatium intelligatur per illud, *modicum tempus*. Respondeo, absolute definiri non posse, sed spectandas esse circumstantias, & praecipue voluntatem offerentium. Unde si quis Missam petat pro aliqua urgente gratia impetranda, puta pro felici partu, declinando periculo, lite vincenda &c. continuo Missa celebranda erit: in reliquis vero, quae minus urgent, non peccare Sacerdotem, si infra duos menses acceptas Missas celebret, communiter afferunt: Missas pro defunctis citius celebrandas, quam pro vivis.

Ad III. R. Sacerdotem, qui accepta stipe expresse promisit, se eam Missam celebrare, puta de *Requie*, vel de *Spiritu Sancto*, venialiter peccare, si aliam Missam legat, quando Rubricae permittunt. Imo nullum esse peccatum, si eo die Rubricae ve-

vetent legere Missam votivam. Ita omnes; quia eadem est substantialiter Missa sive de requie, sive de tempore, sive de Spiritu Sancto. Sed hîc notandum 1. Missas votivas, & pro defunctis in festis duplicibus, & diebus Dominicis, aliisque diebus privilegiatis celebrari non debere, prout habetur in Rubricis. Imo generatim optat Ecclesia, ut *quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat*. 2. In Missis de tempore obtineri omnes Indulgentias, quae concessae fuerunt Missis de Requie ex concessione *Alexandri VII.* & *Clementis IX.*

Q. V. *An Beneficiatus, vel Capellanus possit propria auctoritate imminuere numerum Missarum olim constitutum, etiamsi ob imminutionem redituum, vel valoris pecuniae non accipiatur stipendium sufficiens?*

R. 1. Si reditus sine Capellani, vel Beneficiati culpa in totum deficiant, non teneri Missas celebrare. Ita omnes. 2. Si reditus deficiant in parte, tunc etiam certum videtur posse Capellanum ex se minuere numerum Missarum, si a testatore congruum stipendium taxatum fuerit in singulis Missis, puta tarenus pro qualibet Missa; quia sicuti augendus esset numerus Missarum, si reditus augerentur; ita minuendus est, si reditus diminuuntur. 3. Si fundator designaverit numerum Missarum, & ob imminutionem redituum deficiat stipendium adhuc ordinarium, non posse Capel-

pellanum propria auctoritate minuere numerum Missarum; sed pro moderatione recurrendum ad Sedem Apostolicam. Ita multi: & probant ex Decretis sacrae Congregationis sub *Urbano VIII.* in quibus reductiones, moderationes, & commutationes Missarum Sedi Apostolicae reservantur. Sed alii probabiliter affirmant; 1. quia in casu non est proprie reductio, aut stabilis moderatio oneris Missarum, sed cessatio de jure obligationis pro rata redituum deficientium. 2. Quia non praesumitur testatorem voluisse gratis, aut stipendio minore justo obligare Capellanum ad celebrandum. Unde concludunt posse Capellanum propria auctoritate numerum minuere Missarum ob imminutionem redituum; sed ad evitandum periculum allucinationis in caussa propria, standum judicio Episcopi, vel viri docti & pii.

De Missarum reductione haec notanda ex *Benedicto XIV.* in *de Syn. Dioec. lib.5. cap.10.* 1. *Tridentinum sess. XXV. de Refor. cap.* 4. facultatem dedisse Episcopis in Synodo Dioecesana, & Generalibus Ordinum Regularium in capitulis generalibus minuendi onera Missarum. 2. Hanc potestatem ad Sedem Apostolicam avocasse *Urbanum VIII.* in sua Constitutione 45. *Bullarii* tom. 5. in qua statuit ad Apostolicam Sedem omnino recurrendum esse pro reducendis Missarum oneribus, adhuc post Conci-

cilium impositis, aut in limine fundationis sub poena nullitatis reductionis. 3. Post *Urbani* decretum disputatum fuisse, an Episcopis ademta sit potestas minuendi Missas, quarum onus non est qui suscipiat ob eleemosynae tenuitatem. Communiter affirmant ex variis Decretis sacrae Congregationis; secus vero si testator expresse dederit Episcopis hanc facultatem. Demum his prohibitionibus non obstantibus, multi ex Papali privilegio habent hanc facultatem reducendi Missas, ut Episcopi, qui per se, vel per suos procuratores Rom. Concilio anno 1725. interfuerunt.

Q. VI. *Quam intentionem habere debeat Sacerdos applicandi Sacrificium pro eo, a quo stipem accepit?*

R. I. Necessariam esse intentionem saltem habitualem, aliquando scilicet habitam, & non revocatam ante consecrationem saltem unius speciei. Ita communiter. Unde resolves. 1. Qui hodie Missam crastinam Cajo promisit, cras vero immemor promissionis, Missam celebret; nisi pro alio expresse intendit, Missa intelligitur applicata pro Cajo. Similiter Capellanus, qui animum deliberatum habet applicandi pro onere suae Capellaniae, etsi interdum distractus, renovandae hujus intentionis obliviscatur; valet tamen applicatio virtute intentionis prius habitae, & non retractatae. 2. Nulla est applicatio facta

cta post consecrationem ante Communionem, quia ratio Sacrificii consistit in consecratione; hinc peracta consecratione jam consequitur effectum suum relate ad applicationem fructus, vel ab intentione Sacerdotis, vel ex carentia hujus intentionis, manendo in thesauro Ecclesiae.

R. II. Intentionem debere esse determinatam. Unde resolves: si quis accepit decem Missarum stipendia a decem personis, & confuse applicet totidem Missas proxime celebrandas, non satisfacit suae obligationi; sed tenetur sigillatim dies determinare, & pro singulis Missas applicare; quia requiritur intentio applicandi fructum determinatae personae, ut ei prosit.

R. III. Intentionem conditionatam sufficientem esse, si intentio sit de conditione praeterita jam impleta; secus vero de conditione futura contingente. Unde resolves, si quis Missam applicet pro eo, quem Deus novit primo daturum stipendium, illicitam & invalidam esse talem applicationem, probabilius docent multi. Insuper hanc applicationem vetitam esse ex Decreto *Clementis VIII*, promulgato a *Paulo V.* quia saepe applicatio fieret pro caussa non exsistente, puta pro infirmo, qui tempore applicationis erat sanus.

Demum nota, si Missa nulli applicetur, vel incapaci, fructum manere in thesauro Ecclesiae. Unde in praxi consulunt

Do-

Doctores, ut Sacerdos primae intentioni ſecundam addat conditionatam; ita ut ſi perſona cui applicatur, non ſit capax, applicetur illi pro quo re cognita offerre vellet qui ſtipem dedit, vel prout Deus magis expedire cognoſcit: in Miſſis vero gratuitis poteſt Sacerdos hanc ſecundam intentionem pro ſeipſo, vel pro altero cui voluerit, dirigere.

De Altari privilegiato pauca. Privilegium Altaris conſiſtit, ut ex indulgentiis, ſeu fructibus, qui ſunt in theſauro Eccleſiae, liberetur anima pro qua Miſſa in illo Altari applicatur; & hoc vi poteſtatis clavium, quam habet Papa applicandi indulgentias, vivis quidem per modum abſolutionis, defunctis vero per modum ſuffragii ſive ſolutionis. Nota 1. Miſſae in Altari privilegiato aut perpetuo, aut ad tempus conceſſo, ſuffragantur defunctis, ſive dicantur de Requie, ſive de die currenti, quando non licet eas de Requie dicere. 2. Celebratio Miſſarum indulto praefinitarum omnino neceſſaria eſt ſingulis diebus in eadem Eccleſia. 3. Quod ſi per aliquot dies & menſes propter abſentiam Sacerdotum Miſſae praefinitae non celebrentur, privilegium pro illo tunc ſuſpenditur. 4. Quod ſi praefinitus Miſſarum numerus non legatur propter Sacerdotum infirmitatem, vel quia juſſu Superioris occaſione alicujus feſtivitatis, vel funeris alibi ce-

celebrent, si raro id fiat, indulgentiae suffragantur. Haec omnia docet *Benedictus XIV.* ex variis Decretis sacrae Congregationis *Notif.* 56.

§. IV.
De Hora, & Loco Sacrificium celebrandi.

Hora celebrandi est ab aurora usque ad meridiem ex Missali Romano, & generali consuetudine. Per *auroram* non intelligitur ortus solis, sed prima illa lucis irradiatio, quae *crepusculum* dicitur; istud computandum est ex temporum varietate juxta tabellas, quae directoriis officii divini apponi solent. Notandum, tempus tam aurorae, quam meridiei non mathematice, sed moraliter accipiendum; unde ex communi, omni culpa caret qui Missam terminat in aurora, & eam incipit parum ante meridiem.

Variae assignantur caussae tum anticipandi, tum postponendi celebrationem. Et 1. ex rationabili consuetudine, ut opifices, & famuli summo mane possint audire Sacrum. 2. Ex caussa alicujus solemnis festivitatis. 3. Ex caussa itineris. 4. Ex caussa funeris alicujus Principis. 5. Ex caussa concionis, publicae supplicationis, Ordinum collationis. Ex his caussis Missa potest anticipari, vel postponi per horam.

Sacerdos qui sine ulla caussa legem prae-

praescripti temporis ad celebrationem violat, graviter peccat. Quaenam vero temporis quantitas requiratur ad culpam mortalem, non conveniunt Theologi. Alii requirunt mediam horam, alii tres quadrantes, alii fere horam.

De loco Sacrificii: Regulariter loquendo, non licet sub mortali ob materiae gravitatem celebrare, nisi in loco consecrato, vel auctoritate Episcopi benedicto, vel in Oratorio ad divinum cultum dedicato, & per Episcopum designato. Constat ex *Tridentino sess. XXII.* in decreto *de Celebrat. Missae.*

Unde resolves, omnes celebrare posse & praecepto Missae satisfacere 1. in Oratoriis, quae habent ingressum in publica via; 2. in Oratoriis hospitalium, Communitatum, Confraternitatum, Carcerum; 3. in Oratoriis erectis in domibus Episcoporum; nam haec non sunt privata oratoria, sed publica, & fixe ad divinum cultum dicata.

Dixi, *regulariter loquendo*. Nam excipiuntur aliqui casus, in quibus in aliquo honesto loco, & altari portatili (quod semper sub mortali requiritur) vel ex necessitate, vel ex dispensatione Episcopi, vel ex privilegio Papae celebrare licet.

I. *Ex necessitate*, sed non sine Ordinarii licentia, si adsit, extra Ecclesiam celebrare permittitur. 1. Si Ecclesia est diru-

ruta, ne populus Sacro careat. 2. Si populum in solemni festo templum non capiat. 3. In castris pro exercitu, sed festis tantum diebus. 4. In portu pro appulsu navis, ne navigantes, qui navem deserere nequeunt, Missâ priventur. 5. In mari, sed ex licentia Papae.

II. *Ex dispensatione Episcopi:* sed nota per *Tridentinum* laud. *sess. XXII.* ademtam esse Episcopis facultatem permittendi celebrationem Missae in privatis domibus. Verum hoc non obstante, communissime docent, posse Episcopos ex rationabili caussa, non permanenter & per modum privilegii; sed aliquoties & per modum actus, dare licentiam celebrandi in Oratorio domus privatae.

III. *Ex privilegio* permittitur celebrare in privatis Oratoriis. Hoc privilegio gaudent 1. Episcopi, qui in itinere possunt in altari portatili celebrare, vel coram ipsis celebrare facere, etiam extra propriam Dioecesim; cum haec actio non sit usus jurisdictionis contentiosae, sed usus privilegii personalis. 2. Cui a Rom. Pontifice specialiter concessum fuerit.

Circa Oratoria privata haec sunt notanda. 1. Privilegium a Papa concessum cessat morte privilegiati, non vero morte Papae concedentis. 2. Si privilegium concedit unius Missae celebrationem, intelligitur, unicam illo die celebrari posse; id-

que

que patet ex Bulla *Magno Benedicti XIV.* anno 1751. 3.Si privilegiatus mutet domicilium in aliam Dioecesim, secum defert privilegium, cum sit personale; quamvis requiratur nova approbatio Episcopi, & nova inspectio: quae nova inspectio requiritur etiam, quando privilegiatus habitationem mutat in eadem civitate. 4. Juxta multos non licet privilegiato duo Oratoria habere, unum in civitate, alterum in villa, nisi de expressa concessione Papae; sed alii probabiliter affirmant, si ibi commoretur non per modum transitus, & locus sit ab Ordinario approbatus. 5. In hujusmodi Oratoriis prohibetur celebrari in festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis, Assumtionis, Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, nisi aliter exprimatur, ex Decreto S. Congregationis die 17. Decembris 1670. Vel Oratorium concessum fuerit propter infirmitatem, tunc potest, diebus omnibus etiam exceptis, ibi celebrari ex alio decreto sacrae Congregationis, quod refertur apud *Croix lib. 6. part. 2. num.* 271. Insuper declaratum fuit, die Nativitatis Domini unam tantum Missam ibi celebrari. 6. Vetitum est in privato Oratorio Missam celebrari, nisi actu intersit aliqua persona ex iis, quibus indultum principaliter concessum ac directum est, nimirum per-
so-

sonae illae, quae a tergo Brevis proprio nomine nuncupantur, ex decreto *Benedicti XIV.* Demum in his privatis Oratoriis praecepto audiendae Missae die festivo satisfaciunt 1. domini, & omnes de familia cum descendentibus, & uxoribus, ac famulis eorum. Ita communiter. Nomine *familiae* veniunt omnes agnati, & cognati, qui habitant in domo privilegiati, ejusque vivunt expensis. De famulis stylus hodiernus in concessione hujusmodi Oratoriorum addit, ut alii praeterquam servitio personae, cujus intuitu Oratorium conceditur, necessarii, ibidem audientes Missam, ab obligatione eam in Ecclesia audiendi per hoc non liberentur. 2. Celebrans cum ministro. 3. Hospites nobiles, si in Brevi nominati sint; alias juxta multos non satisfaciunt.

§. V.
De Pollutione, Reconciliatione, & Execratione Ecclesiae.

Polluitur Ecclesia per quadruplicem tantum actionem ipsi Ecclesiae injuriosam 1. per homicidium 2. per effusionem sanguinis, 3. per effusionem seminis, 4. & per sepulturam excommunicati vitandi, aut infidelis.

I. Per homicidium voluntarium & injuriosum in Ecclesia patratum, etiamsi fiat

fiat sine effusione sanguinis, puta veneno, suffocatione. Unde resolves, Ecclesiam pollui 1. si quis culpabiliter in ea seipsum interimat; 2. si quis a judice ibi per carnificem occidatur; secus vero, si reip. perturbator aliter capi non possit; vel si occisio fiat ab homine mente capto, vel si quis casu morbo in ea moriatur; 3. si letale vulnus acceptum sit intra Ecclesiam, licet vulneratus alibi moriatur; secus vero, si extra percussus, ad Ecclesiam confugiat, ibique moriatur.

II. Per injuriosam humani sanguinis effusionem. Unde resolves, non pollui Ecclesiam, 1. si effusio fiat casu, morbo, aut a Chirurgo medente; 2. si pauculae guttae effluant, quia non est effusio. 3. si copia sanguinis effluat ex levi percussione, puta narium, dentium, ut in rixa puerorum; quia sanguis non tam ex vi illata, quam sponte inde abundanter emanat.

III. Per humani seminis effusionem mortaliter malam; atque etiam per sacrilegum actum conjugalem.

IV. Per sepulturam excommunicati vitandi, vel infidelis non baptizati. Unde non polluitur Ecclesia per sepulturam excommunicati tolerati, aut haeretici non nominatim denunciati: utrum vero per sepulturam infantis non baptizati, negant aliqui, si sit filius alterutrius saltem parentis fidelis; quamvis fateantur omnes, mortale esse eum

in Ecclesia sepelire, indeque cadaver, si possit, extrahendum, nam est vere infidelis non baptizatus.

Nota, nullà ex dictis quatuor actionibus pollui Ecclesiam, nisi fiat intra pavimentum, & tectum Ecclesiae, & nisi sit etiam publica.

Unde resolves I. non pollui Ecclesiam, si actio patretur supra fornicem, aut tectum Ecclesiae, vel in campanaria turri, vel in subterraneo specu, qui non sit ad sepulturam, vel secundum multos in sacristia, quia non pertinent ad corpus: secus de Capellis, quae sunt partes Ecclesiae. Nota, pollutà Ecclesia censeri pollutum coemeterium, si sit ei contiguum; quia accessorium sequitur conditionem principalis; non contra. II. Si privatim sciatur hoc, aut illud pollutionis flagitium in Ecclesia commissum esse, non per hoc Ecclesia polluta censetur. Nam nisi actio sit publica notorietate facti, vel juris, Ecclesia non polluitur. III. Non polluitur Oratorium privatum, etsi ab Episcopo designatum sit ad celebrandum; quia nomine Ecclesiae ad hunc effectum venit templum consecratum, aut saltem benedictum.

Q. I. *Quomodo Ecclesia polluta reconcilietur?*

R. Non reconciliari per sacrificii celebrationem, sed per ritum in Pontificali praescripto. Unde si Ecclesia erat jam con-

se-

secrata, solus Episcopus aquâ cum sale, & cinere per ipsum benedictis potest eam reconciliare: si erat tantum benedicta, potest reconciliari a quovis Sacerdote aquâ communiter benedictâ ex licentia Episcopi.

Demum grave sacrilegium est celebrare in Ecclesia publice polluta, antequam reconcilietur; etsi nulla contrahatur censura, vel irregularitas, cum nulla sit in jure poena statuta. Porro si inter celebrandum publice Ecclesia polluatur, debet Sacerdos Missam interrumpere, si nondum coeperit Canonem.

Q. II. *Quid sit Execratio?*

R. Est, cum Ecclesia suam amittit consecrationem; ita tamen, ut denuo consecrari debeat, si notabiliter destruatur ejus forma, quae consistit in quatuor parietibus cum crusta. Non ergo amittit consecrationem, si tota simul dealbetur, vel si parietes paullatim, & successive destruantur, & reaedificentur, cum eadem manere censeatur.

Nota I. Execratâ Ecclesiâ, non ideo execrantur altaria, & vicissim. II. Ecclesia benedicta non amittit benedictionem, etiamsi corruant ejus parietes; quia benedictio adhaeret solo, consecratio vero parietibus: in neutra licet celebrare, quia esset idem ac celebrare extra Ecclesiam. Porro lapides, signa &c. Ecclesiae dirutae adhiberi nequeunt ad opera laico-

 rum,

rum , ſed pro alia Eccleſia vel comburenda , vel auctoritate Epiſcopi convertenda in uſus profanos , non ſordidos . Item ſacra veſtimenta , & vela attrita , & jam ad proprium uſum inepta, igne conſumi debent , & eorum cineres in piſcinam projici . *Nam ſemel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius trasferendum . Reg.* 51. *jur. in 6.*

§. VI.
De Ritibus ſeu caerimoniis in ſacrificio neceſſario requiſitis .

Sub mortali requiritur I. Altare *lapideum* ab Epiſcopo conſecratum , fixum, vel portatile : utrumque integro conſtare debet lapide tantae magnitudinis, ut ſuper eum reſidere poſſint calix cum patena , hoſtiae, & particulae conſecrandae. *Portatile* amittit ſuam conſecrationem , cum nulla pars confracti lapidis apta ſit ſuſtinendo calici cum patena . *Fixum* ſuam amittit tum propter enormem fractionem, tum per ſeparationem ab inferiori ſtructura ; ſecus vero , ſi tota menſa cum lapidibus quibus inhaeret , alio transferatur . Item juxta multos quando frangitur ſigillum , vel ſpoliatur ſepulchrum , ideſt loculus ille, in quo Sanctorum reliquiae reconduntur .

II. Mappae ſuper altare debent eſſe tres,

tres, quarum ſuperior ſit oblonga uſque ad terram. Sed contrarius uſus invaluit, ut duae adhibeantur breviores, vel una duplicata.

III. Calix cum patena conſecrata. Juxta aliquos vaſa, & alia ornamenta cenſentur benedicta, ſi quis in illis nondum benedictis ſacrificet: ſed communiter ab aliis negatur. Calix amittit ſuam conſecrationem 1. ſi notabiliter frangatur, ita ut fiat inutilis ad uſum ſacrificii: ut ſi foramen ſit in fundo, licet minutiſſimum. 2. Si cuppa calicis fixi ſeparetur a pede, ſecus ſi calix tornatilis ſit. 3. Si interior cuppae ſuperficies denuo inauretur.

IV. Corporale, palla, & purificatorium, quae linea debent eſſe, & benedicta.

V. Lumina duo ex cera; urgente neceſſitate, ex alia materia.

VI. Crucifixus exculptus, etiamſi expoſitum ſit ſanctiſſimum Sacramentum juxta conſuetudinem cujuslibet Eccleſiae: verum non eſſe neceſſariam imaginem Crucifixi in Altari, docet *Benedictus XIV.* in ſua epiſtola ad omnes Epiſcopos ditionis Eccleſiaſticae *Tom. II. Bullarii pag.* 125. ſi in majore Altaris tabula Crucifixus vel pictus, vel caelatus primum locum obtineat prae ceteris omnibus, quae in eadem tabula exprimuntur.

VII. Miſſale, ne Sacerdos ſe exponat periculo errandi in re tam gravi, me-

moriter recitando Missam. Quisque uti debet Missali juxta proprium ritum. Hinc Romani ritus Sacerdos graviter peccaret, si uteretur Missali Regularium etiam in eorum Ecclesiis. Quisque celebrare potest Missam secundum proprium officium illius Ecclesiae, in qua celebrat, tametsi non conveniat cum officio, quod ipse recitat; quia debet se conformare publico Ecclesiae ritui. Hinc Capellani, & Confessarii Monialium possunt in Missali Romano, & de communi legere Missas Sanctorum, de quibus ipsae Officium recitant.

VIII. Sacrae vestes benedictae ab habente facultatem. *Nam religio divina*, ait *Hieronymus in cap. XXXXIV. Ezechielis, alterum habitum habet in ministerio Altaris, alterum in usu, vitaque communi.* Sex numerantur ornamenta sacerdotalia, quae celebrans induere tenetur, amictum scilicet, albam, cingulum, manipulum, stolam seu orarium, & planetam seu casulam. Numquam autem licet in profano vestitu celebrare; urgente tamen necessitate, licet sine cingulo, vel manipulo Sacrum facere, vel uti manipulo pro stola. Ex communi Sacerdotes cum sacris vestibus se induunt, nequeunt sine veniali omissione praescriptas preces negligere.

IX. Minister. In necessitate tamen gravi E. G. ministrandi viaticum, vel audiendae Missae potest Sacerdos sibi responde-

dere; numquam vero permittitur, ut feminae immediate ministrent in altari, porrigendo urceolos &c. Quidam vero ajunt, illas ex loco remoto respondere posse Sacerdoti offerenti instar Monialium, quae a Choro respondent Celebranti.

X. Sacerdos celebrare debet nudato capite, neque uti potest capillitio ficto, vel pileolo sine facultate Sedis Apostolicae, ut constat ex variis decretis S. Rituum Congregationis apud *Gavantum*.

XI. In celebrationae Missae servandae sunt Rubricae Missalis Romani, ita ut non liceat Missam celebrare nisi juxta ritum, modum, ac normam ejusdem Missalis: neque alias caerimonias, vel preces addere, prout in virtute sanctae obedientiae mandavit *Pius V.* in Bulla apposita in fronte Missalis; item *Urbanus VIII.* illarum observantiam rigorose praecepit. Ex quibus colligimus cum *Colet*, & aliis, Rubricas, quae intra Missam sive in actu celebrationis tantum servantur, esse praeceptivas, & obligare sub gravi, nisi levitas materiae, vel advertentiae defectus excuset: ceteras vero, quae extra Missam servantur, esse directivas, sive solum instructionem directivam importare.

Unde resolves, ex levitate materiae venialiter peccare Sacerdotem, qui omitteret genuflexiones, cruces, manuum extensiones, & alia id genus. Item qui negli-

geret unam ex partibus non ordinariis, nempe illas, quae non semper in Missa dicuntur, puta *Gloria*, *Credo*, *Sequentiam*, *Collectas*, praeter propriam Missae. Item quatuor temporibus *flectamus genua* cum secundariis collectis, & secundariis epistolis, praefationem specialem: Item qui uteretur sola aqua, omisso vino in purificatione, & ablutione, nisi celebrans esset abstemius, vel vinum deficeret; vel ne vinum rubrum maculas in purificatoriis relinquat, quae nauseam excitant. Verum graviter peccaret, qui has caerimonias licet ex non gravioribus, in notabili parte, vel ex formali contemtu, vel ex habituali & voluntaria negligentia, quae interpretativum contemtum involveret, vel cum scandalo. Item, qui ex crassa negligentia caerimonias non curaret addiscere.

II. Mortaliter delinqueret Sacerdos, qui partes ordinarias Missae omitteret, nempe illas, quae Missae intrinsecae sunt, & semper dicuntur; nisi materiae levitas excusaret. Hinc communiter dicunt esse mortale, omittere confessionem cum aliis in principio Missae, Epistolam, Evangelium, Offertorium, fractionem hostiae, & illius mixtionem in sanguinem, infusionem aquae in calicem, omissionem purificationis calicis, & patenae. Item qui infra quadrantem Missam absolveret; quia sacrificium non potest adeo brevi spatio per-

perfici sine multis imperfectionibus, & scandalo audientium. Hinc communiter docent Theologi Missam non breviorem triente, nec longiorem dimidia hora esse debere. Itaque Sacerdos memoriae infixas habeat obvias illas litteras a. b. c. d. e. idest Missam celebrandam esse alte, breviter, clare, devote, exacte.

Jam vero nullam culpam agnoscunt in eo, qui relinquit orationes ante, & post Missam; quia in illis nullum adest in Rubrica praeceptum, sed tantum insinuatio, cum dicatur in tabella, *Orationes pro temporis opportunitate* (hoc est commoditate) *dicendae*. Verum ab aliqua culpa non excusant Sacerdotem, qui ad Altare accedit sine ulla praeparatione saltem domi facta.

Demum a peccato gravi non erit immunis, qui cum notabili & voluntaria distractione Missam legeret, praesertim in Canone, & signanter sub consecrationem, & communionem; quia Sacrificium cum sit actus Religionis excellentissimus, maximam exigit reverentiam, quam certe non habet, qui Pharisaeorum more, labiis tantum Deum invocat, cor vero ejus longe est ad eo.

PARS. II.

De Ordine .

CAPUT UNICUM .

De Sacramento Ordinis .

ORdinis nomen varie accipitur , & 1. pro apta partium diſpoſitione . 2. pro vario hominum ſtatu , Senatorio , Plebejo, Eccleſiaſtico &c. 3. pro ſacro ritu , quo perſonae Eccleſiaſticae conſecrantur . Hic autem ritus conſiſtit in actione tranſeunte , quae *Ordinatio* appellatur , de qua nunc agendum .

§. I.
De Natura , Numero , Materia , Forma , & Miniſtro Ordinis .

Prop. I.

Ordo definitur : *Sacramentum Novae Legis , quo poteſtas ſpiritualis confertur ad Euchariſtiam conſecrandam , & ad alia miniſteria Eccleſiaſtica rite & ex officio obeunda* .

Explicatur definitio . *Sacramentum Novae Legis :* haec verba tenent locum gene-

neris. *Poteſtas ſpiritualis confertur*, differentiam Ordinis ab aliis ſacramentis deſignant. Haec autem poteſtas duplex eſt: Alia reſpicit corpus Chriſti reale, ſeu Euchariſtiae confectionem, & dicitur *poteſtas Ordinis*. Alia reſpicit corpus Chriſti myſticum, ſeu fideles, & vocatur *poteſtas juriſdictionis*, qua jus confertur docendi, & dirigendi fideles ad Regnum aeternum.

Prop. II.

Ordo, ſeu ſacra Ordinatio verum eſt Novae Legis ſacramentum.

Prob. ex *Trid. Seſſ. XXIII. cap. 3. Cum Scripturae teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram Ordinationem, quae verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe vere & proprie unum ex ſeptem ſanctae Eccleſiae ſacramentis*. Idem definitum fuit contra Novatores *can. 3.*

Prop. III.

Septem in Eccleſia Latina numerantur Ordines, videlicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, Oſtiariatus.

Prob. ex *Florentino*, & *Tridentino ſeſſ. XXIII. cap.* 2. Tres priores dicuntur *Majores*, tum ob ſolemne votum caſtitatis annexum, tum quia propius pertinent ad Euchariſtiam; alii quatuor dicuntur *Minores*.

Ex his inferes I. Tonsuram Clericalem non esse Ordinem, sed quamdam praeparationem ad Ordines: II. nec etiam Cantoratum, qui mere officium est.

Prop. IV.

Nec Subdiaconatus, nec Minores Ordines sunt sacramenta. Ita multi.

Prob. 1. Quia nulla in eorum collatione manuum impositio, quae hujus sacramenti materia essentialis est, ut infra. 2. Altum apud antiquos silentium tum de gratia sanctificante, tum de divina institutione. Ergo &c. Quod si iterari non possunt, id ex sola Ecclesiastica lege provenit, per quam fit, ut nec ipsa Tonsura Clericalis iteretur.

Prop. V.

Diaconatus est sacramentum proprie dictum. Ita communissime.

Prob. Diaconatus confertur per manus impositionem, quam comitatur invocatio Spiritus Sancti: quae omnia rite probant, nihil ipsi deesse ad rationem sacramenti.

Prop. VI.

Presbyteratus est sacramentum proprie dictum.

Prob. De fide est Presbyteratum esse sacramentum, ut definivit *Tridentinum sess.XXIII. can.*1. his verbis: ***Si quis dixerit, non esse in Novo Testamento Sacerdotium visibile & externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi ve-***

verum corpus, & sanguinem Domini, & peccata remittendi . . . anathema sit.

De Episcopatu, qui dicitur *Sacerdotium majus*, acriter disputant Theologi, utrum sit sacramentum a Presbyteratu distinctum. Non esse sacramentum natura, & charactere a Presbyteratu distinctum, sed ejusdem characteris Sacerdotalis extensionem ad quaedam officia, ad quae primitus non extendebatur, tenent *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, & alii plerique Scholasticorum, sequentes doctrinam *Magistri Sententiarum*. Affirmativam vero sententiam, quae, teste *Estio*, multo probabilior apparet, amplectuntur inter alios *Cajetanus*, & *Petrus a Soto*, qui putat esse fide tenendam.

Ex dictis inferes I. etsi singuli Ordines essent sacramenta, unum tamen esse sacramentum Ordinis unitate finis; quia omnes ordinantur ad unum Sacerdotium, quo corpus & sanguis Christi consecratur.

Inferes II. sacrilegos esse, qui cum conscientia peccati letalis Ordines Diaconatu inferiores suscipere non reformidant. Nam etsi non sint sacramenta, cum tamen hoc non sit certum, malus Ordinandus periculo indigne recipiendi sacramentum Ordinis se exponeret; vel potius, quia sancta sancte tractanda & suscipienda.

Prop. VII.

Essentialis materia Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus est sola manuum im-

impositio : forma vero est adjuncta oratio , qua invocatur Spiritus Sanctus in eos, quibus manus imponuntur .

Prob. Usus ordinandi sacros Ministros per impositionem manuum, & orationem, semper, & ubique in Ecclesia fuit. Ergo. De hoc ritu tantum loquitur Scriptura . *Actorum VI.* & *XIII. Tunc jejunantes , & orantes , imponentesque eis manus .*

Hunc usum evincunt Concilia , Canones, Patres . Ergo &c.

Prop. VIII.

Materia Subdiaconatus , & Minorum Ordinum est porrectio instrumentorum ; forma vero Episcopi verba , quae instrumentorum traditionem comitantur .

Prob. Sola instrumentorum porrectione cum verbis eidem annexis utitur Ecclesia , praesertim Latina in collatione Subdiaconatus , & Minorum Ordinum . Ergo haec sola essentialis est. Hic ritus praecipitur in Conciliis , ut constat ex *Carthaginensi IV.* & praescribitur etiam *in Pontificali Rom.*

Hinc colliges ex eod. *Pontificali Rom.* cujuscunque Ordinis materiam : Ostiariatus scilicet, traditionem clavium Ecclesiae, cui additur alia caerimonia per ministerium Archidiaconi , nempe pulsatio campanulae, & aperitio ostii Ecclesiae : Lectoratus, traditionem libri sacrae Scripturae: Exorcistatus, traditionem libri exorcismorum , vel ejus

ejus loco, traditionem Pontificalis, vel Miſſalis: Acolythatus, traditionem candelabri cum cereo extincto, nec non urceoli vacui: Subdiaconatus, traditionem calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita: Diaconatus, praeter impoſitionem manuum, accidentalem materiam, nempe traditionem codicis Evangeliorum: Presbyteratus, una cum manuum impoſitione ad pleniorem traditae poteſtatis declarationem, traditionem calicis cum vino, & patenae cum hoſtia: Epiſcopatus, cui manus imponuntur ab Epiſcopo cum aſſiſtentia aliorum duorum Epiſcoporum, adventitiam materiam, nempe traditionem baculi paſtoralis, annuli, & libri Evangeliorum.

Nota I. in Ordine duplicem diſtingui materiam, *remotam*, & *proximam*. Remota ſunt ipſa inſtrumenta; proxima eorum traditio.

Nota II. porrectionem inſtrumentorum, quae in Ordinatione Diaconi, Preſbyteri, & Epiſcopi adhibetur, omnino eſſe retinendam; quamvis non ſit materia eſſentialis ſacramenti Ordinis, ſed tantum integralis; quia Eccleſia Latina ea utitur a ſeptingentis & amplius annis.

Nota III. in re tam gravi ad evitandas omnes anxietates, & ſcrupulos, exacte ſervandos eſſe ritus omnes, qui in Pontificali praeſcribuntur. Unde ex communi requiritur 1. ut tam Epiſcopus tradens,

dens , quam Ordinandus accipiens instrumenta , immediate & physice ea tangat . 2. Quamvis multi doceant necessarium non esse , ut Ordinandus tangat singulas materiae partes, puta calicem, & patenam ; sed sat esse, ut tangat aliquam materiae partem, puta solum calicem , cui patena cum hostia est superposita : ad tollendos tamen , ut diximus , omnes scrupulos, tangat Presbyterandus utraque manu immediate & physice calicem, patenam , & hostiam .

Nota IV. formam cujuscunque Ordinis esse verba Episcopi, quae materiam comitantur. Hinc si materia accidentalis erit, verba ei annexa erunt accidentalia , ut in Presbyteratu verba, *Accipite potestatem offerendi &c.* quae in calicis porrectione dicuntur , accidentalia sunt : si materia erit essentialis, ut manuum impositio in Diaconatu, Presbyteratu &c. verba adjuncta huic impositioni erunt essentialia . Verum nota in Presbyteratu triplicem manuum impositionem : primam, quae sub silentio fit ; alteram, quae orationem habet adjunctam ; tertiam, quae Presbyterum jam consecratum supponit. Ergo non prima , nec tertia erit essentialis materia , sed tantum secunda ; & proinde oratio , quae hanc impositionem comitatur, erit forma esfentialis .

Nota V. varia esse cujusque Ordinis munia, & onera, quae a sacris Canonibus,

&

& praesertim a *Pontificali Romano* numerantur; videlicet Ostiariatus (per quem Clericus custodiae Ecclesiae praeficitur) munus est claudere, & custodire Ecclesiam, dignos advocare & admittere, excludendo indignos, nempe infideles, & excommunicatos; campanas pulsare tempore divini Officii, sacram supellectilem custodire.

Lectoratus (quo confertur potestas legendi in Ecclesia sacram Scripturam, & sanctorum Patrum doctrinam) officium est legere sacram Scripturam, item instruere Catechumenos.

Exorcistatus (quo impertitur potestas expellendi daemones ab energumenis) munus est imponere manus super energumenos, & excorcismos legere.

Acolythatus (quo potestas traditur inserviendi Diacono, & Subdiacono in Missae Sacrificio) officium est luminaria Ecclesiae accendere, cereos ferre ad Evangelium: item Subdiacono, & Diacono ministrare.

Subdiaconatus (quo potestas datur ministrandi Diacono, & Sacerdoti in Sacrificio Missae) munus est Epistolam canere, Diacono & Sacerdoti sacrificanti inservire; item crucem in supplicationibus gestare; item pallas, & corporalia, & purificatoria abluere.

Diaconatus (quo potestas datur proxime inserviendi Sacerdoti Missam celebranti)

ti) munia ſunt miniſtrare ad Altare, legere in Miſſa Evangelium : item ſolemniter baptizare, ſed tamquam miniſter extraordinarius: item praedicare, quamvis non ſint Sacerdotes, ait *Ambroſius* in *IV. Epiſtol. ad Epheſ.* evangelizare tamen poſſunt ſine cathedra. Item pixidem traſferre de uno altari in alterum.

Preſbyteratus (quo datur poteſtas conſecrandi corpus Chriſti, & remittendi peccata) munia ſunt offerre, benedicere, praeeſſe, praedicare, baptizare.

Epiſcopatus (quo datur Presbytero poteſtas conferendi ſacramenta Confirmationis, & Ordinis, regendique Eccleſiam ſibi commiſſam, nempe Clerum, & plebem, vocaturque *Apex Sacerdotii*) munera ſunt ordinare, conſecrare, confirmare &c.

Quatuor Minorum Ordinum onera ſunt deferre habitum, & Tonſuram, & adſcribi alicui Eccleſiae. Subdiaconi onera, praeter dicta, ſunt duo; ſervare caſtitatem, & recitare horas Canonicas. Eadem pariter ſunt onera Diaconi, & Presbyteri. Inſuper Tonſuratis, & Ordinatis in Minoribus ab Epiſcopo ordinante imponitur, ut ſemel recitent ſeptem Pſalmos Poenitentiales cum Litaniis: Subdiaconis, & Diaconis indicitur recitatio nocturnum illius diei, quod intelligitur de nocturno feriali, etiamſi ſit de Sancto. Pro more diſputant Theologi, utrum iſthaec recitatio ſit de con-

consilio, an de praecepto: *fatendum tamen*, ait *Colet*, *in iis, qui sensum hoc omittunt, nonnihil esse negligentiae, & inobedientiae, quod vix ab omni culpa eximi possit*. Item de Missis impositis ab Episcopo novis Sacerdotibus multi volunt Presbyteros teneri sub levi tantum ad ritum, & orare pro Episcopo ordinante: ceterum posse pro aliis applicare, & stipendium accipere.

Prop. IX.

Solus Episcopus est sacrae Ordinationis Minister Ordinarius.

Prob. 1. ex *Trident. sess.* XXIII. *can.* 7. *Si quis dixerit . . . Episcopos . . . non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam quam habent, esse illis cum Presbyteris communem . . . anathema sit.* 2. Ex Scriptura, quae jus ordinandi solis Apostolis tribuit. *Actor. VI.* & *XIII.* & *II. ad Timoth. I.* Atqui Episcopi sunt Apostolorum successores. Ergo. 3. Ex constanti, & universali totius Ecclesiae traditione.

Prop. X.

Simplex Sacerdos ex legitima dispensatione potest esse extraordinarius Minister Ordinum Diaconatu inferiorum.

Prob. 1. Quia Ordines Diaconatu inferiores, sunt Ecclesiasticae institutionis. Ergo ab Ecclesia deputari potest eorum Minister. 2. Patet ex facto; nam pluribus

bus Abbatibus conceſſa eſt facultas adminiſtrandi Tonſuram, & Minores Ordines. Ordines vero Majores, Diaconatum, Preſbyteratum, & Epiſcopatum neque ex privilegio poſſe conferri a ſimplici Presbytero docent omnes; & ſi quod affertur Privilegium pro collatione Diaconatus, dicunt eſſe commentitium.

Prop. XI.

Licet omnis Epiſcopus valide ordinare poſſit, licite tamen ſolum proprius.

Prob. Ita *Tridentinum ſeſſ. XXIII. de Refor. cap.* 8. *Unuſquiſque a proprio Epiſcopo ordinetur . . . ſi ſecus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a ſuſceptorum Ordinum exſecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.*

Porro Epiſcopus proprius eſt vel originis, vel beneficii, vel domicilii, ut declaravit *Bonifacius VIII. cap.* Cum nullus, *de Tempore ordinationis in 6.* Epiſcopus *originis* eſt, in cujus Dioeceſi quis natus eſt; *modo non ex accidenti*, nempe ratione itineris, officii, legationis, mercaturae &c.. Ita *Innocentius XII.* in Conſtitutione *Speculatores*, edita anno 1694. Epiſcopus *domicilii* is eſt, in cujus Dioeceſi qui vult ordinari, habitat animo ibi perpetuo manendi. Hinc ſtudioſi in aliqua Academia commorantes, ex qua poſtea ſunt diſceſſuri, etiamſi per decennium ibidem commoren-

rentur, quia deest animus perpetuo manendi, ad suscipiendos Ordines domicilium non acquirunt. Episcopus *beneficii* dicitur ille, in cujus Dioecesi aliquis beneficium possidet, etiam simplex & tenue, modo sufficiat ad congruam sustentationem sine supplemento patrimonii, ex laudata Constitutione.

Cavendum tamen, ne beneficium per fraudem conferatur, vel obtineatur. Si enim Episcopus animo sibi addicendi alienum subditum, ei beneficium conferat, vel ipse Clericus, ut sui Episcopi examen declinet, beneficium in aliena Dioecesi procuret; tam Ordinans, quam Ordinatus incurrunt poenas a jure latas. Constat ex pluribus Decretis sacrae Congregationis Concilii.

APPENDIX

De Prima Tonsura, & Habitu Clericali.

Tonsura est caerimonia ab Ecclesia instituta, qua Laicus baptizatus, & confirmatus, Clero adscribitur. Tonsura non est Ordo, ut dictum est supra; quia illam suscipienti nullam potestatem activam confert, sed tantum capacem & idoneum eum reddit, ut privilegiis clericalibus, nimirum fori, & canonis, & Ecclesiasticis beneficiis frui possit. Iis tamen privilegiis *non gaudeat Clericus,*

nisi

nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur. Ita statuit *Tridentinum sess. XXIII. cap. 6. de Reform.*

Ante seculum V. Clerici a Laicis nec capillis, nec vestibus, nec certo habitu distinguebantur, ut colligitur ex *Ep.* 2.*Caelestini* Papae ad quosdam Episcopos Galliae, qui Philosophorum habitum sumserant, novitatis eos redarguens Pontifex, ait: *Discernendi a plebe, vel ceteris sumus doctrina, non veste; mentis puritate, non cultu.* Verum posterioribus seculis Ecclesia hanc sacram caerimoniam instituit, quasi clericalis disciplinae tirocinium; Laicus enim, qui vult Clero adscribi, conveniens est, ut 1. abjiciat vestem laicam, 2. caput tondeat, 3. vestem Clericorum propriam induat, 4. sanctioris vitae disciplinam profiteatur.

Porro in Clericis distinguenda est Rasura, Corona, & Tonsura. Rasura respicit partem superiorem, quam dicimus *Clericam:* Corona circulum capillorum: Tonsura abscissionem ipsorum. Per rasuram ex parte superiore capilli subtrahuntur; tonsura vero ex parte inferiore capillos tondet; illa novacula, haec forfice fit. Vide *Glossam* in *Cle-*

Clementina II. De vita, & honeſtate Cleric. Lege *Claudium Vert Tom.II. de Caerim. Eccleſiae.* Coronae clericalis originem Monachis adſcribunt Eruditi, qui ut ſe contemtui aliorum exponerent, ſinciput radebant: ex iſtis ad Clericatum, & Epiſcopatum aſſumti, ſuo more Clericos inſtituerunt. Olim Corona aequalis magnitudinis erat in omnibus Clericis, ut colligitur ex Concilio *Tolentano IV.* nunc major, vel minor pro gradu Ordinum.

Veſtis clericalis duplex, alia *civilis*, quae & talaris, & nigri coloris, mundi contemtum, & eccleſiaſticam religionem refert. Alia *eccleſiaſtica*, quae linea eſt, & *ſuperpelliceum* nuncupatur, clericalem munditiam denotat.

Q. *Utrum peccent, qui clericalem habitum, & Tonſuram negligunt?*

R. I. graviter peccare Clericos in ſacris, & beneficiatos, qui per notabile tempus habitum, & Tonſuram non deferunt. Vide Bullam *Xyſti V. Cum Sacroſancta.*

R. II. ſub veniali teneri ad habitum, & Tonſuram juniores Clericos non beneficiatos, quamdiu ſervant propoſitum permanendi in ſtatu clericali: licere tamen ex aliqua rationabili cauſſa, puta itineris, uti veſte brevi, ſed modeſta.

§.II.

§. II.
De Subjecto, & Effectibus Sacramenti Ordinis.

Prop. I.

Omnis & solus mas baptizatus, valide ordinari potest.

Prob. 1. pars. Ita omnes; nam semper in Ecclesia Dei reputatum fuit, solum sexum masculinum, exclusis feminis, capacem esse Ordinis; idque jure divino. Nam ex Apostolo *ad Timoth.* feminis non permittitur docere, neque dominari.

Prob. 2. pars. Ita cum *D. Thoma in suppl. 3. part. q. 39. art. 2. in c.* quia in sacramento Ordinis non requiruntur proprii suscipientium actus. Hinc valide ordinantur infantes, amentes &c.

Prob. 3. pars. Quia baptismus est janua ceterorum sacramentorum. Vide dicta in *de Sacram. in gen.*

Ad licitam Ordinum susceptionem haec requiruntur.

I. *Certa aetas*. Pro prima Tonsura requiritur, ut initiandus polleat usu rationis, & ideo ut saltem sit septennis, ut docet *Benedictus XIV.* in Bulla *Inter sollicitas*. Ex Concordato nostri Regni aetas saltem decem annorum, & triennale servitium Ecclesiae ex mandato Episcopi. Pro minoribus Ordinibus nulla aetas determina-tur

tur in jure, ſed ſolent conferri ab anno ſeptimo ad decimum quartum uſque. Idem Pontifex ibidem. Pro Subdiaconatu ſtatuitur annus vigeſimus ſecundus. Pro Diaconatu vigeſimus tertius. Pro Sacerdotio vigeſimus quintus. Ita *Tridentinum ſeſſ. XXIII. de Refor. cap.* 2. Ex communi ſufficit, ut annus praeſcriptus ſit inceptus. Qui mala fide ante legitimam aetatem ordinati fuerint, incurrunt ſuſpenſionem ipſo facto ab exercitio Ordinis ſuſcepti, & Papae reſervatam, ex Bulla *Pii II.* ſecus, ſi bona fide: & ſuperveniente aetate, poteſt abſque alia abſolutione Ordines exercere.

II. *Temporum debita interſtitia*, quae ſtrictius in Majoribus, quam in Minoribus Ordinibus obſervantur. Minores enim eodem die eidem Clerico dari poſſunt, ſi magis Epiſcopo expedire videbitur; Majores vero nonniſi poſt annum a die ſuſcepti Ordinis: quod temporis intervallum ſine cauſſa Epiſcopus coartare prohibetur. Inſuper ut a Minoribus ad Subdiaconatum aſcendatur, requiritur anni ſpatium. Haec ex *Tridentino ſeſſ. XXIII. cap.* 2. Epiſcopus ſine Papae diſpenſatione duos Ordines ſacros una die conferre non poteſt, ex *cap.*13. & *cap.* Literas, *De Temp. Ordinat.*

Porro Minores Ordines dari poſſunt Dominicis, aliiſque diebus feſtis; ſacri vero tantum in ſabbatis quatuor temporum, & ſabbato ſancto, & de Paſſione. *Cap.* 3. *de*

de Temp.Ordinat. Tonsura autem Clericalis quocunque die, & hora.

III. *Immunitas* ab omni censura, & irregularitate.

IV. *Status gratiae*. Confer huc dicta in *de Sacram. in gen.*

V. *Vitae probitas*. *Sciant tamen Episcopi*, ait *Trid. sess. XXIII. cap.* 12. ... *debere ad Ordines assumi dignos duntaxat, & quorum probata vita senectus sit*. Rationem reddit *D. Thomas, in Suppl. 3. part. q.* 35. *art.* 1. *ad* 3. *Sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis; ita & superiores sint merito sanctitatis*. Olim a Patribus ad Ordines recipiendos baptismatis innocentia requirebatur; nunc admittuntur etiam lapsi post baptismum; dummodo eorum crimina non fuerint publica, iique sint sincere poenitentes, & Ecclesiae utiles.

VI. *Vocatio divina*, quae sic describi potest: Actus providentiae supernaturalis, quo Deus hos prae illis eligit, praeparatque dotibus consentaneis ad sacra officia obeunda. Signa hujus divinae vocationis sunt 1. scientia conveniens, 2. morum probitas, 3. recta intentio, nimirum vacandi divinae gloriae, & saluti animarum.

VII. *Titulus sustentationis*, ut beneficii, vel patrimonii, vel paupertatis, ut in Regularibus, ne Clerici sordidas artes ex-

exercere, vel panem mendicare cogantur.

Nota I. Qui ſine titulo, ideſt ſine certa ſuſtentatione, vel ex Eccleſia, vel ex proprio patrimonio ordinatur, de jure communi incurrit ſuſpenſionem ſuſcepti Ordinis, ut ex *Tridentino* colligunt ſolidiores Theologi. 2. De jure noſtro dioeceſano qui cum patrimonio ficto, vel fiduciario, vel quomodocunque fraudulento, etiam primam ſuſcipit Tonſuram, incurrit ſuſpenſionem Archiepiſcopo reſervatam, a qua abſolvi nequit niſi de ſpeciali mandato Archiepiſcopi, cauſſa diſcuſſa, & conſtituto reali patrimonio. Inſuper una cum Clerico ſic promoto omnes concurrentes, puta conſilio &c. incidunt in excommunicationem pariter reſervatam. 3. Non licet Ordinato ſine licentia noſtrae Curiae ſub poena ſuſpenſionis ab Ordinum exercitio ipſo facto incurrendae, titulum ſuae promotionis alienare, remittere, vel alium ſubrogare, ex Synodali ſtatuto.

Prop. II.

Ordinum, qui ſunt ſacramenta proprie dicta, effectus triplex: gratia ſanctificans, gratia ſacramentalis, & character.

Prob. Ordo eſt ſacramentum proprie dictum, ut ex *Trid.* audivimus definitum. Ergo gratia ſanctificans in digne ſuſcipientibus ab eo producitur tanquam proprius effectus. Verum nota ex *D. Thoma*, quod licet gratia ſanctificans ſit communis o-

mnium sacramentorum effectus; tamen sacramenti Ordinis effectus est gratiae excellentioris plenitudo. Gratia vero sacramentalis, quae dicitur propria cujuscunque sacramenti, est jus fundatum in gratia sanctificante a sacramento Ordinis producta, ad accipienda auxilia actualia supernaturalia, quae mentem illustrant, & cor accendunt, ut initiati digne & sancte exercere proprium ministerium valeant.

Character, qui est tertius hujus sacramenti effectus, est signum in anima indelebiliter impressum, quo sacro Ordine initiati, secernuntur a non ordinatis, & idonei ad functiones Ecclesiasticas efficiuntur.

TRA-

TRACTATUS

DE POENITENTIA, ET EXTREMA UNCTIONE.

CAP. I.

De Sacramento Poenitentiae.

SAluberrimum hoc ſacramentum variis vocabulis a Patribus nuncupatur; *ſecundus* ſcilicet *baptiſmus*, *ſecunda tabula poſt naufragium*, *ſacramentum reconciliationis*, *abſolutionis*, *exhomologeſis* ſeu *confeſſionis*; ſed praecipue *Poenitentiae* ob virtutem poenitentiae, quae eſt pars hujus ſacramenti. Hinc Theologi hîc nonnullas quaeſtiunculas de virtute poenitentiae a ſacramentali diſtinctae praemittere ſolent, quas paucis perſtringemus.

Poenitentia ut virtus ſic deſcribi ſolet: *Virtus, qua peccator movetur ad dolorem, ac deteſtationem de peccato commiſſo, quatenus eſt offenſa Dei, & ad efficax propoſitum vitandi peccatum, & ſatisfaciendi juſtitiae divinae.* Dicitur 1. *Virtus*; nam dolere, quando, quomodo, & quatenus oportet, extrema devitando, nequit non

esse virtutis actus. 2. Poenitentiae objectum materiale est peccatum propria voluntate commissum. Hinc peccatum originale cum non sit propria voluntate commissum, sed origine contractum, non potest esse objectum materiale hujus virtutis, quod ad actum ejus praecipuum, nempe actum retractationis, ac vindicationis, licet possimus illud detestari, ac de eo doleri. 3. Formale vero objectum est peccatum prout laesivum divini juris, & ut tale congrua satisfactione delendum. 4. Hinc Poenitentia virtus specialis est, quia & objectum proprium habet, & ex speciali motivo in illud tendit; nam divinum violatum jus compensare conatur, si non ad aequalitatem, cujus homo est incapax, saltem quantum potest, & Deus exigit: quae violati juris compensatio justitiae commutativae species est. 5. Haec virtus quoad actum, & habitum supernaturalis est; quia cordis conversio non naturae viribus comparatur, sed divinae gratiae auxiliis Deus poenitentiam operatur in nobis. 6. Peccatoribus ad salutem quovis tempore fuit necessaria; repugnat enim quod Deus recipiat in suam amicitiam peccatorem impoenitentem; quoniam tunc amaret hominem, quem a se aversum, & in peccato obstinatum cognosceret. 7. Actus Poenitentiae sunt odium, & detestatio peccati cum propositio emendationis, & satisfactio-

ctionis. Lege *Catech. Rom. de Sacram. Poenit.* in quo ad mentem *D. Thomae* fusius haec explicantur.

Poenitentia ut sacramentum definiri sic potest: *Sacramentum a Christo Domino institutum ad peccata post baptismum commissa remittenda per actus poenitentis, & absolutionem Sacerdotis.* Dicitur 1. *sacramentum a Christo Domino institutum;* quia omnia novae legis sacramenta Christum agnoscunt. 2. *Ad peccata post baptismum commissa remittenda;* quia hoc sacramentum lapsis post baptismum solummodo dispensatur. 3. *Per actus poenitentis:* haec verba partes veluti materiales hujus sacramenti produnt. 4. *Per absolutionem Sacerdotis:* hae ultimae particulae veram in Sacerdote potestatem remittendi peccata significant.

Hujus autem sacramenti institutio praecipue habetur *Joann. XX.* cum Christus Dominus a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Tunc enim judiciariam potestatem, quam ante passionem illis promiserat, contulit, ut declarat *Trid. sess. XIV. cap. 1.*

De ejus necessitate haec habet idem *Trid. cap. 2. Est autem hoc sacramentum Poenitentiae lapsis post baptismum ad sa-*

 lu-

lutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus; nempe necessitate medii, & praecepti.

Ex dictis colliges discrimen inter virtutem poenitentiae, & sacramentum poenitentiae. Nam poenitentia ut virtus, interior est, & tota in actibus poenitentiae consistit; communis fuit legi naturali, & scriptae, & quovis tempore peccatori ad impetrandam a Deo veniam necessaria; & gratiam consequitur ex opere operantis. Poenitentia ut sacramentum, signis exterioribus induta praecipue consistit in absolutione Sacerdotis, gratiam confert ex opere operato, & pro solis Christianis lapsis post baptismum a Christo instituta fuit, 1. ut firmior nobis esset spes veniae obtinendae per absolutionem Sacerdotis legitime peccata condonantis. Quid enim aliud est Sacerdotis absolutio, quam ejusdem Christi Domini vox, qui ait Paralitico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua?* 2. Ut vi & efficacia hujus sacramenti aplicarentur nobis Christi merita ad delenda peccata post baptismum commissa, atque ita totum reconciliationis nostrae beneficium ab uno Servatore nostro proficisci intelligeremus. His praejactis, consuetae methodo nostrae inhaerentes, quae ad materiam, formam, ministrum, subjectum &c. pertinent, brevissime resolvemus.

SE-

SECTIO I.

De Materia ſacramenti Poenitentiae.

Nota I. Materia ſacramenti Poenitentiae alia eſt *remota*, alia *proxima*. Remota eſt omne peccatum poſt baptiſmum commiſſum. Proxima vero ſunt actus poenitentis: de illa nunc, de hac infra.

Nota II. Peccatum, circa quod delendum verſatur Poenitentia, aliud eſt *certum*, aliud *dubium*; aliud *mortale*, aliud *veniale.*

Nota III. Materia remota alia dicitur *neceſſaria*, alia *ſufficiens* & *libera*. Neceſſaria dicitur peccatum, quod neceſſario aperiri debet in Confeſſione: ſufficiens & libera dicitur peccatum, quod per Poenitentiae ſacramentum deleri poteſt, ſed ei neceſſario ſubjiciendum non eſt, quia per alia media deleri poteſt.

Prop. I.

Peccatum poſt baptiſmum commiſſum, eſt remota Poenitentiae materia; neceſſaria quidem, ſi mortale nondum ſit rite confeſſum; libera & ſufficiens, ſit veniale aut mortale alias ſit rite confeſſum.

Prob. 1. pars. Remota Poenitentiae materia eſt 1. *peccatum*; quia tum materia proxima hujus ſacramenti, nempe actus poenitentis; tum & forma ejuſdem, nimirum abſolutio, verſatur circa peccati de-

structionem. Ergo. 2. Peccatum *post baptisma commissum*; quia Poenitentia exercetur per modum judicii. Ergo nonnisi in baptizatos, qui sunt Ecclesiae subditi, exerceri potest. Ergo.

Prob. 2. pars. Quae necessario Ecclesiae clavibus subjici debent, sunt necessaria sacramenti Poenitentiae materia. Atqui peccata mortalia, quamdiu rite confessa non sunt, Ecclesiae clavibus subjicienda sunt. Ergo. Nam jure divino confiteri tenemur omnia, & singula peccata mortalia post baptismum commissa, quorum memoria habeatur.

Hinc inferes, Poenitentiae tribunali necessario subjiciendum esse peccatum mortale non rite confessum, etsi poenitens sit de eo perfecte contritus, vel per accidens justificatus vi alterius sacramenti, vel indirecte absolutus, quia inculpabiliter in Confessione illud omisit. Merito ergo *Alexander VII.* damnavit hanc propositionem num. 11. *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans vitae periculum, aut aliam ob caussam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere*.

Prob. 3. pars de venialibus. Quae per poenitentiam, simulque per alia media expiari possunt, merito dicuntur & libera, & sufficiens Poenitentiae materia. Atqui peccata venialia expiari possunt per Poenitentiam, cum Christus Dominus Sacerdo-

dotibus poteſtatem dederit remittendi generatim omnia peccata quae remitti poſſunt: *Quaecunque ſolveritis*; & per alia media, ut docet *Trid. ſeſs. XIV. cap.* 5. Ergo.

Prob. 4. pars de mortalibus jam remiſſis 1. ex *extravaganti* 1. *de privilegiis* §. *verum* in fine: ubi *Benedictus XI.* ait: *Licet de neceſſitate non ſit eadem confiteri peccata, tamen propter erubeſcentiam, quae magna eſt poenitentiae pars, ut eorumdem peccatorum reiteretur confeſſio, reputamus ſalubre*. 2. Ex piorum ac doctorum hominum uſu ab Eccleſia commendato, ut patet ex laud. textu. 3. Quia Chriſtus Dominus ſolvendi poteſtatem non reſtrinxit ad unum remiſſionis actum; nec reſtringere debuit, tum ut poenitentium ſecuritati melius conſuleret; tum ut major ex poenitentia fructus obtineri poſſet, ut optime ratiocinatur hîc doctiſſimus *Colet*.

Hîc tria notanda. I. Praxis confitendi aliquod praeteritae vitae mortale peccatum alias rite ac directe abſolutum ad ſacramenti ſecuritatem conſulendam, puta ut vitetur nullitas in Confeſſione illorum, qui de peccatis tantum venialibus confiteri ſolent, ordinarie loquendo laudabilis eſt. Dummodo poenitens 1. per repetitam peccati ſui abſolutionem, de eo non cogitet minus, quam par eſt; ſed illud exponat cum novo dolore, ut habeatur nova materia proxima cum forma abſolutionis. 2.

Ne per ficcam pluries depositi peccati sui accusationem negligens reddatur ad detestanda cum Dei gratia peccata sua quotidiana, & ad illorum emendationem; ita ut putet haec valde levia esse, & necessarium non esse ad ea detestanda se excitare, quod posset aliquando inducere poenitentem ad sacramenti contemtum. Vide *Genettum de Poenit. cap. 6.*

II. Cum peccata jam dimissa libera sint, non vero necessaria Poenitentiae materia, licitum est, aliqua eorum scienter omittere, non secus ac dicitur de certo venialibus.

III. Satius est turpia quaedam jam ad aequas juris apices deposita, generali quadam ratione, quam in individuo confiteri, ne distinctior rei periculosae memoria plus noceat, quam profit; quamquam haec, ait *Colet*, non parum pendeant a circumstantiis seu moventis Spiritus, seu humiliationis hîc & nunc poenitentibus necessariae, seu necessitatis novo innotescendi Confessario.

Prop. II.

Peccatum mortale dubium necessaria Poenitentiae materia est, sed non sufficiens: veniale vero dubium nec necessaria, nec sufficiens.

Prob. 1. pars. Peccatum mortale dubium (quando dubium est cum fundamento) si reticeatur, poenitentem exponit peri-

periculo non confitendi omnia peccata contra divinum praeceptum: si solum confiteatur, exponit sacramentum periculo nullitatis ob incertitudinem materiae. Ergo in Confessione necessario aperiendum, sed non sufficit unice aperire.

Prob. 2. pars. Peccatum veniale dubium si reticeatur, nullum parit periculum, cum constet non esse mortale: si unice confiteatur, urget ratio non reddendi irritum sacramentum. Ergo peccatum veniale dubium Poenitentiae sacramenti nec necessaria, nec sufficiens materia est.

Hinc resolves I. peccatum mortale dubium in sacramentali Confessione eum teneri aperire, qui post diligens examen dubitat, an aliquod peccatum, quod scit esse mortale, admiserit; II. qui scit se peccasse, sed dubitat an peccatum sit mortale, vel veniale; III. qui scit se mortaliter peccasse, sed dubitat an illud confessus fuerit: quia in dubio tutiorem partem sequi tenemur. Vide *D. Thomam in IV. Dist.* 21. *art.* 3. *ad* 3.

§. I.
De Contritione.

Nota. Materia, ex qua sacramentum Poenitentiae componitur, sunt tres poenitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio: quae partes materiales dicuntur.

tur. Ita ex *Trid. sess. XIV. cap.* 3. & ex decreto *Eugenii IV.* pro Armenis. Contritio, & confessio dicuntur partes essentiales sacramenti, satisfactio actualis sive in re dicitur tantum pars integralis; nam absolutio datur, & sacramentum conficitur ante satisfactionem impletam. Verum satisfactio in voto pars essentialis est, non secus ac ipsa contritio, & confessio. In praesenti solam primam partem, Contritionem videlicet exponendam suscipimus.

§. II.
De Essentia Contritionis.

Prop. I.

Contritio generatim sumta, est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Ita Trid. sess. XIV. cap. 4.

Prob. simul, & explicatur definitio. Dicitur 1. *animi dolor*, seu displicentia & tristitia animi ex Dei offensa orta. Contritio itaque intra animum tota consistit. Quare licet aliquando dolor sensibilis, lacrimae &c. internum animi affectum comitari soleant; ad veram tamen contritionem necessario non requiruntur.

Dicitur 2. *detestatio*, idest odium efficax, & absoluta peccati retractatio. Nota. Dolor, & detestatio, uterque actus odii est: sed dolor est tristitia odio habens malum,

lum, qua praesens; deteſtatio eſt retractatio odio habens malum praeteritum ut admiſſum. Itaque poenitens per dolorem triſtatur de peccato commiſſo, quatenus olim peccaſſe ſit ſaltem malum praeſens, & per deteſtationem retractat peccatum olim commiſſum; ita ut velit illud non commiſiſſe, & efficaciter impediret, ſi poneretur in circumſtantiis, in quibus poſſet illud impedire.

Dicitur 3. *de peccato commiſſo* indefinite; quia ad omnia peccata mortalia, quibus Deus offenſus eſt, Contritio extendi debet.

Dicitur 4. *cum propoſito non peccandi de cetero*, ideſt cum firma & ſincera voluntate non peccandi, & praecavendi futuras culpas. *Poenitentia*, ait *Gregorius M. Homil. 34. in Evang. eſt mala praeterita plangere, & plangenda iterum non committere*. Propoſitum iſtud expreſſum & formale communiter eſſe debet, & non tantum virtuale & implicitum.

Demum Concilium loc. cit. adjicit, *cum voto praeſtandi reliqua ... quae ad rite ſuſcipiendum Poenitentiae ſacramentum requiruntur*, nempe votum confitendi, & ſatisfaciendi. Votum iſtud ſcienter negligi nequit, cum confeſſio, & ſatisfactio jure divino ſint neceſſaria.

Prop.II.

Prop. II.

Contritio, quae requiritur, & sufficit ad delenda peccata in sacramento Poenitentiae, debet esse formalis, interna, supernaturalis, universalis respectu mortalium, efficax, & appretiative summa.

Prob. 1. pars, ut sit *formalis*. A *Tridentino* absolute & simpliciter requiritur tanquam pars essentialis hujus sacramenti ea Contritio, qualis a nobis descripta est in antecedenti prop. Atqui Contritio descripta, est formalis & expressa, non virtualis & implicita; nam simpliciter & absolute asseritur Contritio *dolor animi, ac detestatio de peccatis commissis*. Ergo ad sacramentum Poenitentiae rite suscipiendum Contritio debet esse formalis & expressa, & non sufficit virtualis & implicita.

Hinc 1. satis non est dolor virtualis contentus in amore Dei super omnia, ut quis sacramentum Poenitentiae recipiat; quia non est dolor formalis. 2. Graviter peccaret qui sola venialia confiteretur sine Contritione formali & efficaci saltem de aliquo; quia voluntarie nullum redderet sacramentum defectu materiae essentialis, qualis est defectus formalis Contritionis. 3. Nec satis est dolor putatus, nempe si quis bona fide putat se dolere, cum reipsa non doleat; quia quamvis sic confitendo excusetur a sacrilegio, tamen bona fides supplere nequit defectum essentialem sa-

ſacramenti, qualis eſt carentia verae & formalis Contritionis.

Prob. 2. pars, ut ſit *interna*. Interna dicitur Contritio, quae non in ſolo verborum ſtrepitu, aut lacrimis ſiſtit, ſed quae ex intima voluntate ab omni peccati affectu aliena procedit. Atqui talis a Deo requiritur in poenitente Contritio. Ergo. *Convertimini ad me in toto corde veſtro. Joëlis II.* Vide dicta in antecedenti prop.

Nota. Regulae, quibus colligitur, poenitentem habere veram & internam contritionem, quae cum ſit intimus animi actus, a nobis dignoſci nequit, ſunt peccati fuga, bonorum operum exercitium, juxta illud Chriſti *Matth. VII. A fructibus eorum cognoſcetis eos*.

Prob. 3. pars, ut ſit *ſupernaturalis*. 1. Ratione principii, nempe gratiae, ſine qua nemo poteſt conteri, ut oportet, ut poſt *Arauſicanum* definivit *Trid.* his verbis: *Si quis dixerit ſine praeveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem poenitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit*. 2. Ratione motivi ſupernaturalis; ut timor aeternae poenae, & amittendae beatitudinis, peccati turpitudo quatenus eſt offenſa Dei, & tandem initialis amor divinae bonitatis. Ratio, quia ſi Contritio debet eſſe ſupernaturalis, ejuſdem quoque motivum ſupernaturale ſit neceſſum eſt;

est; nam actiones praecipuae speciem desumunt ex objecto. Merito ergo *Innocentius XI.* hanc propositionem num. 61. indistincte confixit: ***Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.***

Hinc dolor de peccato ob motivum naturale, puta infamiae, aerumnae temporalis, infirmatis, mortis infligendae a judice &c. non est dolor ex *Trid.* disponens ad sacramentum Poenitentiae; quia cum eliciatur ex motivo naturali, est communiter naturalis. Similiter insufficiens est censendus dolor de peccato ob metum earumdem poenarum temporalium hujus vitae, ut inflingendarum a Deo vindice peccati. Nam poena peccato debita, est aeterna. Ergo de malo aeterne a Deo infligendo timere debet poenitens. Verum peccator ex timore mali temporalis solet se excitare ad peccatum detestandum ex motivo supernaturali; ut in Ninivitis mortis timor, & urbis subversio occasio fuit, qua excitati, veram poenitentiam egerunt.

Prob. 4. pars, ut sit *universalis*, ut se extendat ad omnia peccata mortalia admissa, & ob motivum omnibus commune, ut virtualiter includat etiam peccata oblivionis, & ignorantiae. 1. Quia Deus nonnisi veniam promittit peccatori, qui poenitentiam agat de omnibus peccatis suis. *Ezechielis XVIII. Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus*

ratus est, *& custodierit omnia praecepta mea*, *vita vivet*. 2. Justitia disponens ad justificationem valere debet ad remissionem omnium mortalium ; nam unum mortale solvi nequit sine omnibus aliis admissis. Atqui Contritio nequit valere ad remissionem omnium mortalium, nisi virtualiter saltem se extendat ad omnia letalia, etiam ad peccata ignorantiae & oblivionis ex motivo divinae offensae omnibus communi.

Porro Contritio necessario debet esse universalis respectu mortalium ; nam respectu venialium haec conditio necessario non requiritur, sed sufficit, si de uno veniali poenitens efficaciter doleat, etsi multa alia habeat in conscientia ; quia unum veniale potest etiam per absolutionem remitti sine altero.

Prob. 5. pars, ut sit *appretiative summa*. Ubi nota. Contritio potest dici 1. appretiative, 2. intensive, 3. extensive summa. *Appretiative* dicitur, quando peccatum, quatenus est offensa Dei, ad omnia mala anteponitur. *Intensive* dicitur de gradu, & fervore doloris. *Extensive* dicitur relate vel ad multitudinem & diversitatem peccatorum, vel ad durationem temporis. His positis,

Dico, in sacramento Poenitentiae requiri, & sufficere Contritionem appretiative summam.

Prob. 1. Vera contritio efficaciter debet

bet excludere omnem peccati affectum, omnemque peccandi voluntatem. Atqui hoc praestare nequit, nisi sit appretiative summa. Nam poenitens nisi oderit peccatum, & illud detestetur super omne aliud malum, ita ut paratus sit omni bono carere, & quodcunque malum eligere, quam peccare mortaliter; non est sufficienter dispositus. Atqui haec dispositio est de peccato dolere Contritione appretiative summa. Ergo. 2. Deus est summum bonum, ideoque super omnia diligendus. Ergo super omnia nobis displicere debet peccatum, quod est ejus offensa, ejusque amicitiâ ac possessione nos privat.

Ex dictis colliges I. optandam quidem, sed necessariam non esse Contritionem intensive summam, nempe quae summo voluntatis ardore in odium peccati, & amorem Dei fertur. 1. Quia Contritio appretiativa, ex eo quod voluntatem peccandi excludit, ex *Trid.* est dispositio sufficiens ad obtinendam veniam in sacramento. 2. Quia Scriptura in conversione nullam certam graduum intensionem designat; sed simpliciter peccatori sincere ad Deum converso veniam promittit. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Ezechielis I.*

Colliges II. nec etiam necessariam esse Contritionem extensive summam 1. quoad numerum peccatorum; nam aliter essent

ſent tot Contritionis actus ſub ipſum abſolutionis tempus repetendi, quot fuiſſent numero peccata: quod impoſſibile eſſet, praeſertim in peccatoribus conſummatae malitiae, quorum iniquitates numerum capillorum capitis ſupergrediuntur. 2. Quoad diverſitatem peccatorum; nam ſufficit communi ratione omnia deteſtari, ut ſuperius dictum eſt. 3. Quoad moram temporis; nam Deus noſtrae ſalutis cupidiſſimus nullam moram ad tribuendam nobis veniam imponit, ait *Catechiſmus Rom.* Atque id manifeſte probant exempla Davidis piique Latronis, qui ſtatim per contritionem obtinuerunt peccati remiſſionem.

Prob. 6. pars, ut ſit *efficax*, ita ut 1. excludat omnem affectum ad quodvis mortale peccatum: 2. ut contineat propoſitum firmum non peccandi de cetero mortaliter. Nam vera Contritio eſt vera cordis converſio ad Deum. Atqui vera cordis converſio nequit eſſe ſine efficaci odio peccati, & amore juſtitiae efficaci. At ubi occurrit efficax odium peccati, & amor juſtitiae efficax, ibi neceſſario occurrit firma amplius non peccandi voluntas. Ergo. Vide *Trid.* in laud. *Seſſ. XIV.* aperte definientem, *Contritionem, vitae novae propoſitum, & inchoationem continere:* & infra ad Attritionem requirit, *ut voluntatem peccandi excludat*. Quod idem eſt, ac non peccandi propoſitum.

Pro-

Propositum istud non peccandi de cetero, debet esse formale & explicitum, ut docet sanior Theologorum pars; nam *Tridentinum* praeter dolorem peccati expresse requirit propositum non peccandi: quod frustra requireret, si talis esset propositum virtuale in ipsa detestatione inclusum.

Propositum ad Confessionem necessarium debet esse firmum, efficax, & universale. 1. *Firmum* censetur propositum, si tum cum elicitur, absolute & simpliciter poenitens in illo velit perseverare: 2. *efficax* affective, quatenus absolute excludit omnem voluntatem peccandi mortaliter, ita ut poenitens paratus sit omne malum generatim perferre, quam iterum relabi. Hinc non solum proponat evitare peccatum, sed occasiones, & pericula peccandi declinare. Non tamen necesse est, ut sit efficax effective, quasi vi illius fieri debeat, ut poenitens numquam peccatum quod doluit, aliudve perpetret. Alioquin quilibet gravis relapsus insufficientiam doloris, & propositi argueret, quod est falsum. Nota, proposita, quae abstinentiam a peccatis non pariunt, communiter inefficacia esse. *Propositum*, ait *D. Thomas in Psal. XXXVIII. optime manifestatur per operationem.* Sed de hoc infra.. 3. Ut sit *universale*, nempe voluntas abstinendi ab omnibus & singulis peccatis mortalibus, secus de venialibus, ut optime docet *D. Tho-*

Thomas 3. part. q. 87. art. 1. ad 1. Poenitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus, & singulis mortalibus. Sed ad poenitentiam peccatorum venialium requiritur, quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas hujus vitae non patitur. Debet tamen habere propositum se praeparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin esset ei periculum deficiendi, cum deséreret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quae sunt peccata venialia.

Contritio a poenitente elici debet 1. relative ad Confessionem; cum dolor de peccatis sit actio sacramentalis, quae per intentionem poenitentis subjici debet formae sacramentali. 2. Necessario elicienda ante absolutionem, cum sit materia ejusdem proxima, & peccata sine poenitentia non remittuntur. Utrum praecedere debeat etiam Confessionem, disputant Theologi. Pro praxi monent, ut Confessarii, si poenitentes non satis contritos deprehendant, eos inflamment ad Contritionem, & post elicitam Contritionem illos interrogent, an iterum in genere de peccatis antea narratis se accusent. 3. Actus iste Contritionis moraliter perdurare debet, etsi physice sit elapsus, ut poenitens vi illius dicatur absolvi. Pro praxi poenitentes absolutionem recepturi dolorem renovent. 4. Re-

Requiritur nova Contritio, quoties datur nova absolutio; quia nova forma exigit novam materiam. Plures contrarium docent: sed in hoc summo negotio sequimini tutiora.

§. III.
De Necessitate Contritionis.

Nota I. Necessitas duplex; *medii*, & *praecepti*. Prima dicitur ea, per quam medium ita requiritur, ut sine eo, etiam in extrema finis necessitate obtineri nequeat. Altera dicitur illa, per quam medium praecipitur quidem, sed sine eo, saltem in extrema necessitate, finis haberi potest.

Nota II. Contritionis necessitas sive medii, sive praecepti considerari potest relate vel ad peccata mortalia, vel ad peccata venialia, vel ad tempus, quo praeceptum Contritionis urget. Sed quid de hac materia tenendum, sequentibus propositionibus aperiemus.

Prop. I.

Contritio sufficiens ad remissionem mortalium, est necessaria necessitate medii, & praecepti divini.

Prob. 1. pars. Illud dicitur necessarium necessitate medii, sine quo finis haberi nequit. Atqui aeterna salus, quae est hominis finis, ita a Contritione pendet, ut sine ea obtineri nequeat. Ergo. *Nisi poe-*

poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis, *Lucae XIII.* Hinc *Trid. Sess. XIV. cap.* 4. declarat, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum Contritionis motum fuisse necessarium*. Nota. Contritio sufficiens ad remissionem mortalium est perfecta, vel imperfecta cum sacramento, ut mox dicemus.

Ex dictis inferes I. sine Contritione etiam inculpate omissa, impium peccatorum remissionem, & proinde salutem aeternam consequi non posse. II. Requiri ad mortalia Contritionis actum expressum & formalem. Utrum aliquando sufficiat ad justificationem Contritio virtualis, contenta in actu perfectae caritatis, puta in eo, qui non cogitat de peccatis, non expedit hanc discutere quaestionem, sed vide *Juveninium* in *de Sacram.*

Prob. 2. pars. 1. Pluribus Scripturae locis Deus peccatoribus imperat poenitentiam: *Convertimini, & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*, *Ezech. XVIII.* *Agite poenitentiam*, *Actor. II.* Atqui praecepta non dantur de habitibus virtutum, sed de illarum actibus, ut recte docet *D. Thomas*. Ergo ex Scriptura exstat praeceptum speciale divinum eliciendi explicitum Contritionis actum. 2. Impius etiam jure naturali adstringitur ad Contritionem; nam ex lege cujusdam justitiae homo quantum capax est, compensare te-

netur injuriam Deo illatam modo convenienti, & a Deo instituto. Atqui modus conveniens, & a Deo institutus, ut divina offensa resarciatur, est Contritio, nempe actus doloris, & detestationis peccati. Ergo.

Hinc peccator qui elicit actum dilectionis Dei super omnia, tenetur adhuc elicere actum explicitum Contritionis, cujus omissio esset speciale peccatum contra virtutem poenitentiae.

Prop. II.

Homo lapsus jure divino & naturali tenetur ad non differendam saltem notabiliter Contritionem sufficientem ad justificationem post mortale admissum; ita ut notabilis ejus dilatio sit novum peccatum mortale.

Prob. 1. Deus praecipit, & jubet celerem ac sollicitam poenitentiam; transgressoribus aeternam poenam minatur. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictae disperdet te. Ecclesiastici V.* Atqui Domini mandatum, poena aeterna transgressoribus imposita, rigorosum arguunt praeceptum de non differenda poenitentia. Ergo homo lapsus, qui saltem notabiliter Contritionem differt, novo peccato se adstringit. 2. Per notabilem Contritionis dilationem peccator videtur virtualiter contemnere divinam amicitiam, permanendo voluntarie in statu peccati, dum a Deo ut in gratiam redeat, sollicitatur.

3. Pec-

3. Peccaret contra caritatem ſibi debitam, exponendo ſe proximo periculo relabendi. *Nam Peccatum, quod per poenitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit, D. Gregorius M. hom. II. in Ezechiel.* Ergo notabilis dilatio Contritionis eſt peccatum mortale 1. contra virtutem poenitentiae; 2. contra caritatem vetantem quemlibet contemtum divinae amicitiae; 3. contra caritatem ſibi debitam prohibentem, ne quis ſe exponat proximo periculo ſpiritualis ruinae.

Quaenam autem notabilis temporis dilatio cenſeatur, ut ſufficiat ad mortale, valde diſcrepant Theologi. Quidam putant, differre per hebdomadam, alii per menſem: ſed rectius qui docent id morali judicio aeſtimandum eſſe, opportunitate, periculis, tentationibus, & aliis circumſtantiis ſpectatis.

Hinc inferes I. praeceptum Contritionis obligare per ſe & ratione ſui in probabili mortis periculo. Quod certum eſt apud omnes; nam qui tunc Contritionem omitteret, exponeret ſe periculo non amplius poenitendi, & proinde moriendi in peccato: 2. juxta multos ſaepius in vita, non ſecus ac praeceptum caritatis.

Inferes II. obligare per accidens, ideſt non ratione ſui, & per ſe, ſed ratione alterius praecepti, quod urgere ſupponitur, 1. cum quis exſiſtens in mortali, ſacra-

menta vivorum ministrare vel suscipere debet: 2. Quando actus Contritionis necessarius judicatur ad graves tentationes superandas: 3. Quando quis tenetur elicere actum caritatis erga Deum; tunc enim occurrente memoria peccati, tenetur suum peccatum detestari.

Prop. III.

Ad remissionem venialium etiam in justo requiritur aliqua Poenitentia, seu displicentia, ac retractatio vel formalis, vel saltem virtualis.

Prob. 1. pars 1. ex Scriptura, quae nullo posito discrimine peccatorum gravium & levium, ad illorum remissionem postulat Contritionem. 2. Ex *S. Augustino*, qui *ep.* 93. haec docet: *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocunque sive magno, sive parvo peccato ad correctionem sine Poenitentia posse transire.*

Prob. 2. pars. Sat est, ut contritio, & displicentia de venialibus sit virtualis, scilicet quae consistat in supernaturali virtutis alicujus actu, vi cujus homo formaliter detestaretur illud peccatum, si tunc memoriae occurreret. Ita *D. Thomas 3. part. q.* 87. *art.* 2. *in c.* qui docet, *sufficere aliquem motum caritatis ad eorum remissionem.* Cum enim peccata venialia per se non pugnent cum habitu caritatis, sed cum ejus fervore, sufficit ad eorum deletionem per oppositum virtutis actum ea retractare.

re. Si tamen in sacramento Poenitentiae pro materia subjiciuntur, certum est requiri formalem contritionem, ut superius dictum est. Item ad eorum remissionem adhibentur sacramentalia, ut aspersio aquae lustralis &c. dummodo excitentur in nobis actus sufficientes ad eam remissionem.

§. IV.
De Divisione Contritionis,

Nota I. Contritio dividitur in *perfectam*, & *imperfectam*. Perfecta, quae simpliciter *Contritio* dicitur, *est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, ex motivo caritatis perfectae*. Contritio imperfecta, quae & *Attritio* vocitatur, est *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, ex motivo aliquo supernaturali seu per fidem cognito, distincto a motivo caritatis perfectae, ut ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae & poenarum metu. Trid. Sess. XIV. cap.* 4.

Nota II. Contritio perfecta semper justificat, antequam Poenitentiae sacramentum actu recipiatur, licet non sine sacramenti voto. *Trid.* loc. laud. *Etsi Contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, prius quam hoc sacramentum actu suscipia-*

piatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Quid intellexerit Concilium per *Contritionem caritate perfectam*, disputant Theologi. Quidam docent, Concilium intellexisse omnem dolorem, qui ex motivo caritatis Dei super omnia concipitur, licet in gradu remisso. Alii censent, Concilium non intellexisse omnem dolorem, qui ex motivo caritatis Dei super omnia concipitur, sed eum tantum, qui concipitur ex motivo multum intensae ac valde ferventis caritatis. Ita *Catechismus Rom. part. 2. cap. 5. 31. 35. 37.*

Nota III. Contritio imperfecta seu Attritio ex eodem Concilio bona & utilis, quamquam extra sacramentum non justificat; tamen si voluntatem peccandi excludat, ad Dei gratiam impetrandam in sacramento disponit.

Nota IV. Certum est apud omnes, solam Attritionem sufficientem esse ad justitiam per sacramentum acquirendam. Sed gravissima lis inter Theologos agitatur, num Attritio in sacramento sufficiens, necessario includere debeat aliquod initium inchoatae caritatis, seu actum dilectionis Dei super omnia, licet debilem & imperfectum; an vero satis sit, si tantum ex gehennae & poenarum metu, aut peccati turpitudinis consideratione concipiatur. Prima

ma *attritio amoris initialis* solet appellari: altera *attritio servilis* nuncupatur. *Alexander VII.* anno 1667. decreto vetuit, ne alterutram sententiam quisquam censurâ notare auderet. Quid securius in praxi tenendum, subjectis propositionibus dicetur. Sit

Prop. I.

Contritio simpliciter in caritate perfecta ad sacramentum Poenitentiae non est necessaria.

Prob. Illa Contritio necessaria non est in sacramento, quae praeveniret effectum sacramenti ante sacramentum. Atqui. Ergo. Minor probatur ex *Trid.* loc. supra laud. Contritio simpliciter in caritate perfecta semper culpam delet etiam extra sacramentum. Nam Contritio caritate perfecta cum adest, *hominem Deo reconciliat, prius quam sacramentum actu suscipiatur:* non derogat tamen potestati clavium, quia *nihilominus ipsa reconciliatio ipsi Contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda.* Ita omnes, exceptis quibusdam antiquis Scholasticis, & paucis Recentioribus.

Prop. II.

Formidolosa Attritio ex solo gehennae & poenarum metu concepta, licet bona & utilis sit ad justificationem, impar tamen est reconciliando peccatori Deo in sacramento poenitentiae.

Prob. 1. pars. Ex *Trid. sess. XIV.*

cap. 5. Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit. Innumera sunt Scripturae, & Patrum testimonia, quae hanc veritatem confirmant. *Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam*, ait Christus *Matth*. X. Ex Patribus sufficit unus *Augustinus*, qui *Tract. 9. in I. Joan.* ait: *Timor locum praeparat caritati: Timor ideo intrat, ut caritatem introducat: & si nullus est timor, non est qua intrat caritas*.

Prob. 2. pars. Ex *Trid.* vera Attritio quaecunque sit, debet excludere voluntatem peccandi. Atqui timor solus nequit hoc facere. Ergo. Minor probatur ex Patribus. *Aug. lib. de Nat. & Grat. cap.* 54. ait: *Qui timore supplicii, non amore justitiae se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus a voluntate peccandi*. Idem docet *Ambrosius lib. 8. in Lucam: Qui metuit, reprimitur, non emendatur*. Rationem reddit *D. Thomas 1. 2. qu. 6. art. 6. Quae ex metu aguntur, mixta sunt ex voluntario, & involuntario. Id enim quod per metum agitur, in se consideratum, non est voluntarium, sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum, quod timetur*. Confirmat S. Doctor hanc doctrinam exemplo mercatoris,

qui

qui metu naufragii projicit in mare merces propter timorem periculi, & cum quadam repugnantia voluntatis.

Praeterea timor fervilis impedit actum peccati, non tollit affectum peccati. Ergo timore fervili timens non fatis difponitur, non adhuc convertitur. Sufficiens enim difpofitio, & vera converfio cum affectu peccati componi non poteft. Ita *Auguftinus Ep.* 144. *Inaniter putat victorem fe effe peccati, qui poenae timore non peccat; quia etfi foris non impletur negotium cupiditatis, ipfa tamen cupiditas intus eft hoftis.*

Ex dictis inferes 1. timorem directe refpicere poenas a jufto judice ftatutas, quas ut timeamus, Scriptura, & ratio ipfa fuadet: 2. Timorem coërcere impii contumaciam, cui opponitur: 3. Excludere aliquam, fed non omnem voluntatem peccandi; quia non refpicit peccatum abfolute in fe, quatenus eft offenfa Dei: 4. Junctum fidei, & fpei timentem convertere ad confiderandam divinam mifericordiam reverendamque juftitiam. 5. Demum fi aliquid vitii ineft, hoc timentis potius effe, quam timoris. Jure ergo damnata fuit ab *Alexandro VIII.* propofitio afferens: *Attritio, quae ex gehennae & poenarum metu concipitur fine dilectione Poenitentiae Dei propter fe, non eft bonus motus, ac fupernaturalis.*

Prop. III.

Ad Attritionem, ut justificet in sacramento, requiritur aliqua dilectio Dei super omnia, seu aliquod inchoatae caritatis initium.

Prob. I. Dispositiones, quae sunt necessariae ad acquirendam gratiam in sacramento baptismi, potiore jure requiruntur ad eam obtinendam in sacramento Poenitentiae; cum ex *Trid.* Poenitentiae sacramentum dicatur laboriosus baptismus. Atqui in adultis ad gratiam recipiendam in baptismo praeter actus fidei requiritur aliqua dilectio Dei super omnia. Ergo potiore jure ea dilectio ad justificationem in sacramento Poenitentiae requiritur. Minor probatur ex *Trid. Sess. VI. cap. 6.* ubi sic: *Disponuntur ad justitiam, dum excitati a divina gratia . . . . . divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur ... in spem eriguntur, fideliter sibi Deum propter Christum propitium fore; illumque, tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet.*

Nota 1. in hoc *Tridentini* decreto agi de dispositionibus necessariis ad obtinendam gratiam in baptismo; nam dicitur *per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* 2. Concilium nomine *dile-*

dilectionis intelligere amorem caritatis, non concupiscentiae; nam amor concupiscentiae sive spei non consequitur, sed antecedit spem; quia ex eo quod amamus aliquod nobis bonum, movemur ad illud sperandum. 3. Diligere Deum *ut omnis justitiae fontem*, non est diligere amore concupiscentiae, sed est diligere Deum ut auctorem gratiae, & omnium supernaturalium bonorum, quomodo caritas diligit ipsum, etiamsi propter seipsum maxime diligat. *Catech.Rom. par.2. cap.5.* §.9.a quo doctrina *Tridentini* perspicue exponitur.

Prob. II. Peccator non est ad sacramentum satis dispositum, nisi efficax & firmum habeat propositum omnia mandata servandi. Atqui voluntas efficax servandi omnia Dei mandata necessario includit propositum servandi primum ac maximum mandatum, scilicet caritatis. Ergo poenitens ut sit rite dispositus, ad sacramentum debet afferre propositum seu voluntatem efficacem diligendi Deum. Qui enim sincere & efficaciter vult Deum diligere, reipsa eum diligit. Ergo.

Prob. III. Dei dilectio, quae Creatorem creaturae praefert, non actum modo, sed affectum peccati tollit. Atqui requiritur ad hoc sacramentum, ut tollatur affectus peccati. Ergo requiritur ipsa dilectio. Qui vero non adhuc Creatorem creaturae praefert, nondum dignus est hoc sa-

cramento. Ita *Augustinus lib. 2. contra Adversar. Leg. & Proph. Desiderium peccandi non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi: ubi fides per dilectionem operatur, non extinguitur per jubentem literam timore poenae, sed per juvantem spiritum dilectione justitiae.*

Prob. IV. Ubi agitur de valore sacramenti, non licet sequi opinionem probabilem, relicta tutiore. Atqui sententia asserens necessitatem aliqualis dilectionis Dei super omnia, est tutior; & negans non est certa, sed tantum probabilis. Ergo non licet in praxi opinionem negantem sequi. Major propositio constat ex damnata thesi ab *Innocentio XI.* num. 1. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore.*

Prob. Minor quoad primam partem, asserentem opinionem de necessitate aliqualis amoris Dei in Attritione esse tutiorem. Illa opinio est tuta, quam omnes Doctores catholici affirmant esse talem. Atqui omnes Doctores catholici hodie affirmant Attritionem caritate imperfecta formatam sufficere pro dispositione ad sacramentum. Ergo. Minor probatur ex confessione adversariorum. Ipse *Dominicus Viva* in Trutina prop.15. *Alexandri VIII.* num. 35. ait: *Nemo unus est, qui dissentiat, Attritionem ex amore Dei conceptam esse tutiorem.* Prob.

Prob. Minor quoad secundam partem, nempe sententiam negantem non esse certam, sed tantum probabilem. Illa opinio certa & indubitata non est, de qua Rom. Pontifices docent inter Theologos controverti; 2. quam ipsi Doctores hujus sententiae patroni affirmant esse non multum antiquam, dubiam, & incertam; 3. quae ab innumeris doctissimisque Theologis acriter impugnatur. Atqui talis se habet opinio de sufficientia Attritionis servilis. Ergo.

Prob. 1. pars Minoris. Rom. Pontifices, scilicet *Alexander VII.* in suo decreto 1667. *Benedictus XIII.* in appendice ad Concilium Rom. *part.* 3. *Benedictus XIV.* in *de Syn. Dioeces. lib.*7. *cap.* 13. docent litem sub judice pendere. Ergo.

Prob. 2. pars Minoris. *Franciscus Victoria*, qui primus docuit opinionem de servili Attritione sufficere, dummodo a poenitente reputetur contritio; *Melchior Canus*, qui hanc opinionem extendit ad Attritionem sic cognitam; *Bartholomaeus de Medina* probabilismi inventor, & *Ludovicus Lopez* probabilem vocant: *Suarez*, *Comitolus*, *Vasquez*, *Platerius* testantur non esse adeo antiquam, & certam, & indubitatam: *Gonet*, *Sanchez*, & *Dicastillas* defendunt ut probabilem in vita, sed non posse sequi in mortis articulo. Ergo. Nota hîc obiter duplicem Theologiam, unam

unam pro vita, alteram pro morte.

Prob.3. pars Minoris. Centum & plures Theologi ex universo orbe catholico, & insignium Universitatum stant pro necessitate initialis Attritionis, quorum testimonia rescribunt *Carolus Vitasse Tom. V. de Poenit. Joannes Launojus de Contrit.* & *Enricus a S. Ignatio*. Recenseo tamen aliquos celeberrimos, nempe sapientissimos Cardinales *Aguirre dissert. 8. in can. 12.* Concilii *Toletani III. Bonam*, *de Laurea*, Episcopum Meldensem doctissimum *Bossuetium*, qui in suo opusculo *de doctrina Concilii Tridentini* de dilectione docet, *tantam veritatem*, *tam clare*, *tam perspicue a S. Tridentina Synodo declaratam esse*. Perperam ergo minus docti Casuistae docent moraliter certam & indubitatam opinionem, quam Rom. Pontifices, innumeri Theologi, etiam ex adversariis doctiores novam, dubiam, & ad summum probabilem censent. Ergo.

Insuper celeberrimus Casuista *La-Croix lib. 6. part. 2. de Contrit. num.* 774. docet: *Quod si non esset opinio formidolosae Attritionis, practice certa, sed tantum probabilior, aut etiam probabilissima, contineretur damnatione primae propositionis Innocentii XI. Non est illicitum in sacramentis &c.* Atqui ut vidimus, certa non est, & indubitata; nam tuta non est opinio illa, de qua gravis est inter Theologos catho-

licos

licos controversia in utramque partem. Ergo ex principio admisso ab ipso *Croix* videtur opinio isthaec contineri in thesi ab *Innocentio XI.* damnata. Ita laud. Episcopus Meldensis in cit. opusculo *de doctrina Conc. Trid.* circa dilectionem pag. 113. & sequentibus.

Objicies I. Omnis caritas etiam remissa justificat. At caritas justificans non praerequiritur sacramento ex dictis. Ergo.

R. Neg. Majorem. Nam juxta *Augustinum Tract. V. in Joan. Inchoata caritas inchoata justitia est, provecta caritas provecta justitia est, perfecta caritas perfecta justitia est.* Et infra: *Numquid mox ut nascitur caritas, jam prorsus perfecta est? ut perficiatur nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.*

Objicies II. verba *Tridentini Sess. XIV. cap.* 4. Contritio imperfecta, quae Attritio dicitur, *quamvis sine sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiae impetrandam disponit.* Ubi 1. de ea Attritione sermo est, quae vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae & poenarum metu concipitur. 2. De ea dispositione sermo est, quae extra sacramen-

nien-

mentum non perducit ad justificationem; sed in sacramento disponit, ideft perducit.

R. I. Attritionem satis disponere, si juxta Concilium voluntatem peccandi excludat cum spe veniae: at sine dilectione non excludere voluntatem peccandi, jam vidimus.

R. II. Ait quidem Concilium, Attritionem ex gehennae & poenarum metu disponere, non sufficere ad gratiam in sacramento impetrandam. Nam a decreto praeformato, hac caussâ erasum *sufficit*, & substitutum esse *disponit*, narrat Card. *Pallavicinus Hist. lib.* 8. *cap.* 11. *&* 13.

R. II. Errorem Lutheri damnatum, non opinionem Theologorum, juxta *Pallavicinum* loc. cit. Duo docebat Lutherus, 1. timorem esse malum; 2. non posse viam parare ad gratiam. Utrumque profligat Concilium, definiens 1. timorem Dei donum esse; 2. viam parare, & in sacramento disponere ad gratiam justificantem.

Nota I. amorem initialem, & caritatem inchoatam, quam demonstravimus ex *Tridentino*, necessariam ad sacramentum, esse actum verae caritatis, ejusdemque naturae & speciei cum caritate perfecta, idemque specifice objectum spectare; solumque differre ex parte voluntatis, seu ex graduum, & intensionis diversitate. Hinc orta distinctio duplicis Contritionis perfectae & imperfectae in caritate. Contritio *in*

ca-

caritate perfecta dicitur illa, quae talis est secundum speciem, & gradus, justificationemque semper efficit, antequam sacramentum actu recipiatur, non sine tamen sacramenti voto. Contritio *imperfecta in caritate*, quae etiam *initialis attritio* dicitur, est illa quae talis est secundum speciem tantum, & non secundum gradus: quae licet excludat omnem affectum peccandi propter Deum super omnia dilectum, hominemque in Deum tamquam in ultimum finem convertat; quia tamen imperfecta, ordinarie culpae remissionem non efficit, nisi in actuali sacramenti receptione. Dixi, *ordinarie*; nam per ipsam in casu necessitatis, & cum sacramenti voto impium justificari, communis sententia est. Vide *Vitassium Tom. V. de Poenit.*

Nota II. Pro praxi Confessarii maxime considerare debent, qualiter poenitentes admittant ad Confessionem; non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, ut offensam Dei. Docet *Sotus* in *IV.Dist.* 18. *q.* 10. *art.*2. scribens: *Revera eum, qui mihi diceret, non se poenitere propter Deum, absolvere non auderem*. Quomodo vero dignoscenda sit Poenitentia, quae a bona voluntate procedit, ab ea quae ex solo timore concipitur, vide *Habert in Praxi sacram. Poenit. Tract.* 3. *reg.* 1.

SE-

SECTIO II.

De Confessione.

Nota. Confessio sacramentalis, quam Graeci *exhomologesin* appellant, sic definiri potest: *Propriorum peccatorum accusatio facta Sacerdoti, legitimo judici ad eorum remissionem virtute clavium obtinendam*. Dicitur 1. *accusatio*, ut non sit simplex alicujus rei gestae narratio, quae otiosis auditoribus delectandi caussâ exponatur, multo minus ostentatio, dissimulatio, excusatio. 2. Dicitur, *propriorum peccatorum*, ut intelligamus peccata esse accusationis nostrae materiam, non tentationes, & defectus prorsus involuntarios, & peccata nostra, non aliena patefacienda esse; nisi aliena ex omissione vel commissione nostra fiant. 3. *Facta Sacerdoti, legitimo judici*, non cuilibet, sed ex Christi institutione Sacerdoti, qui judicis partes agit in hoc sacramento. 4. *Ad eorum remissionem virtute clavium impetrandam*. Haec ultima verba finem & efficaciam sacramenti produnt, quae est culpae liberatio, & erratorum venia. Brevissime pro more de Confessionis necessitate, materia, conditionibus dicemus.

§. I.

§. I.
De Divino Confessionis Praecepto.

Nota.Sacramentalem Confessionem non esse jure divino praeceptam, sed ecclesiastici instituti, asseruit *Wiclephus* in Concilio *Costantiensi sess. VIII.* damnatus. Idem docuerunt Novatores arbitrantes auricularem Confessionem esse commentum *Innocentii III.* Contra Catholici omnes fide divina credunt esse a Christo institutam, & ex Christi institutione omnibus lapsis post baptismum necessariam, ut constat ex *Trident. Sess. XIV. cap.* 5. Sit

Prop. unica.

Exstat jure divino praeceptum confitendi omnia & singula peccata mortalia post baptismum commissa.

Prob. 1. Christus Apostolos alloquens *Matth. XVIII.* ait: *Amen dico vobis: quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Caelo; & quaecunque solveritis super terram, erunt soluta & in Caelo.* Rursus *Joannis XX. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* His positis, sic arguitur. Christus Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus judiciariam tribuit potestatem; nam ex peccatoribus alii sunt ligandi, idest non absolvendi, alii sunt absolvendi. Atqui judiciaria potestas rite ex-

exerceri non poteſt, niſi judex crimina agnoſcat per Confeſſionem. Ergo ex Chriſti inſtitutione neceſſaria eſt Confeſſio ſacramentalis omnium peccatorum mortalium. Inſuper Chriſtus Apoſtolis contulit poteſtatem non modo ſolvendi, ſed abſolute & efficaciter ligandi. Atqui inanis eſſet haec poteſtas ligandi, niſi Rei ex ejusdem Chriſti ſacramentum inſtituentis praecepto adigerentur ſiſtere coram Sacerdote judice. Ergo in ipſa ſacramenti inſtitutione includitur praeceptum divinum confitendi. 2. Probatur ex perpetua Eccleſiae traditione, cujus luculentiſſima teſtimonia videri poſſunt apud polemicos Theologos, praeſertim *Vitaſſe*, & alios. 3. Ex Concilio *Trid. Seſſ. XIV. cap.* 5. *Univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt baptismum lapſis jure divino neceſſariam exſiſtere.* Porro Confeſſio ſacramentalis eſt neceſſaria neceſſitate medii in re, vel in voto, quatenus eſt pars ſacramenti tam neceſſarii.

Q. I. *Quoſnam divinum Confeſſionis praeceptum obliget?*

R. Omnes adultos, qui poſt baptiſmum in peccatum mortale lapſi ſunt.

Q. II. *Quo tempore obliget hoc divinum Confeſſionis mandatum?*

R. Ex communi obligare 1. in quovis probabili mortis periculo, ut gravi mor-

morbo, difficili partu, periculosa navigatione, instante cum hostibus conflictu, & in omnibus circumstantiis, in quibus mors sequutura probabiliter timetur; cum potissimum hoc tempore quisque teneatur saluti suae consulere. 2. Saepius in vita extra mortis periculum; quia praecepta affirmativa non modo obligant in extrema necessitate, verum etiam cum prudenter judicatur necessaria illorum observantia. 3. Qui in extremo vitae nihil sibi conscius esset, adhuc teneretur confiteri; tum ratione scandali, quod manare inde posset; tum ad evitandum praesumtionis periculum.

Obligat vero per accidens, seu ratione alterius praecepti, 1. quoties Eucharistia sumenda est: quod certum est ex *Trid.* juxta dicta in *Tract. de Euch.* 2. quando judicatur remedium necessarium ad tentationem aliquam superandam, vel ad peccata praecavenda. Utrum vero, quando aliqua sacramenta praeter Eucharistiam administramus, vel percipimus, sacramentalis Confessio praemittenda sit, negant passim Casuistae: affirmat *Catechismus Rom. part.* 2. *cap.* 5. §. 45. quem pauci sequuntur. Vide dicta in *de Sacram. in gen.*

Q. III. *Num obliget hoc divinum Confessionis praeceptum statim ac peccatum commissum est?*

R. Affirmant multi cum *D.Bonaventura*

tura in *IV. Dist.* 17. *q.* 2. data videlicet prima opportunitate, quae major ex prudenti judicio exspectari nequit. Affirmativum enim praeceptum Confessionis videtur determinatum ex prudenti judicio ad tempus, quo opportune impleri potest, & major opportunitas exspectari nequit. Confer huc dicta superius de tempore, quo obligat praeceptum Contritionis.

§. II.
De Ecclesiastico Confessionis Praecepto.

Prop. unica.

Datur Ecclesiasticum praeceptum per se obligans omnes fideles ad integram peccatorum Confessionem singulis annis faciendam.

Prob. Ex Concilio *Lateranensi IV.* celebrato sub *Innocentio III. an.* 1250. ubi *cap.* 21. sic legitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti . . . Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiae, & moriens christiana careat sepultura.* Hoc *Lateranensis* statutum confirmat *Trid. Sess. XIV. Can.* 8. Ergo.

In hoc autem *Lateranensis* Canone haec sunt notanda, 1. Ecclesiae praeceptum determinationem esse praecepti divini; Ecclesia enim jubet fideles singulis annis semel implere praeceptum, quo Deus im-

imperat peccatorum Confeſſionem. 2. Omnes adultos baptizatos, etiam pueros, cum primum illis affulget rationis lumen, ad hoc praeceptum teneri. 3. Obligare per ſe, non vero per accidens, ratione ſcilicet Euchariſtiae percipiendae, ut putarunt quidam apud *Suareſium tom. IV. in 3. part. diſp. 1. num. 3.* & quidem ſub gravi; ut patet tum ex gravitate materiae, tum ex poena adjuncta. 5. Annuam Confeſſionem non cuilibet Sacerdoti, ſed proprio, ſcilicet Parocho faciendam eſſe, quod communiſſime interpretantur, ſalvo jure Epiſcoporum, & proinde Sacerdotum ab Epiſcopis delegatorum. 5. Huic praecepto non ſatisfieri per Confeſſionem, in qua abſolutio Sacerdotis non obtinetur, ſive id ex ejus malitia, ſive oſcitantia contingat; quoniam dum Eccleſia Confeſſionem praecipit, ſuſceptionem jubet ſacramenti, quod utique ſine abſolutione non conficitur: Poenitens vero qui bona fide in tali caſu operaretur, tum a culpa, tum a poenis immunis erit; ſed detecta fraude ad implendum praeceptum adhuc remaneret adſtrictus. Item fideles, qui invalide confitentur, non ſatisfaciunt praecepto Eccleſiae; quia Eccleſia non aliam praecipit Confeſſionem, quam Chriſtus. At Chriſtus validam & doloroſam confeſſionem jubet. Ergo &c. Hinc proſcripta theſis *ab Alexandro VII.* num. 14. *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam,*
ſa-

satisfacit praecepto Ecclesiae. 6. Anni initium, & finem pro observantia istius praecepti quidam docuere computandum esse ab una Confessione ad aliam; alii melius ab initio Januarii ad finem Decembris: sed communissime computant hunc annum a Pascha ad Pascha. Hîc notandum cum communi, terminum huic praecepto appositum esse ad sollicitandam, non ad finiendam obligationem. Hinc tam qui ineunte anno praevidet, se a Confessione impeditum iri, tenetur anticipare; quam qui per integrum annum confessus non fuit, tenetur, cum primum commode possit, confiteri.

Jam vero plures occurrere possunt caussae, quae aliquos fideles excusent ab exsecutione hujus praecepti: & 1. quidem excusat impotentia physica, quando scilicet Confessarius, omni adhibitâ diligentiâ, haberi nequit. 2. Incommodum grave, quod ab extrinseco, & praeter institutionem sacramenti prudenter timetur: ut si juste verearis, ne unus qui praesto est Sacerdos, peccatum tuum revelet, tunc poenitenti licebit dimidiare Confessionem, ut suo loco dicetur, reticendo ea, quorum manifestatio periculo revelationis obnoxia esset: sed non te excusat ab observantia hujus praecepti detrimentum famae, vel honoris, quod subires apud Confessarium audientem crimina, in quae praeter opinionem quam

quam de te conceperat, lapsus es.

An gravi impedimento laborare dicatur, qui, nisi per interpretem, confiteri nequit. Communiter docent, excusari ab ecclesiastico praecepto Confessionis eum, qui nonnisi per interpretem confiteri potest; quia praeceptum Ecclesiae non obligat cum tanto rigore. At difficultas non levis est, an quis teneatur confiteri per interpretem, ut satisfaciat divino Confessionis praecepto extra mortis articulum, & in articulo mortis. 1. Negant multi, aliquem obligari per interpretem ad Confessionem: affirmat *D. Thomas in Suppl. q. 9. art. 3. ad 2.* ubi de praesenti casu absolute dicit: *Quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri*. *D.Thomae* doctrina a multis admittitur in casu, quo aliquis diu confiteri minime possit, & in mortis articulo. Tunc enim quis saltem ex caritate sibi debita tenetur media tutiora adhibere ad salutem consequendam.

Porro annuae Confessionis poena transgressoribus imposita de jure communi est interdictum ferendae sententiae; nam in laud. *cap.* Omnis utriusque sexus, solum praescribitur, ut transgressores *arceantur ab ingressu Ecclesiae, & priventur ecclesiastica sepultura*. At in nostra Dioecesi est latae sententiae. Hîc autem quaeritur, an qui nullum perpetravit mortale peccatum, ex hoc

praecepto teneatur semel in anno confiteri venialia . Multi negant ; quia praeceptum annuae Confessionis est determinatio juris divini , quod obligat tantum ad Confessionem mortalium . Ergo &c. Sed *sufficit ad praeceptum Ecclesiae implendum , ut se Sacerdoti repraesentet , & se ostendat absque conscientia mortalis esse , & hoc ei pro Confessione reputatur* . Ita *D.Thomas in IV. Dist.* 17. *q.* 7. *art.* 1.

Demum ex *cap.* Cum infirmitas, *de Poenit. & Remiss.* & ex Bulla *Pii V. Super gregem* prohibetur medicis visitare infirmos post tertiam diem , nisi confiteantur. Insuper additur in Bulla *Pii* , ut exigatur ante Doctoratus gradum a medicis juramentum hanc servandi consuetudinem : quod intelligendum , 1. quando probabile mortis periculum adsit ; 2. quando medici desertio nullum aegroto grave damnum afferat; aliter esset contra caritatem , deserere proximum in urgenti necessitate , licet corporali . Ita *D. Antoninus* in laud. cap. *Cum infirmitas* ; quam interpretationem passim sequuntur Theologi in explicatione Bullae *Pii V.* vel saltem dicendum cum aliis Bullam *Pii* non esse receptam cum tanto rigore . Hinc medicus , qui contra *Pii* Constitutionem in sensu explicato aegrotum de Confessione non monuerit , vel monitum, sed renueatem confiteri non deseruerit , peccabit contra caritatem , & Religionem jura-

juramenti praeſtiti in gradu Doctoratus: & demum in Neapolitana Dioeceſi incidet in caſum reſervatum ſine excommunicatione.

§. III.
De Conditionibus Confeſſionis.

Nota. Sacerdotalis Confeſſionis conditiones, & qualitates plures numerantur a Theologis, quarum brevitatis cauſsâ duas tantum hîc expendimus, nempe fidelitatem, & integritatem. *Fidelis* dicitur Confeſſio, in qua exprimitur verum: *Integra*, in qua exprimitur totum.

§. IV.
De Veritate Confeſſionis.

Nota. Confeſſio *vera* eſt illa, in qua abſque fuco, mendacio, & artificio conſcientia detegitur. Hinc quaeritur, utrum mentiri in Confeſſione ſit peccatum mortale. Pro cujus intelligentia nota: Mendacium vel eſt de re, quae nullo modo ad Confeſſionem attinet, & tunc peccatum erit aut veniale, aut mortale juxta materiae gravitatem. Vel mendacium eſt de re, quae ad Confeſſionem pertinet: quod pluribus contigere modis poteſt, 1. negando venialia, quae patravit; 2. negando commiſſionem peccati mortalis, quod licet patratum ſit, tamen poenitens hîc &

nunc confiteri non tenetur; 3. confitendo aliquod veniale quod non fecit; 4. confitendo mortale quod non commisit; 5. negando aliquod mortale, quod fecit, & tenetur confiteri.

Prop. unica.

Mendacium in Confessione commissum, si sit de materia necessaria, est grave sacrilegium; si vero de materia libera, est solum veniale.

Prob. 1. pars. Qui mentitur in necessaria Confessionis materia, decipit judicem in re gravi spectante ad substantiam judicii sacramentalis. Ergo grave sacrilegium committit.

Hinc resolves graviter peccare, qui negat in Confessione 1. se commisisse mortale, quod fecit, & tunc confiteri tenetur; 2. peccati circumstantiam necessariam. 3. Qui negat aliquod grave, quod interrogatus a Confessario tenetur aperire, ut de peccandi consuetudine, praesenti dispositione &c. 4. Qui contra conscientiam confitetur mortale, quod non fecit. 5. Qui in Confessione generali falso asserit, se jam peccata aliqua mortalia confessum fuisse; quia notabiliter immutat judicium Confessarii in materia gravi. Hinc Confessarius ita deceptus nequit poenas pro peccatis prudenter statuere, opportuna remedia praescribere, absolutionem retinere, vel impertiri &c.

Prob. 2. pars. Sine materia libera potest

potest stare judicium Confessarii circa substantialia, & valorem Sacramenti. Ergo qui Confessarium in ea decipit, non videtur graviter peccare, licet committat aliquam venialem irreverentiam contra sacramentum.

Hinc resolves venialiter peccare, qui falso affirmat aliquod veniale, vel interrogatus negat mortale, antehac rite confessum; modo non faciat ad Confessionem praesentem, ut de consuetudine peccandi: quia in his non decipitur graviter judex in ordine ad debitum judicium, cum materia non sit necessaria.

§. V.
De Integritate Confessionis.

Nota I. Poenitens tenetur diligens examen Confessioni praemittere, idque constat ex *Trid. Sess. XIV. cap.* 5. dicente, Confessionem praecipi omnium mortalium, *quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet;* eâque diligentiâ instituendum, quam in rebus gravissimis ponere solemus, ait *Catech. Rom.* spectata propria capacitate, temporis mora, ab ultima valida Confessione transacta, & ceteris circumstantiis. Hinc 1. qui *nimis remisse conscientiam suam scrutatus est, peccata sua ne recordari quidem voluisse, merito videri potest*, ait *Catech. Rom. part.* 2. *num.*

 66.

66. cum finem nolle censeatur, qui media necessaria ad finem non vult. 2. Qui ex gravi negligentia grave aliquod omisit, mortaliter peccaret, eique iteranda esset Confessio. Quin Confessarius, quos ad se prorsus imparatos accedere animadvertit, humanissimis verbis a se dimittere debet, ut monet *Catech.* laud. *part.* 2. *num.* 82. donec idoneam conscientiae indagandae operam adhibuerint; eo quod impossibile fere sit, ut aliquis repente rogatus, omnia recordetur; nisi conjicere liceat poenitentem per interrogata, & industriam Confessarii dispositum iri: quod fere semper agendum erit cum rudibus, a quibus nisi ut parvuli interrogentur, vix quidquam deprehendetur.

Nota II. Integritas Confessionis duplex, *materialis*, & *formalis*. Illa est adaequata omnium quae quis commisit, peccatorum manifestatio, quin vel unius oblivio concontingat. Haec est accusatio eorum duntaxat mortalium, quae hîc & nunc post diligens examen memoriae occurrunt, & poenitens potest, & debet declarare in iis circumstantiis, in quibus versatur. Videndum nunc, quaenam ex his sit necessaria, & quomodo.

Prop. I.

Ad legitimam Confessionem Integritas formalis necessaria est, non vero materialis.

Prob. 1. pars. Integritas formalis est accu-

accusatio eorum duntaxat mortalium, quae &c. Atqui haec Integritas necessaria est ad valorem sacramenti. Ergo. Prob. Minor ex *Trid. Sess. XIV. cap.* 5. *Oportet a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima decalogi praecepta commissa.... Si enim erubescat aegrotus vulnus medico detegere quod ignorat, medicina non curat.*

Prob. 2. pars. Integritas materialis saepe physice, vel moraliter impossibilis est. At ex *Trid.* laud. *Sess. XIV.* ibid. *Impium est, Confessionem quae hac ratione praecipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare.* Ergo.

Prop. II.

Ut Confessio sit formaliter integra, debent exprimi distincte omnia & singula mortalia quoad numerum, species, & circumstantias peccati speciem moraliter & mortaliter mutantes.

Prob. Ita affirmant omnes, & est veritas de fide, ut a *Trid. Sess. XIV. can.* 7. definitum est his verbis: *Si quis dixerit, in sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta... & circumstantias, quae peccati speciem*

mutant ... anathema sit. Insuper Sacerdos in hoc sacramento judicis, & medici partes agit. Ergo ut opportuna remedia praescribat, & convenientem satisfactionem imponat, peccatorum numerum, & eorum species, & circumstantias species mutantes distincte intelligat necesse est. Et sane non eâdem poenâ afficitur ille, qui semel in aliquod flagitium lapsus est, quam qui pluries illud perpetravit. Item non idem judicium fertur de eo, qui hominem profanum occidit, quam qui sacris initiatum interimit.

Nota. *Circumstantia* id appellatur, quod accidentaliter circumstat actum humanum. Circumstantia alia *physica*, ut si quis hominem occidat gladio vel sclopo &c. alia *moralis*, quae ad bonitatem vel malitiam actus humani conducit. Circumstantiae morales, aliae mutant speciem, seu actui addunt novam malitiae speciem: ut si quis occidat Clericum, circumstantia personae addit injustitiae peccato malitiam sacrilegii ob oppositionem cum virtute Religionis. Huc etiam pertinent Circumstantiae, quae afficiunt peccatum mortale, quod alioquin esset veniale: ut circumstantia Patris in contumelia, quae in alium illata, levis culpa censeretur. Item quantitas materiae; nam mortale, & veniale sunt diversae speciei theologicae, etiamsi sint ejusdem speciei moralis; ut grave, & leve furtum. Aliae non mutant spe-

ſpeciem, ſed intra eamdem ſpeciem malitiam peccati notabiliter aggravant, vel minuunt: ut major vel minor quantitas moralis, puta furoris, aut unum aureum, aut centum, aut mille, peccatum eſt intra eamdem ſpeciem furti. At furtum mille aureorum eſt notabiliter gravius, quam furtum unius aurei. Idem dicendum de duratione, intenſione &c. Aliae demum multiplicant peccatum intra eamdem ſpeciem, ut numerus perſonarum, quas laeſeris &c. Porro Circumſtantia mutat ſpeciem, cum propter illam actus opponitur virtutibus ſpecie diverſis, vel eidem virtuti modo notabiliter diverſo.

Jam vero ſeptem numerantur circumſtantiae, quae hoc verſiculo continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Ex dictis colliges I. poenitentem non teneri in Confeſſione aperire 1. circumſtantias, quae phyſice tantum variant ſtatum peccati: ut ſi hominem occideris dextra vel ſiniſtra manu, gladio vel ſclopo, niſi forte eum duriore morte confeceris. Nam Circumſtantia phyſica moraliter non mutat ſpeciem peccati: 2. Circumſtantias, quae venialiter tantum malitiae gradum addunt; nam hae circumſtantiae poſſunt reticeri, ſicut & cetera venialia.

Colliges II. teneri poenitentem dicere numerum peccatorum, ideſt certum:

qui si deprehendi nequeat , dicat probabilem , addendo plus minus circiter . Quod si poenitens, qui clausula plus minus usus est , postea certum deprehendat numerum, non tenetur, facta semel Confessione, certum expresse confiteri , dummodo excessus non sit notabilis . E. G. Qui confessus est, peccasse decies plus minus , si postea deprehendat , se duodecies id fecisse, non tenetur numerum hunc excedentem confiteri : secus, si excessus esset notabilis ; puta , dixisti decies plus minus , & postea deprehendis quindecies , aut sexdecies . Quod si nec probabilis numerus haberi possit , meliore quo potest modo poenitens exponat statum suum non explicato numero , sed exprimendo tempus , quo versatus est in peccato ; & peccandi frequentiam , & species diversas , unde Confessarius non sit minus anxius in exquirendo certum numerum peccatorum a poenitente consuetudinario, quia fere semper a talibus certus numerus deprehendi nequit , praesertim actuum internorum , cum sint in continuo statu peccandi : sed sufficit si diligenter statum conscientiae exquirat , poenitentem interrogando de lapsibus plus minusve in die, vel hebdomada, vel mense. Insistat ergo potissimum Confessarius in emolliendo poenitentis corde, eoque in amorem Dei , odiumque contra peccatum inflammando, ut sapienter advertit hîc P. *Concina* . Prop.

Prop. III.

Circumſtantiae notabiliter aggravantes peccati malitiam intra eamdem ſpeciem, neceſſario aperiendae ſunt, ut integra ſit Confeſſio.

Prob. ex *Trid. Seſs. XIV. cap.* 5. ubi definitum fuit, omnia peccata & quantum ad ſpeciem, & quantum ad numerum manifeſtanda eſſe Sacerdoti, ut poſſit ceu judex, de gravitate criminum recte cenſere, & pro illis poenam quam oportet, poenitentibus imponere. Atqui eadem ratio urget pro circumſtantiis notabiliter aggravantibus. Ergo. Nam ſaepe addunt malitiam mortalem numericam longe graviorem malitia mutante ſpeciem. Et ſane furtum mille aureorum in loco profano graviorem prodit malitiam furto unius aurei in loco ſacro patrato. Hanc neceſſitatem manifeſtandi circumſtantias notabiliter aggravantes inter eadem ſpeciem perſpicue declaravit *Catechiſmus Rom.* Concilii Tridentini fideliſſimus Interpres *part.* 5. *num.* 63. Hanc opinionem amplexus eſt *S. Carolus Borrhomaeus in Iſtruct.Confeſsar.* Hanc docet *Rituale Rom.* a *Paulo V.* approbatum. Quae documenta manifeſte indicant quae fuerit in hac quaeſtione mens Patrum *Tridentini* Concilii, & quid in praxi tenendum. Qui Patres ſi non aperte, ſaltem implicite docuerunt, has circumſtantias in Confeſſione aperiri debere. Adde

P 6 quod

quod aliquando reservatur casus circumstantiâ affectus notabiliter aggravante: quae reservatio nulla esset, si talis circumstantia materia necessaria Confessionis non esset.

Ex dictis colliges I. in incestu exprimendam esse qualitatem, & gradum, an fuerit cum affine, vel consanguinea, & in quo gradu. II. In adulterio, an duplex fuerit, quia utraque pars conjugata esset. III. In impudicitia, an fornicator sacris initiatus, sit etiam solemni castitatis voto adstrictus, an Subdiaconus, an Sacerdos, qui castitatem violaverit. Idem dic de persona, quae licet votum castitatis non habeat; peccat tamen cum persona votum castitatis habente. IV. Qui uno ictu decem occidit homines, non sufficit dicere, semel *homicidavi*, ut loquuntur benigniores Theologi, sed numerum occisorum exprimere tenetur. Idem dic de eo, qui uno pravo consilio plures induxit ad furandum, ad blasphemandum &c. Idem de eo, qui uno sermone pluribus detraxit &c. V. Non sufficit dicere: semel habui animum non jejunandi, qui statuit toto anno non jejunare. VI. Aperienda est consuetudo peccandi mortaliter, ut Confessarius statum poenitentis agnoscat. Hinc damnata thesis ab *Innocentio XI. Non tenemur Confessario interroganti confiteri peccati alicujus consuetudinem*. VII. Exprimendus est actus externus, & effectus peccati.

Nota

Nota. In peccato possunt considerari & actus internus, & actus externus, & effectus actum externum consequens: Puta voluntas comburendi domum, completur per ignis applicationem: combustio domus dicitur effectus peccati. His positis, dico I. cum communi sensu Doctorum, & ex praxi fidelium, actum externum in Confessione exprimendum esse; 1. quia actus externus facit moraliter cum actu interno unum actum completum, & unum peccatum totale. 2. Sine manifestatione actus externi, non satis declaratur intensio, extensio, efficacia, & duratio actus interni, nec proinde tota ejus gravitas innotescit. Hinc proscripta thesis ab *Alexandro VII. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit praecepto Confessionis, dicens*: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, *non exprimendo copulam*. Dico II. effectum malum, qui ex actu externo sequutus est, exprimendum, 1. quia effectus utpote voluntarius in caussa libera, in qua fuit praevisus, vel praevideri potuit, quodammodo ad objectum peccati pertinet. 2. Sequuto effectu, incurruntur aliquando censurae, irregularitates, obligatio restituendi. &c. Unde non sufficit dicere: porrexi proximo venenum, intendens ejus mortem, & tacendo an mors sit sequuta.

De obligatione confitendi peccata dubia, vide superius dicta de materia remota

ta hujus ſacramenti. Unum addo, an qui confeſſus eſt peccatum mortale ut dubium, illud ſubinde ut certum confiteri debeat, ſi certum deprehenderit. Reſpondetur affirmative; 1. quia ſententia negativa expuncta fuit a ſacra Indicis Congregatione ab operibus *Pellizarii*. 2. Quia jure divino tenemur confiteri peccatum, prout eſt in conſcientia. Atqui hîc & nunc eſt certum in conſcientia, quod ut tale non adhuc manifeſtatum fuit. Ergo.

§. VI.
De Cauſſis ab Integritate Confeſſionis excuſantibus.

Variae ſunt cauſſae excuſantes ab integritate materiali Confeſſionis, quae generatim ad duas reducuntur, nempe ad *Impotentiam phyſicam*, & *moralem*; nam aliter ſacramentum a Chriſto inſtitutum in remedium fidelium lapſorum foret illis impoſſibile ob damnum aliquod Confeſſioni extrinſecum.

Hinc ratione phyſicae impotentiae excuſantur 1. qui hîc & nunc laborant oblivione inculpabili, vel ignorantia invincibili. 2. Muti, qui per geſtus & ſigna declarare peccata ſua nequeunt, ſurdi, balbi, vel ignari idiomatis Confeſſarii, qui omnia adamuſſim confiteri non poſſunt. His enim cum id quod poſſunt confeſſi fuerint, imper-

impertienda est absolutio, non in mortis periculo tantum, sed etiam quando praeceptum Confessionis obligat, ait *Sylvius*. 3. Qui inter confitendum in deliquium incidit, si differri absolutio nequeat. 4. Qui imminente naufragio, incendio, praelio destituuntur tempore integre confitendi. 5. Quoties est periculum in mora. Tunc enim explicari aliquod, vel plura peccata debent, aut pauciora, prout tempus, & circumstantiae permiserint, & absolutio impertiri. Si plures sint poenitentes, ut milites periculoso & inopinato conflictu impediti; debent singuli aliquod signum praeferre doloris, & Confessarius omnes simul absolvere potest, dicendo: Ego vos absolvo ab omnibus censuris, & peccatis.

Ratione moralis impotentiae liber est ab integritate Confessionis 1. Sacerdos, qui absque fractione sigilli peccatum suum confiteri nequit. 2. Infirmus morbo valde contagioso infectus, cujus Confessio nec a longe potest audiri, nec prope sine periculo mortis Confessarii; tunc enim audito uno aut altero peccato absolvi potest. 3. Aegrotus, cujus vires periclitarentur in exacta peccatorum declaratione. 4. Quando poenitens quicunque prudenter timet sibi, vel Confessario, vel alii tertio grave damnum Confessioni extrinsecum spirituale, vel temporale manifestatione hujus vel illius peccati. Nam ex praecepto caritatis, quod forti-

fortius obligat praecepto integrae Confessionis, tenemur averti grave damnum sive a nobis, sive a proximo. Hinc si prudenter timeas, ne Confessarius, qui solus haberi potest, frangat sigillum, vel ex tua Confessione occasionem sumat peccandi, vel graviter nocendi proximo, non teneris ei tale peccatum aperire.

Nota hîc cum doctissimo *Colet*, quatuor requiri conditiones, ut peccatum aliquod reticeri possit. 1. Ut grave sit malum, quod timetur, & non fictitiâ, sed certâ moraliter de caussâ timeatur. 2. Ut desit Confessarius alter, cui rem totam secure aperire valeas. 3. Ut Confessio in aliud tempus commode differri nequeat; puta quia Communio sine gravi scandalo hac die omitti nequeat, vel quis mortali gravatus multo tempore a Confessione, & Eucharistia abstinere deberet. 4. Solum reticeri debet peccatum illud, cujus Confessio periculum habet. Unde qui justam habet exterioris peccati celandi caussam, actum interiorem, si tuto possit, aperire tenetur. Nec praetereundum quod hîc prudenter etiam advertit idem *Colet*, ei qui peccatum aliquod justa de caussa tacere potest, cavendum, ne ad Confessionem, ac multo minus ad Eucharistiam accedat, si jure dubitet, an non ei peccato adhaereat. Unde dimidiatae Confessionis doctrina nunquam iis prodesse potest, qui in habitu

bitu peccati verſantur, & raro iis, qui nec dum a proxima ejus occaſione, quantum ſatis eſt, receſſerunt. Porro ſemper remanet obligatio confitendi peccata omiſſa ſublato impedimento. Vide dicta ſuperius §. 1. prop. I. in corollario.

Q. I. *An magna Poenitentium frequentia ratione alicujus ſolemnitatis excuſet ab integritate Confeſſionis?*

R. Non excuſare; quia tunc non adeſt ſufficiens neceſſitas dimidiandae Confeſſionis, & maximi inde abuſus, ac magna incommoda orirentur. Hinc *Innocentius XI.* damnavit hanc propoſitionem num. 59. *Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate confeſſos ratione magni concurſus poenitentium; qualis V. G. poteſt contingere in die alicujus magnae feſtivitatis, aut indulgentiae.*

Q. II. *An neceſſaria complicis apud Confeſſarium infamia excuſet ab integritate Confeſſionis?*

R. 1. Non excuſare. Ita *D. Thomas*, qui *Opuſ.* 12. *q.* 6. haec habet: *Si poenitens ſpeciem peccati exprimere non poſſit, niſi exprimendo perſonam, cum qua peccavit, puta ſi cum ſorore concubuit, neceſſe eſt, ut exprimat perſonam. Sed ſi fieri poteſt, debet quaerere talem Confeſſorem, qui perſonam penitus non cognoſcat.* Idem docent *S. Bonaventura*, *S. Antoninus*, aliique graviores Theologi. 2. De jure divino

vino poenitens tenetur ad integritatem Confessionis, manifestando species, & numerum peccatorum. Ergo ad eam servandam, quando aliter fieri nequit, tenetur aperire peccatum suum, non obstante infamia propria vel aliena, quae ex necessaria Confessione sequitur apud eundem Confessarium. Adde, quod Christianus peccati socius eo ipso, quod consentit in peccatum, subjicit se huic legi Confessionis, hujus peccati manifestationem praecipientis. Quod si criminis socius aliquid famae in opinione Sacerdotis amittat, sibi imputare debet, qui in peccatum consentiendo consentit in ejusdem famae maculam.

Dixi, *infamia necessaria*; nam semper custodienda, quoad potest, fama proximi. Unde qui sine incommodo potest, obligatur ad quaerendum, & adeundum alium Confessarium, cui ignotus sit complex. Verum graves quidam Theologi sentiunt, consilium hoc esse, non vero praeceptum. Vide marginales notulas ad moralem Theologiam *Gabrielis Antoine* Neapoli editam anno 1752. & 1755. ubi fuse haec quaestio pertractatur, nec non explicantur Constitutiones *Benedicti XIV.* ad hanc materiam pertinentes.

Porro non modo criminis socius, sed etiam persona, quae est objectum criminis, in Confessione declaranda est, quando sine hac declaratione Confessio integra non esset

esset. E.G. Frater sorori venenum propinavit ad foetum necandum ex crimine conceptum, debet tunc propinator veneni personae circumstantiam aperire, ut integra sit Confessio.

§. VII.
De Confessione moribundi sensibus destituti.

Prop. I.

Debet absolvi moribundus, qui, absente Confessario, petiit Confessionem, etiamsi adveniente Confessario, ob amissam loquelam nullum signum exhibeat.

Prob. ex Concilio *Carthaginensi IV. cap.* 7. cujus verba integre retulimus in *Tract. de Euchar.* & ex *Arausicano I. can.* 12. Idem probatur ex *Rituali Rom. Pauli V.* jussu edito, ubi de impertienda moribundis absolutione haec habentur: *Si inter confitendum, vel etiam ante quam incipiat confiteri, vox & loquela aegroto deficiant, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad poterit, peccata poenitentis cognoscere: quibus utcunque in genere vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium vel per se vel per alium ostenderit, absolvendus est.*

Prop. II.

Potest absolvi moribundus, qui licet non petat Confessionem, amissa loquela; dat tamen signa doloris, vel desiderii absolutionis,

nis, puta si pectus tundat, vel manum Confessarii stringat.

Prob. Ex allatis documentis in antecedendi prop. hanc nostram sententiam contra aliquos Recentiores in praxi adhibendam esse clare evincitur. Nam per haec signa habetur sufficiens Confessio sensibilis, & externa accusatio, quae in extrema necessitate sufficit ex voluntate Christi hoc sacramentum summe necessarium instituentis, praesertim in mortis articulo.

Prop. III.

*Moribundus sensibus repente destitutus, qui Confessionem non petiit, nec speciale signum poenitentiae dedit, si tamen pie & christiane vixit, absolvi potest saltem sub conditione. Ita contra multos non pauci, ut Merbesius, Genettus, Juveninius, Morinus lib. X. de Poenit. cap.*10. *Enricus a S. Ignatio, aliique.*

Prob. I. Ex *Sacerdotali Rom.* Venetiis edito ann. 1560. in quo pag. 60. haec leguntur, quasi ex summa *S. Antonini* depromta: *Infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis ... si bene vivebat ... quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt ... debet praesupponi contritus ... & Sacerdos faciat absolutionem ab omni peccato.*

Prob. II. Olim a Patribus ipse poenitentium status sufficiens reputabatur signum Contritionis in mortis articulo. Unde

de si aliquis poenitentium eo in statu corriperetur repentino morbo sensus omnes auferente, imposita semper fuit absolutio; ut variis exemplis probat *Morinus lib. X. cap. 5. de Poenit.* Ergo pro sufficienti poenitentiae signo habenda nunc erit vitae probitas in moribundo, qui sensibus destitutus, nec voce, nec gestu, sed ipsa christianae vitae professione poenitentiam postulat.

Firmat nostram sententiam *Augustinus*, qui *lib. de Adulterinis Conjugis cap. 26.* inter plura alia docet, baptizari posse catechumenum moribundum sensibus destitutum, qui desiderium baptismatis nullo alio signo externo prodit, quam professione catechumenatus. En verba S. Doctoris: *Catechumenis in hujus vitae ultimo constitutis, si morbo, seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen sibi baptismum, vel ad interrogata respondere non possint; prosint eis, quod eorum in fide Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum nulla adhuc voluntas patuit ... Quia nempe non solum incredibile est, nec in fine vitae hujus baptizari catechumenum velle, verum etiam si voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilis sit, eum, si posset, velle*

se

se potius fuisse dicturum ea sacramenta percipere, sine quibus jam credidit, non se oportere de corpore exire. Quod de Catechumeno docuit *Augustinus*, docet paulo post eod. laud. lib. *cap.* 28. de poenitente, inquiens: *Quae autem baptismatis, eadem reconciliationis est caussa, si forte poenitentes finiendae vitae periculum praeoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet mater Ecclesia.*

Quin etiam quamplures probabilem putant opinionem asserentium, conditionate absolvendum esse moribundum in Catholica Religione inventum, etsi nulla per se, vel per testes dederit poenitentiae signa modo nec impenitens appareat, nec in fragranti delicto deprehensus sit. Ita enim probant: Quoties est materia dubia vel probabiliter praesumta in moribundo, sensibus destituto, hic potest absolvi saltem sub conditione. Atqui in casu posito reperitur talis materia, nempe Contritio, & Confessio generica & confusa probabiliter ex aliquo signo externo praesumta, vel dubia. Ergo &c. Nam 1. cum oppositum non constet, praesumi potest, illum dare hoc signum. 2. Tales moribundi dant aliqua signa, omnibus videlicet motibus corporis, quibus forte manifestare volunt internum dolorem, & voluntatem confitendi. Ergo saltem conditionate potest absolvi, cum sic nulla fiat sacramento injuria, & suc-

& ſuccurratur proximo in extrema neceſſitate. Dicitur *Clemens VIII.* hoc modo abſolviſſe quemdam ex fabrica *D. Petri* decidentem, dicendo: *Si capax es, abſolvo te a peccatis tuis.*

Dicunt tamen, *modo nec impenitens appareat, nec in fraganti delicto deprehenſus ſit*; nam illi abſolvendi non ſunt, qui in ipſo actuali peccato ſenſus amittunt, puta in ebrietate, duello, fornicatione &c. cum ne probabiliter quidem praeſumi poſſit in tali ſtatu eorum diſpoſitio.

Addunt: Si poſſit is moribundus abſolvi, abſolvendus eſt a Sacerdote ex gravi obligatione caritatis, ex qua adſtringimur ſubvenire proximo in extremis, meliore quo poſſumus modo, afferendo ſaltem opem dubiam, quae melior eſt nullâ, ſi certa afferri nequeat.

At ea ſententia Doctoribus Sorbonicis adeo diſplicuit, ut eorum notam ac cenſuram minime effugerit. Ajunt enim, nec dubiam dici poſſe materiam, quae ſenſibilis omnino non eſt. At praeſumtus actus profecto ſenſibilis non eſt. Ad haec accedit reverentia, & ſecuritas ſacramenti, quae moralem, ut in caſu, deficientis materiae certitudinem excludere debet.

Q. *An Confeſſio neceſſario facienda ſit Sacerdoti praeſenti?*

R. Affir. 1. ex uſu totius Eccleſiae confitendi coram Sacerdote; 2. ex decreto *Cle-*

Clementis VIII. qui ann. 1602. damnavit hanc propositionem : *Licitum est per literas, aut internuncium Confessario absenti peccata sua sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*. Vetuitque sub excommunicatione Rom. Pontifici reservata, ne in ullo casu deducatur in praxim, in quo nota 1. cum communi Doctorum, eam Confessionem non solum illicitam, sed & invalidam esse; quia in casu extremae necessitatis licere deberet. 2. Hanc damnationem intelligi non solum conjunctim, nempe quoad Confessionem, & absolutionem simul, sed etiam divisim; ita ut neque liceat Confessio in absentia, quamvis deinde absolutio detur in praesentia, neque liceat absolutio in absentia, quamvis Confessio facta fuerit in praesentia, ut postea declaravit ipse *Clemens*, & *Paulus V.* 3. Confessionem non solum faciendam esse Sacerdoti praesenti, sed voce; ita ut extra casum necessitatis *Sylvius* putet, Confessionem non valere, si fiat scripto, nutibus, aliisque signis.

SECTIO III.

De Satisfactione.

Nota I. Triplicem ex peccato mortali patrato reatum agnoscunt Catholici, cul-

culpae scilicet, poenae aeternae, & poenae temporalis. Post condonatam culpam, & poenam aeternam, luenda remanet poena temporalis, quae piis aeque poenitentiae laboribus, quos *satisfactionem* vocant Theologi, redimi debet.

Nota II. Satisfactio igitur, de qua in praesenti, est voluntaria sui ipsius punitio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam. Duplex est, nempe *sacramentalis*, de qua hîc, & *non sacramentalis*, quae fit non solum piis ac laboriosis operibus sponte susceptis, sed etiam malis ac aerumnis hujus vitae a Deo inflictis, & patienter toleratis, ut docet *Trid. Sess. XIV. cap. 9.*

Nota III. Satisfactio sacramentalis est poenae acceptatio, & voluntaria perpessio a Confessario imposita ad puniendam ac reparandam injuriam Deo illatam, vel etiam ad praecavendam futuram. Hinc sacramentalis satisfactio dividitur in *mere poenalem* seu *vindicativam* culpae, & in *medicinalem* seu *praeservativam* etiam a culpa futura. Porro Satisfactio, quae a Confessario imponitur, est pars integralis sacramenti, & caussat ex opere operato remissionem poenae temporalis. Videnda hîc est ejus impositio, acceptatio, exsecutio, & commutatio.

§. I.
De Impositione Satisfactionis.

Prop. I.

Sacerdos, per se loquendo, poenitenti quem absolvit, satisfactionem imponere tenetur.

Prob. I. ex constanti Ecclesiae praxi, quae nunquam sine impositione satisfactionis poenitentes reconciliavit. Atqui hoc tam constanter usurpatum non esset, si Sacerdotes in reconciliatione poenitentium non tenerentur satisfactiones imponere. Ergo. Confirmat nostram sententiam *S. Leo*, qui *Epist.* 91. haec habet: *Mediator Dei, & hominum hanc Ecclesiae Praepositis tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem poenitentiae darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem admitterent.*

Prob. II. Ex *Trid. Sess. XIV. cap.* 5. Sacerdos in hoc sacramento est judex, & medicus. Ergo debet satisfactionem imponere tum in punitionem, tum in medelam. Insuper ex eodem *cap.* 8. est sacramenti minister: Ergo debet ejus integritatem curare, *salutares*, & *convenientes satisfactiones* injungendo.

Dixi, *per se loquendo*. Nam absolutio sine impositione poenitentiae danda est moribundo, qui sensibus destitutus, nullam exsequi potest; at si minimam potest, injun-

jungi debet; puta proferre semel nomen Jesu &c. Nota hîc, ex *Rituali Romano* aegris non esse injungendam gravem poenitentiam, sed eam indicendam, quam si convaluerint, opportuno tempore peragant. Idem docent *Salmanticenses*. Quod si infirmus satisfacere possit eleemosynis, hae sunt a Confessario imponendae.

Hinc colliges, peccare & quidem graviter Sacerdotem, qui sciens & volens in Confessione mortalium, poenitentiam non injungit; imo etiam juxta multos, si non imponat in Confessione venialium, vel mortalium alias directe absolutorum; quia gravis videtur irreverentia sacramentum privare sua integritate, seu parte integrali. Hinc si poenitens statim post absolutionem novum addat peccatum, cujus nova detur absolutio ad integrandum sacramentum, novam aliquam addat poenitentiam Confessarius, vel saltem priorem injungat pro utraque Confessione, si peccata oblita, fuerint aliquo modo praevia in impositione primae satisfactionis.

Poenitentia imponenda est post audita peccata, quia est actus judicialis post cognitionem caussae; sed ante absolutionem, ut exploretur debita poenitentis dispositio, & voluntas faciendi fructus dignos poenitentiae; quamvis etiam imponi possit post absolutionem, modo cum ipsa moraliter conjungatur.

Prop. II.

Sacerdos poenitentiam imponere debet praeceptive, non vero libere solum, & de consilio implendam.

Prob. 1. Ex *Trid.* Confessarius poenitentiam injungit ut judex. Atqui judex reum obligat ad poenam promeritam: Ergo & Sacerdos poenitentem ad satisfactionem subeundam. 2. Ex eodem *Trid.* Sacerdos eam imponit ex potestate, quam habet ligandi. Atqui non ligat, nisi obligat. Ergo.

Prop. III.

Sacerdos parem peccatis poenitentiam injungere debet, idque sub gravi, non vero absolute, sed respectu ad poenitentes.

Prob. Ex *Trid. Sess. XIV. can.* 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne . . . levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Nota I. Confessarius ex *Trid.* qui levem pro gravissimis delictis poenitentiam imponit, alienorum se peccatorum participem efficit. Ergo graviter peccat, qui non parem crimini poenam imponit, cum delinquat contra obligationem ex genere suo gravem, quae ad integritatem sacramenti, ad officium Confessarii, & poeniten-

tentis emendationem ac profectum, ad divinae offensae reparationem pertinet. Hinc Patres benignitatem aequo laxiorem in poenitentiis injungendis vocant *irritam & falsam pacem, dantibus periculosam, & nihil accipientibus profuturam*, ut *Cyprianus lib. de lapsis*: *Pestiferam patientiam quae sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit*, ut *S.Leo Ep.79.Inimicam benignitatem, quae usque ad diem judicii vulnera incurata reservat*, ut *Hormisda* Papa Ep. quae habetur *Tom. V. Biblioth. Patrum; Impiam pietatem, quae non vulnus amputat, sed ut augeatur, fomitem subministrat*, ut *Petrus Damianus cap.* 2. in suo *Gomorrhiano*. Ergo ex Patribus *poenitentia necessaria, est illa, quae aut aequat crimina, aut excedit*, ut loquitur *Ambrosius* ad Virginem lapsam: vel saltem poenitentia crimine minor non sit, ut clamat *Cyprianus de lapsis*.

Nota II. Ex eod. Concilio Confessarius debet injungere *salutares, & convenientes satisfactiones, quantum spiritus & prudentia suggesserit*. Ergo poenitentia non debet esse proportionata peccatis absolute, sed respective ad facultatem, dispositionem, & utilitatem poenitentium.

Hinc notandum, attendendam esse poenitentis 1. facultatem; nam pro iisdem delictis non eadem poenitentia injungi debet debili ac forti, pauperi ac diviti, pue-

ro vel mulieri, ac viro. Noſtrae ſententiae conſonat *Rituale Rom.* docens poenitentiam injungendam eſſe, addita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & aetatis poenitentium: 2. Utilitatem, ob cujus ſpiritualem infirmitatem ſaepe expedit moderata poenitentia, etiam pro graviſſimis delictis. Neque enim ſalutares ſunt poenitentiae tam graves ac diuturnae, ut, ſpectata poenitentis fragilitate, periculum ſit ne eas omittat; nam tunc in ejus exitium verterentur. In hoc autem ſacramento magis intenditur emendatio, & ſalus poenitentis, quam ſatisfactio pro poena. Unde *Gerſon* in *Regula morum part.* 2. *cap. de Poenit.* ait: *Tutius eſt cum parva poenitentia, quae ſponte ſuſcipitur, & veroſimiliter adimpletur, ducere confeſſos ad Purgatorium, quam cum magna non implenda praecipitare in infernum:* 3. Poenitentis diſpoſitionem, ob quam poteſt minui poenitentia, puta ſi poenitens per ſe praeſtet multa bona opera poenalia. 4. Arbitrium iſtud Confeſſarii in minuendis poenitentiis debere non amore alliciendi, aut timore amittendi poenitentes, ſed *divino inſtinctu eſſe regulatum*, ut ait *D. Thomas* in *Suppl. q.* 18. *art.* 4. Unde Confeſſariis cavendum, ut nec inconſiderato zelo ſeveriorem, nec caſuiſtica benignitate molliorem poenitentiam imponant.

Hinc graviter aberrant Confeſſarii illi

illi, qui pro gravissimis flagitiis aequam satis poenitentiam putant breves quasdam precatiunculas. Poenitentia enim eo fine instituta est, *ut a peccato revocet, & quasi freno coërceat:* quod certe non praestabit unius Rosarii, vel Psalmi recitatio, cujus persolutione vitiosus gravitatem sui criminis non sentit. Confessarius ergo ut recte suo officio fungatur, debet 1. ut peritus medicus in poenitentia medicinali injungenda penitus inspicere peccatorum radices, & passionem dominantem, & congrua morbis remedia praescribere, nempe ea, quae *vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt*. Hinc fornicatori *imponantur jejunia, vigiliae, cilicii usus, aliaque hujusmodi macerando corpori propria. Avaro praeter debitas restitutiones, eleemosynae pro cujusque facultatibus injungantur &c.* Ita *D. Carolus in Instruct.Confessar.* 2. Ut aequus, & integerrimus judex vindicativam poenitentiam praescribere debet, respiciendo ad sacros Canones, & criminum enormitatem. *Habeant prae oculis*, ait *Trident. sess. XIV. cap.* 8. *ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam & castigationem*. Confer huc *Catechismum Rom. part.* 2. *cap.* 5. §. 91. Verum ad poenalem satisfactionem quod attinet, intellige

inspecta facultate, & fragilitate poenitentium, prout superius adnotavimus.

Prop. IV.

Ad Satisfactionem requiritur opus poenale.

Prob. Satisfactio imponitur pro poena. Ergo non satisfit, nisi exhibeatur opus poenale. Talia sunt oratio, jejunium, & eleemosyna. Ad haec tria genera revocantur cetera bona, ut habet *D. Augustinus in lib. de Perfect. justi* inquiens: *Sub jejunio quippe comprehenditur universa corporis castigatio: sub eleemosyna benevolentia, & beneficentia vel dandi, vel ignoscendi: sub oratione etiam omnes regulae sacri desiderii.*

Nota. Quilibet actus virtutis etiam internus pro poenitentia imponi potest; quia quodlibet opus bonum est poenale homini carnali, & ad malum propenso, utpote ejus naturae corruptae contrarium. Ita *D.Thomas in Suppl.*12. *q.*15.*art.*3.*ad* 1.

Juxta aliquos potest Sacerdos opus aliunde praeceptum pro poenitentia injungere, ut poenitens majorem diligentiam in eo adhibeat; nam idem opus bonum aliunde debitum ex diversa ratione, potest esse simul meritorium, & satisfactorium. Verum id raro faciendum, cum aliqui doceant, non posse id licite fieri; praesertim si poenitens valeat alia praestare. In praxi praesumi debet a Confessario impositum esse

esse opus distinctum, nisi aliud ex verbis, vel circumstantiis intelligatur. Hinc si Sacerdos praecipiat, ut Missam audias, intelligitur praeter illam, ad quam aliunde tenebaris: at si dicat, hoc die festo audias duas Missas; ex tali modo conjungendi colligitur, eum velle, ut praeter Missam festo debitam, aliam audias. Item potest injungi satisfactio applicanda aliis, puta defunctis.

§. II.
De Acceptatione, & Exsecutione Satisfactionis.

Prop. I.

Poenitens impositam a Confessario satisfactionem acceptare tenetur, si aequitati, & rationi sit congrua.

Prob. Confessarius ex dictis tenetur poenitentiam imponere. Ergo a fortiori poenitens tenetur eam acceptare, quippe qui tenetur ei obedire ut judici recte judicanti, & integrum reddere sacramentum. Hinc communiter docent Theologi, temerariam esse quorundam opinionem asserentium, liberum esse poenitenti acceptare vel repudiare Poenitentiam a Confessario impositam; & merito. Nam ea sententia *Tridentino* manifeste contraria est, dum aufert a Confessariis potestatem ligandi, quae nulla esset, si liberi ab acceptatione poenitentes forent.

Dixi, *si aequitati & rationi sit congrua;* nempe ea quae clave non errante imponatur. Hinc poenitens non tenetur poenitentiam acceptare ab indocto & imprudenti Confessario impositam, non inspecta ejus facultate: puta si nutrici vel infirmo jejunia, pauperi largae eleemosynae, uxori longae peregrinationes praescribantur; quia cum non possint ista a talibus impleri, ita nec acceptari. Item justis de caussis potest poenitens rogare Confessarium, ut minuat vel mutet poenitentiam suae fragilitati minus accommodatam. Verum non licet sine sacramenti irreverentia & indecentia Confessionem abrumpere, ut alium Confessarium inveniat, qui minores & benigniores poenitentias pro gravissimis criminibus imponat.

Prop. II.

Peccat graviter poenitens, qui gravem poenitentiam pro peccatis mortalibus primo Confessis impositam culpabiliter omittit: imo male sibi consulit, qui levem etiam, vel ob peccata venialia, vel mortalia prius confessa non exsequitur.

Prob. 1. pars. 1. Ex Concilio *Lateranensi Can.* Omnis: *Omnia sua peccata confiteatur fideliter, & injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere.* 2. Qui tenetur aliquid praestare, ad id obligatur per se sub mortali, si res gravis est. Atqui excusatio satisfactionis de se gra-

gravis est; cum necessaria sit ad servandam integritatem sacramenti, & ad perfectam peccatorum remissionem. Ergo graviter peccat, qui gravem poenitentiam pro mortali impositam, vel notabilem ejus partem culpabiliter omittit.

Prob. 2. pars. Dissentiunt Theologi, an levis poenitentiae omissio mortali culpa vacet: quidam affirmant, quia complexio partis integralis per materiam levem non obligat, nisi leviter pro ratione materiae. Alii negant; quia gravis irreverentia sacramento infertur, privare illud tota sua integritate, & complemento non accidentali. Atqui in hac theologica dissensione, ubi forte soli Deo notum est, quae pars praevaleat, pessime sibi consulit, qui in re alioquin facili, certa incertis non praeponit. Ergo.

Prop. III.

Tenetur poenitens Satisfactionem implere tempore per Confessarium praefixo, si quod determinatum fuerit; sin autem, cum primum potest: brevis tamen ad dies aliquot dilatio grave peccatum communiter non inducit.

Prob. 1. pars. Circumstantia temporis a Confessario definita includitur sub praecepto. Ergo. Unde si Confessarius poenitentiam, puta jejunium alliget huic diei, V.G. feriae sextae in honorem passionis Christi Domini, vel singulis mensibus

Confessionem jubeat; eo die exsequi poenitentiam sive jejunium, sive Confessionem poenitens debet, nec anticipare, nec differre; nisi gravis & improvisa necessitas aliquid exigat, tunc ex praesumto directoris consensu aliter dicendum erit. Ceterum poenitens tenetur implere injunctam satisfactionem omnibus circumstantiis circumscriptam, puta preces flexis genibus & nudatis, capite inclinato, tali die &c. uti praescriptum est a Confessario.

Prob. 2. pars. Integritas sacramenti, & natura Satisfactionis ac medicinae, & rationabilis intentio Confessarii exsecutionem celerem exigunt.

Prob. 3. pars. Aliquot dierum mora nec Deo gravem injuriam, nec poenitenti grave damnum infert. Ergo. Nota. Si ad finem injunctae poenitentiae magni referat illam statim implere V. G. ad superandas tentationes urgentes, gravi peccato se adstringit qui eam differt.

Q. *An qui exsequitur poenitentiam existens in mortali, ad eam iterandam cogi debeat?*

R. Neg. Dummodo poenitentia praestita non sit cum affectu, & voluntate peccati. Ita *Juveninius*, *Merbesius*, *Turnellynius*, plurimique alii contra non paucos requirentes statum gratiae. Prob. Ex antiqua Ecclesiae disciplina, quando satisfactio absolutionem praecedebat, prodesse aesti-

aestimabatur poenitentia praestita ante absolutionem, & proinde ante remissionem peccatorum saltem ordinarie. Ergo sacramentaliter prodesse videtur poenitentia, quae post absolutionem fit in statu peccati. Qui vero satisfactionem a Sacerdote impositam implet cum affectu, & voluntate peccandi, non satisfacit divinae justitiae pro poena temporali; sed ipsam divinam justitiam laedit, & proinde manet obligatus ad eam denuo implendam, idque sub mortali, si notabilis sit poenitentia.

§. III.
De Commutatione Satisfactionis.

Prop. unica.

Nequit Poenitens propria auctoritate in aliud opus etiam melius Poenitentiam sibi commutare: Potest tamen idem vel alter Confessarius eam in aliquod etiam minus aliquando mutare, sed non extra Confessionem.

Prob. 1. pars. 1. Reus nequit mutare poenam sibi impositam a judice, nec subditus opus praescriptum a superiore. Atqui poenitens in hoc sacramento rei & subditi partes agit. Ergo nequit nutu proprio injunctam poenitentiam a legitimo judice & superiore in aliud opus commutare, ne judex & superior sui ipsius esse videatur. 2. Satisfactio ut sit sacramentalis, debet a potestate clavium descendere. Atqui illa, quam

quam propria auctoritate poenitens substituit, non venit a potestate clavium, cum non imponatur a ministro sacramenti. Ergo.

Hinc poenitens sicut injunctam sibi poenitentiam commutare nequit, ita nec alium substituere, qui loco sui satisfactionem impleat; culpa enim cum sit personalis, personalem exigit poenam. Quam ob rem *Alexander VII.* damnavit hanc thesim num. 15. *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.*

Prob. 2. pars. Judicium Sacramentale ordinatur ab bonum animarum. Atqui animarum utilitas quandoque exigit, ut justis de caussis impositae Satisfactiones in alias convenientes commutentur. Ergo. Et 1. ab eodem Confessario; quia potest judex mutare ac minuere poenam a se latam, quamdiu exsecutioni non est data. 2. Ab altero Confessario; nam secundus Confessarius sedet in eodem tribunali, primique vices gerit. Ergo si primus potest ob justam caussam injunctam satisfactionem commutare, potest & secundus, qui idem potest, ac primus cui succedit.

Prob. 3. pars. Poenitentiae commutatio est actus judicialis, & usus clavium, cum per eum prioris judicii sententia ex parte revocetur. Atqui nulla clavium potestas extra sacramentum. Ergo nonnisi in sacramentali Confessione isthaec commutatio fieri potest. Hinc

Hinc notandum 1. non posse poenitentias commutari sine justa caussa; qualis est major spiritualis profectus poenitentis, gravis in exsecutione prioris poenitentiae difficultas, periculum transgressionis ex ipsa etiam poenitentis infirmitate ortum, excessus evidens poenitentiae &c. 2. Facta commutatione poenitentiae, posse poenitentem quam maluerit eligere: quod nec ipse *Concina* absolute audet improbare. 3. Inferiorem Confessarium commutare non posse poenitentiam impositam a superiore ob reservata: hanc opinionem docent graviores Theologi, ut *Gonet*, aliique; quia sicut delictum, ita & poena superiori reservata est. 4. Priorem poenitentiam non posse ab eodem Confessario mutari, nisi is recordetur statum poenitentis. Quod si non recordetur amplius peccatorum, pro quibus priorem poenitentiam imposuit, requiritur nova eorum Confessio, ne judicialis poena imponatur sine caussae cognitione: a fortiori requiritur haec caussae notitia per novam Confessionem, si ab alio Confessario poenitens impositae satisfactionis commutationem petat. Ex communi ut possit secundus Confessarius mutare poenitentiam, non requiritur exacta peccatorum repetitio, sed sufficit ei aperire praecipua, ob quae praesertim hujusmodi poenitentia erat injuncta: puta hunc tot annis in adulterio, ebrietatis, blasphemiae habitu vixisse.

§ IV.

§. IV.
De Effectibus Satisfactionis.

Plures numerantur a *Trid. Sess. XIV. cap.* 8. Satisfactionis effectus. Et 1. Peccatorum reliquiae per satisfactionem evelluntur. 2. Opera satisfactoria cohibent a peccatis futuris, & concupiscentiam ceterasque appetitiones refrenant. 3. Satisfactiones argumenta sunt sincerae detestationis peccatorum. 4. Per satisfactionem iram Dei avertimus. *Sit oportet severus in se, ut in eum sit misericors Deus*, ait *Aug. ser.* 288. 5. Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, similes evadimus. 6. Satisfactiones salutis arrham praebent: quia si compatimur, & conglorificabimur. 7. Solvitur debitum pro reatu poenae temporalis, qui post remissam culpam remanet.

Q. An Satisfactio sacramentalis reatum poenae temporalis ex opere operato remittat?

R. Affir. Nam ex *Trid.* Satisfactio est pars sacramenti. Atqui sacramenti pars effectum suum ex opere operato caussat. Ergo & satisfactio effectum sibi correspondentem, nempe remissionem poenae temporalis ex opere operato caussare debet.

Porro Satisfactio plus vel minus poenae temporalis ex opere operato remittit, prout gravior vel levior est, & majore vel minore devotione peragitur.

No-

Nota I. poenae remiſſionem non conſiſtere in indiviſibili; quamvis in indiviſibili conſiſtat remiſſio maculae letalis. Unde minuitur debitum poenae, prout creſcunt ſatisfactionis partes. II. Satisfactionem ſacramentalem *amplius valere ad expiandum peccatum, quam ſi proprio arbitrio homo faceret idem opus*, ut ait *D. Thomas Quodlib. 3. q.* 14. ob uberiorem meritorum Chriſti applicationem in ſacramento. Unde conſultum eſt, ut Confeſſarius poſtquam determinatam poenitentiae ſpeciem injunxit, ſacramentaliter etiam injungat quidquid a poenitente praeſtabitur boni, ſaltem ad certum tempus, puta ad octiduum, ad menſem, ad annum &c. atque id vel expreſſe faciendum, vel per haec verba *quidquid boni feceris &c.* Et *quantum ad hoc talis ſatisfactio eſt ſacramentalis, in quantum virtute clavium eſt culpae commiſſae expiativa. D. Thomas Quodlib.* 3. *art.* 28.

SECTIO IV.

De Forma Sacramenti Poenitentiae.

Nota I. Certum eſt, poenitentiae formam conſiſtere in verbis, quae a Sacerdote, auditis poenitentium peccatis, proferuntur.

Nota II. Diſputant Theologi, quaenam ab-

absolutionis forma, deprecatoria ne, an indicativa, obtinuerit olim in Ecclesia. Quidam cum *Morino* docent, formam deprecatoriam olim ad medium XIII. seculum usque obtinuisse apud Latinos, semperque & etiam num obtinere apud Graecos. Alii cum *Goneto* hoc negant, praesertim Thomistae, qui pro forma indicativa acriter pugnant: sed nostri instituti non est, hanc propositam discutere quaestionem, cum ad mores formandos nihil conducat. Qui plura cupit, legat cit. *Morinum lib. VIII. de administrat. sacr. Poenit. Vitassium Quaest. VI. art.* 1. *de Poenit.* Missâ itaque hac quaestione, videndum, quae forma nunc necessario usurpanda sit.

Prop. I.

Haec indicativa verba: Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen, *sunt forma, quae nunc adhibetur in Ecclesia Latina.*

Prob. 1. ex *Trid. sess. XIV. cap.* 3. *Docet S. Synodus sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c.* 2. Hoc idem prius definitum fuit ab *Eugenio IV.* in decreto. Idem habent omnes hodierni Rituales. 3. Haec verba clare exprimunt judiciariam potestatem, quam Christus Apostolis tribuit. Ergo.

Hinc colliges cum eodem *Trid.* preces & verba, quae de Ecclesiae sanctae mo-

more laudabiliter hanc formam antecedunt, & subsequuntur, non esse de illius essentia.

Prop. II.

Licet omnia formae verba ex praecepto exprimi debeant, tamen aliqua non sunt de essentia formae, sed tantum haec, absolvo te, *vel aequivalentia*.

Prob. Haec verba *absolvo te*, vel aequivalentia satis exprimunt actionem ministri, & sacramenti effectum: cetera vero implicite includuntur in istis. Ergo ista tantum ad essentiam formae sufficiunt.

Hinc non requiritur I. vox ista, *Ego*; quia satis in verbo *absolvo* includitur: II. nec voces *a peccatis tuis*, quia licet verbum *absolvo* ad censuras referri possit, ex praevia tamen peccatorum Confessione determinatur ad remissionem peccatorum. Idem sentit *Catech. Rom. de sacram. Poenit. num.* 14. III. Nec etiam invocatio Trinitatis per verba *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. 1. quia non semper usurpata fuit in Occidente, sicut non est in usu nunc apud Orientales: 2. Quia nullo Scripturae vel Traditionis momento probatur, hanc invocationem Trinitatis necessariam esse, sicut & in baptismo.

Quamvis ex recensitis verbis *te absolvo* constet forma essentialis; non propterea licet Sacerdoti omittere cetera, quae in Ecclesia usurpantur. Unde ex communi peccaret graviter qui omitteret *a peccatis tuis*, seclu-

cluſo ſcandalo, & contemtu; leviter, qui pronunciare negligeret, *Ego*, vel *In nomine Patris* &c.

Verba aequivalentia formae praeſcriptae eſſent: *Ego tibi peccata dimitto: remittuntur tibi peccata tua: condono tibi omnia peccata tua:* & cum ſint ejusmodi verba aequivalentia, pro formulis validis & ratis habentur a Theologis. Peccaret tamen, & quidem graviſſime Sacerdos, qui aliis verbis ab iis, quae in Rituali Rom. praeſcribuntur, formam exprimeret.

Abſolutio ſacramentalis non eſt nudum miniſterium declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, ſed actus judicialis, quo Sacerdos auctoritate a Chriſto recepta vere peccata dimittit.

Ritus, quem ſervare debet Sacerdos in abſolutione, praeſcribitur in *Rituali Rom.* juſſu *Pauli V.* edito, in quo ſic habetur: *Sacerdos cum poenitentem abſolvere voluerit, injuncta ei prius, & acceptata poenitentia ſalutari, primo dicit;* Miſereatur tui omnipotens Deus &c. *Deinde dextera verſus poenitentem elevata, dicit:* Indulgentiam &c. *Deinde*, Dominus noſter Jeſus Chriſtus &c. *&* Paſſio Domini noſtri &c. In eod. *Rituali* in Confeſſionibus frequentioribus, & brevioribus omitti poſſunt, *Miſereatur*, *Indulgentiam*, & *Paſſio;* & ſatis eſt dicere, *Dominus noſter:* urgente vero aliqua gravi neceſſitate in periculo mortis brevi-

ter

ter dici poteſt : *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Amen.*

De abſolutione ſub conditione vide dicta in *de Sacr. in Gen.* ubi de forma conditionali. Hîc tamen notandum 1. non licere aliquem abſolvere a peccatis, antequam abſolutus ſit ab excommunicatione; quia cujuſque ſacramenti ſuſceptio excommunicatis eſt graviter interdicta. Unde qui ſcienter in hoc caſu abſolvit, aut abſolvitur, graviter peccat. 2. Non poſſe abſque ſacrilegio abſolutionem repeti ſuper eadem Confeſſione; quia ad novam abſolutionem requiritur nova materia ſaltem proxima : poſſe tamen repeti ſuper diverſa Confeſſione etiam eorumdem peccatorum.

SECTIO V.

De Miniſtro Sacramenti Poenitentiae.

Ad valide ſacramentum Poenitentiae conferendum, tria requiruntur in Miniſtro, poteſtas ſcilicet Ordinis, poteſtas Juriſdictionis, & Approbatio. De ſingulis hîc agendum.

§ I.

§. I.
De Potestate Ordinis.

Prop. unica.

Dogma fidei est, solos Episcopos, & Sacerdotes posse sacramentum Poenitentiae administrare.

Prob. I. Hi soli sunt Ministri hujus sacramenti, quibus solis dictum est: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt, Joan. XX.* Atqui haec verba solis Apostolis, eorumque successoribus, exclusis laicis, dicta sunt, ut perpetua Ecclesiae traditio declaravit. Ergo.

Prob. II. ex Patribus. *S. Cyprianus lib. de Lapsis* docet *per Sacerdotes dari lapsis dolentibus, ac deprecantibus pacem. S. Ambrosius Lib.* 1. *de Poenit. cap.* 2. sermonem habens de potestate absolvendi a peccatis, ait: *Jus hoc solis permissum est Sacerdotibus.* Idem docent ceteri Patres. Quare jure *Tridentinum sess. XIV. can.* 10. anathemate damnat eos, qui docent *non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis.*

Hinc colliges, neminem non Sacerdotem posse valide absolvere sacramentaliter in aliquo casu; cum de jure divino requiratur in Ministro potestas Ordinis, quae ab

ab humana poteſtate ſuppleri nequit. Quin eſſet denunciandus, ſi quis non Sacerdos ſacramentales Confeſſiones excipere auderet, utpote ſuſpectus in fide.

§. II.
De Juriſdictionis Poteſtate.

Nota. Duplicem in Sacerdote poteſtatem diſtinguunt Theologi omnes: alteram ſupra corpus Chriſti verum, alteram ſupra corpus Chriſti myſticum: prima dicitur *Ordinis*, ſecunda *juriſdictionis*, & utraque in ordinatione confertur. Poteſtas ordinis ad conficiendam Euchariſtiam; poteſtas juriſdictionis ad remittenda vel retinenda peccata a Chriſto datur, & utraque charactéri adnexa eſt. Sed poteſtas haec jurisdictionis, ut ſe tenet ex parte principii, a Chriſto immediate eſt; ut ſe tenet ex parte termini, ab Eccleſia immediate completur. Ut enim poteſtatem ligandi & ſolvendi Sacerdos accipiat in ordinatione, ſubditos tamen, ſupra quos eam exerceat, non accipit niſi a Praelatis Eccleſiae, cum id expedire judicaverint. Completa poteſtas haec jurisdictionis duplex eſt, una *ordinaria*, quae adnexa eſt officio & dignitati curam animarum habenti; altera *delegata*, quae ex commiſſione habetur. Quaeritur, an completa juriſdictio ad valide & licite abſolvendum neceſſaria ſit. Prop.

Prop. unica.

Praeter Ordinis potestatem requiritur in Sacerdote completa Jurisdictio a priori potestate distincta, ut valide absolvat. Ita Catholici omnes.

Prob. 1. ex *Trid. sess. XIV. cap.* 7. in quo haec leguntur: *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Duo hîc notanda: primum persuasum semper in Ecclesia fuisse, necessario requiri hanc jurisdictionis facultatem. Alterum, absolutionem datam a Sacerdote absque hac jurisdictione vel ordinaria, vel delegata esse nullius momenti. Atqui absolutio nullius momenti non solum est illicita, sed & plane nulla; alioquin multum valeret, nempe ad remissionem peccatorum

Prob. II. Absolutio sacramentalis est sententia judiciaria. Atqui ad valorem sententiae judiciariae requiritur jurisdictio in eo qui judicat, & subjectio in eo qui judicatur. Ergo.

Hinc colliges I. quod licet Sacerdotes accipiant in Ordinatione potestatem absolvendi, cum eis non falso dicatur: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis* &c. at-

attamen poteſtas illa eſt radicalis & incompleta ex parte termini, ſeu ſubditorum, ut loquuntur Theologi: quemadmodum ſi Rex inſtitueret judices, non deſignando ſubditos, in quos judicium exercere poſſent. Sacerdos itaque in Ordinatione accipit poteſtatem a Chriſto Domino remittendi peccata, ſed limitatam, reſtrictam, & dependentem a conſenſu Eccleſiae, quae approbando Sacerdotes ad Confeſſiones, removet impedimentum, deſignat ſubditos huic poteſtati plus aut minus ſubjectos, prout expediens judicat.

Colliges II. ſacramentalem abſolutionem eſſe actum ſimul ordinis & juriſdictionis. Unde quamvis Eccleſia conſecranti Sacerdoti conſecrationem irritam reddere nequeat, cum haec ſit actus tantum Ordinis; tamen Sacerdoti ſacramentaliter abſolventi poteſt reddere irritam abſolutionem, cum ab Eccleſia pendeat juriſdictio.

§. III.
De Ordinaria Juriſdictione Miniſtri Poenitentiae.

Nota. Jurisdictio generatim eſt facultas regendi, ſeu ferendi ſententiam in ſubditos. Duplex eſt: altera *in foro interno*, altera *in foro externo*. Juriſdictio in foro interno ſeu Poenitentiae, de qua hîc agitur, dicitur jus ferendi ſententiam ſacramentalem

in poenitentem confeſſum, ſeu facultas abſolvendi, ligandi, & obligandi ſubditos confeſſos in Tribunali Poenitentiae ſacramentalis. Juriſdictio in foro externo eſt facultas ferendi leges ac cenſuras, imponendi poenas eccleſiaſticas etiam publicas, vel etiam ab his diſpenſandi ac liberandi, & regendi ſubditos per haec omnia, & quoad politiam externam. Utraque ſubdividitur in *ordinariam*, & *delegatam*, & in eam quae habetur ex errore communi, & titulo colorato. De ſingulis hîc agendum.

Nota. II. Juriſdictio in foro interno ordinaria, eſt illa, quae alicui competit ratione officii curam animarum adnexam habentis: quam habet Papa pro tota Eccleſia, Epiſcopus pro ſua Dioeceſi & ſimiliter Vicarius generalis, & Vicarius capitularis ſede vacante, Parochus pro ſua Parochia. Item Superiores regulares pro ſuis Religioſis, ut ſunt Generales Ordinum, Provinciales, Superiores locales: hi omnes veniunt nomine Ordinarii, & nomine proprii Sacerdotis, & ordinario jure ſuos ſubditos abſolvunt.

Nota III. Epiſcopo, vel Parocho jure ordinario ſubjiciuntur, qui intra ejus Dioeceſim vel Parochiam habent domicilium, vel quaſi-domicilium. Habere domicilium dicitur ille, qui habitat alicubi animo ibi perpetuo manendi. Qui vero in aliquo loco moratur per aliquod notabile tem-

tempus cum animo ibi manendi per majorem anni partem, dicitur habere quaſi-domicilium. Hinc 1. Confeſſor ordinarius mercatorum in nundinis, ſtudentium in academiis eſt ipſe Parochus locorum, in quibus iidem degunt; hi enim habent quaſi-domicilium. 2. Qui in duabus Parochiis duo habet domicilia, cenſetur utrobique ſubditus. 3. Vagi, qui ſcilicet nullibi habent domicilium, aut quaſi-domicilium, cenſentur ſubditi ejus Parochi, in cujus Parochia hîc & nunc reperiuntur.

Q. I. *An qui habent poteſtatem ordinariam ſuos ſubditos abſolvendi, poſſint eam alteri delegare?*

R. Affir. per ſe loquendo; quia delegatio eſt actus proprius poteſtatis ordinariae. Ergo. Patet etiam ex *cap.* Cum Epiſcopus *in 6.* Dixi, *per ſe loquendo;* quia licet Parochi ordinariam habeant juriſdictionem abſolvendi, eam tamen in proprias oves delegare nequeunt Sacerdoti non approbato a proprio Epiſcopo, ut patet ex *Trid. ſeſſ. XXIII. cap.* 15. *de Refor.* Utrum vero unus Parochus alteri Parocho ejuſdem Dioeceſis poſſit delegare jurisdictionem ad abſolvendos ſuos ſubditos in ſua Parochia: Negant aliqui; quia Parochus cenſetur approbatus pro ea tantum Parochia, ad quam eligitur; poteſt enim Epiſcopus judicare aliquem idoneum pro uno loco, & non pro alio. Vide *Synodum*

Pignatellanam part. 2. cap. 5. num. 7. & *Notif. 86. Benedicti XIV.* Verum si Episcopus saltem tacite consentiat, idest non contradicendo consuetudini, quam scit vigere circa auditionem ejusmodi Confessionum, hoc casu communiter docent, posse Parochum alteri Parocho suam jurisdictionem delegare.

Q. II. *Quomodo cesset jurisdictio ordinaria?*

R. Cessare 1. amissione officii, cui erat adnexa; destructo enim principali, corruit accessorium. Hinc Parochus amittens, vel resignans alteri Parochiam, nequit amplius valide absolvere, nisi alias approbetur ab Episcopo. 2. Cessare per excommunicationem, in qua si vitandus sit, non potest absolvere, nec delegare valide: si vero non esset vitandus, valide absolveret, aut delegaret.

§. IV.
De Jurisdictione Delegata.

Jurisdictio delegata illa est, quae alicui Sacerdoti confertur, non ratione curae animarum, sed ex voluntate illius qui habet ordinariam: qualem habent Sacerdotes seculares, qui cum constituuntur Confessarii, jurisdictionem habent sibi delegatam ab Episcopo eos approbante. Item Sacerdotes regulares legitime a suis superio-

rioribus praesentati, & ab Episcopo approbati, jurisdictionem habent delegatam a Papa ad absolvendum sacramentaliter quosque fideles undique ad se accedentes.

Q. I. *Quid requiratur ad acquirendam Jurisdictionem absolvendi sacramentaliter?*

R. Requiri consensum sive expressum, sive tacitum concedentis, dummodo sit de praesenti. Hinc si Episcopus videat, aut sciat simplicem Sacerdotem audire Confessiones, & non prohibeat, quando sine incommodo potest, valida est absolutio ex tacito ejus consensu. Contra vero non sufficit consensus interpretativus, vel prudenter praesumtus, quem scilicet Episcopus daret, vel certo creditur daturus, si rogaretur: neque sufficit ratihabitio danda de futuro; quia ad actualem jurisdictionem requiritur consensus de praesenti exsistens, & aliquo signo saltem tacite manifestatus. Demum requiritur, ut Sacerdos delegatus notitiam habeat concessionis sibi factae sive ore tenus, sive per internuncium destinatum a delegante; alioquin invalide absolvit, etsi aliunde id rescíat; quia non censetur concessa facultas, nisi legitime recipiatur.

Q. II. *Quandonam cesset Jurisdictio delegata absolvendi sacramentaliter?*

R. Cessare 1. si Sacerdos delegatus incidat in excommunicationem, aut sus-

penſionem ab officio, in quibus non ſit toleratus: ſi vero ſit toleratus, valide, quamvis illicite abſolvit. 2. Si Juriſdictio conceſſa ſit ad certum tempus, puta ad annum, hoc elapſo ſtatim ceſſare; quia facultas non extenditur ultra voluntatem concedentis. 3. Si Juriſdictio conceſſa ſit ad tempus incertum, puta ſi Epiſcopus concedens dicat, quamdiu vixero, eam ceſſare morte concedentis, ut remotione ab officio. 4. Si Juriſdictio conceſſa ſit abſolute, ſine ulla temporis limitatione, nunquam ceſſare, niſi concedens, vel ejus ſucceſſor revocaverit; quia delegatio eſt gratia facta Confeſſario: at gratia facta non expirat per mortem concedentis; nam gratia ſeu beneficium ſuperioris permanens eſſe debet. Idem colligitur ex praxi; quoniam Confeſſarii mortuo vel ceſſante Epiſcopo a ſuo officio, perſeverant in ſuo munere audiendi Confeſſiones non modo inceptas, ſed etiam novas; donec vel labatur tempus praefinitum, vel facultas a ſucceſſore revocetur.

Q. III. *An qui Juriſdictionem ordinariam, aut delegatam habet, poſſit illam exercere in aliena Dioeceſi cum propriis ſubditis?*

R. I. Ex communi ſententia id poſſe Parochum reſpectu ſuorum ſubditorum, modo id fiat abſque ſcandalo; quia Parochus ubicunque verſetur, eſt ſuarum ovium

um paſtor, ac proinde poteſt in eas exercere juriſdictionem voluntariam, qualis eſt ſacramentalis in foro poenitentiae, quae non requirit ſtrepitum judicialem. 2. Ex Bulla *Superna*, *Clementis* X. prohiberi, ne Regulares approbati in una Dioeceſi, poſſint in altera Dioeceſi abſolvere illius Dioeceſis ſubditos. 3. Ceteros habentes Jurisdictionem delegatam, poſſe ſubditos propriae Dioeceſis in qua ſunt approbati, in alia Dioeceſi abſolvere. Ita non pauci: ſed probabilius negant alii, quia Juriſdictio delegata in ſui exercitio pendet ab Epiſcopo loci, in quo Confeſſiones audiuntur. Idem colligitur ex Bulla *Innocentii XII.* in qua nullae declarantur Confeſſiones, quae fiunt ſine approbatione Epiſcopi loci, in quo ipſi poenitentes degunt.

Nota. Delegatus nequit ſubdelegare; quia delegatio eſt perſonalis, conceſſa huic perſonae, & non alteri.

§. V.

De Juriſdictione, quae habetur ex errore communi, & titulo colorato.

Nota. *Titulus coloratus* eſt titulus habens ſpeciem veri tituli, cum tamen reipſa nullus ſit. E. G. Fuit a legitimo ſuperiore collatum ſimplici Sacerdoti beneficium parochiale: verum quia collatio fu-

it nulla ob aliquod occultum impedimentum canonicum, E. G. simoniam; dicitur iste talis possidere titulum, non tamen verum, sed falsum, & apparentem, ideo coloratum nuncupatum. *Error communis* habetur, quando communiter ac publice aliquis Jurisdictionem quam non habet, habere putatur.

Prop. Unica.

Ecclesia supplet defectum Jurisdictionis in Sacerdote, modo haec duo simul adsint, error communis, & titulus coloratus.

Prob. argumento ducto ex lege *Barbarius ff. de Off. Praet.* & *cap.* Infamis, *caus.* 3. *q.* 7. Nam bonum commune ad evitanda multa gravia damna, & scandala, quae ex nullitate actuum orirentur, exigit, ut Ecclesia tacite suppleat, cum possit, occultum illum defectum, concedendo extraordinarie Sacerdoti jurisdictionem transeuntem pro singulis actibus. Ergo valide absolvit Sacerdos, alioquin carens jurisdictione, si adsit error communis cum titulo colorato: peccat tamen graviter minister, si sciat nullitatem sui tituli; quia scienter usurpat jurisdictionem, quam non habet.

Ex dictis inferes I. jurisdictionem quae habetur ex errore communi cum titulo colorato, locum non habere in eo qui laborat impedimento de jure divino. Unde si non Sacerdos Confessiones excipiat,

piat, absolutiones sunt nullae; quia defectum hunc supplere nequit Ecclesia. II. Solum errorem communem sine titulo colorato non sufficere ad conferendam jurisdictionem; quia jura quoties statuunt, ut ex errore communi suppleatur jurisdictio, semper mensionem faciunt auctoritatis, quae intervenire debet in conferendo titulo. Unde Sacerdos, qui non habens jurisdictionem, bona vel mala fide exponat se confessionali, invalide absolvit, etsi communiter censeatur Confessarius approbatus: quia licet in casu adsit error communis, deest tamen titulus coloratus.

Q. *An liceat absolvere cum jurisdictione probabili?*

R. Extra casum necessarium non licere; quia exponeret Sacramentum periculo nullitatis, quod est grave sacrilegium; cum ea jurisdictio sicut probabiliter adesse, ita & deesse possit. Unde si deest, sacramentum erit nullum defectu jurisdictionis ad ejus valorem requisitae. Neque dicas, Ecclesiam supplere defectum jurisdictionis; nam Ecclesia non dat jurisdictionem imprudenter operandi, qualis is est, qui utitur jurisdictione probabili.

§. VI.

De Episcoporum Approbatione ad audiendas Confessiones requisita.

Nota. Approbatio est judicium, quo Superior declarat aliquem Sacerdotem idoneum esse ad audiendas Confessiones. Sine hac Sacerdos sive secularis, sive regularis invalide absolvit; quia ex dictis potestas Ordinis non censetur expedita, nisi accedat potestas jurisdictionis, quae non confertur nisi per Approbationem.

Hinc colliges, Approbationem esse actum intellectus, quo judicatur Sacerdos idoneus, & jurisdictionis collationem esse actum voluntatis. Unde licet haec duo simul conferri soleant, attamen Episcopus potest approbare Sacerdotem tanquam idoneum, & simul jurisdictionem justa de caussa denegare.

Concilium *Trid. Sess. XXIII. de Refor. cap.* 15. haec habet: *Decernit S. Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quae gratis detur, obtineat.* De hoc *Tridentini* decreto haec sunt observanda.

I. Approbatio fieri potest tripliciter, vel

vel per collationem beneficii parochialis, vel per examen, si est necessarium; vel sine examine, si alias idoneus judicetur.

II. Superior approbans ad Confessiones secularium est Episcopus, vel ejus Vicarius generalis, qui habet potestatem ordinariam, unumque facit cum illo tribunal; vel Vicarius Capitularis sede vacante, qui succedit Episcopo. Item nomine Episcopi intelliguntur Praelati habentes jurisdictionem Episcopalem.

III. Sacerdos sive secularis, sive regularis ad Confessiones secularium audiendas indiget approbatione Episcopi. Unde non sufficit approbatio Universitatis ad gradus Licentiati, Magistri, Doctoris &c. Sacerdos sive Secularis, sive Regularis eo ipso quo legitime obtineat beneficium parochiale, est ipso jure approbatus; sed tamen si desinat esse Parochus, indiget approbatione, si velit audire Confessiones. Item simplex Sacerdos ad audiendas Confessiones venialium, quae sine collata ab Eccesia jurisdictione absolvi non possunt, & proinde ad haec etiam indiget, ut approbetur.

IV. Non sufficit approbatio petita, & injuste denegata. Hinc damnata prop. ab *Alexan. VII.* num. 13. *Satisfacit praecepto Confessionis annuae, qui confitetur Regulari Episcopo praesentato, & ab eo injuste reprobato.* Insuper Episcopus potest approbare absolute vel limitate ad tempus, lo-

cum, personas; puta ad sex menses, in Cathedrali, pro viris tantum.

Q. *A quo Episcopo fieri debeat haec Approbatio?*

R. Ab Episcopo loci, in quo audiuntur Confessiones; ita ut approbatus in una Dioecesi, non possit in alia audire Confessiones sine approbatione Episcopi Dioecesani. Prob. ex communi praxi fidelium, qui non confitentur nisi Sacerdotibus approbatis ab Ordinario loci, in quo eorum Confessiones audiuntur. 2. Ex Bulla *Cum sicut, Innocentii XII.* edita an. 1700. in qua declaratur, privilegium eligendi sibi Confessarium approbatum vi Bullae Cruciatae intelligi de approbatis ab Ordinario loci, in quo ipsi poenitentes degunt. Idem statuitur in Bulla *Benedictus Deus, Benedicti XIV.* relate ad Bullam Jubilaei. Unde si cum privilegio requiritur approbatio Episcopi loci, eo vel magis sine privilegio.

Regulares exemti Episcopi approbatione non indigent, ut Confessiones audiant suorum Religiosorum; sed approbatione, & designatione Praelati regularis. Quod privilegium extenditur ad Novitios, & ad seculares domus Religiosae, *qui inibi sunt de familia & continui commensales; non autem qui tantum illis serviunt*, ex Bulla *Superna, Clementis X.*

Ad audiendas Confessiones Monialium requiritur specialis approbatio, & earum ex-

expressa mensio: quae approbatio dari debet ab Episcopo Dioecesano, etiamsi Moniales sint exemtae. Imo approbatus pro uno tantum Monasterio, non censetur approbatus pro alio; & approbatus pro una vice nequit pro pluribus vicibus: sed hac de re, quando opus erit.

§. VII.
De Confessario Privilegiatorum.

Privilegiati hîc sunt, qui vel a jure, vel ab homine, vel a consuetudine habent facultatem sibi eligendi Confessarium, a quo absolvantur. Quales sunt a jure Episcopi omnes, licet sint tantum confirmati, vel tantum titulares. Item Praelati iis inferiores exemti, ut Abbas exemtus. Non vero Parochi, ut constat ex damnata prop. 16. *Alexandri VII.* in qua asseritur: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.* Item Cardinales, etiamsi non sint Episcopi. Ex consuetudine & tacita approbatione Ecclesiae, Reges, & Principes absoluti. Ab homine, qui a Papa vel ab Episcopo tale privilegium obtinuerunt.

Nota I. In *cap.* Ne pro dilatione, *de Poenit. & Remis.* haec habentur ex *Gregorio IX. Ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum, permittimus Epi-*

Episcopis, & aliis Superioribus, nec non aliis inferioribus Praelatis exemtis, ut etiam praeter superioris sui licentiam providum & discretum sibi valeant eligere Confessarium. In hac *Gregorii* Constitutione certum est 1. Episcopum in propria Dioecesi posse confiteri cuique Sacerdoti, impertiendo ei facultatem. 2. Extra suam Dioecesim posse absolvi a Sacerdote, quem in sua Dioecesi approbaverit; sed dubitatur, utrum Episcopus extra suam Dioecesim possit sibi eligere in Confessarium Sacerdotem non subditum a proprio Ordinario non approbatum. Negat *Fagnanus* in cit. *cap.* Ne pro dilatione, ex decreto sacrae Congregationis sub *Gregorio XIII.* in quo declaratum fuit adhaerendum esse decreto *Tridentini*, praeviam requirentis approbationem Ordinarii. Unde Episcopus extra suam Dioecesim nequit absolvi nisi a Sacerdote vel subdito, vel Parocho, vel approbato a proprio Ordinario. 3. Hoc *Gregorii* privilegium non extendi ad Parochos, ut patet ex damnata prop. *Alexandri VII.* quam supra retulimus.

Nota II. Privilegiatos ex Bulla Cruciatae, vel ex Bulla Jubilaei non posse absolvi, nisi a Confessariis approbatis ab Ordinariis locorum, in quibus ipsi poenitentes degunt, patet ex supra relatis Constitutionibus *Innocentii XII.* & *Benedicti XIV.* Item tempore Jubilaei mulier absolvi ne-

nequit a Confessario approbato pro viris tantum: Monialis ab eo qui non est specialiter pro Monialibus approbatus.

SECTIO VI.

De Casuum Reservatione.

Nota I. Casuum seu peccatorum Reservatio est subtractio potestatis absolvendi a certis peccatis, salva potestate ab aliis absolvendi. Esse autem ad disciplinam summopere necessarium, ut summi Ecclesiarum Antistites aliquorum peccatorum absolutionem sibi reservent, tum ut atrociora quaedam & graviora crimina artius judicentur, iisque efficacius remedium adhibeatur; tum ut fideles ab iis committendis coërceantur ob difficultatem obtinendae absolutionis, docet *Trident. sess. XIV. cap.* 7.

Esse in Ecclesia potestatem reservandi atrociora scelera contra Wiclephum strenue propugnavit *Waldensis tom.* 2. *de Sacram.* Hinc potestatem iterum a Luthero impetitam stabilivit *Trid.* laud. *Sess. XIV. cap.* 7. & *can.* 11. & contrarium sentientes anathemate percussit; & merito. Nam si potestas jurisdictionis aut animarum cura ab Episcopo confertur, consequitur illum posse hanc jurisdictionem certis limitibus coartare: quae restrictio, seu reservatio non solum illicitam, vero etiam invali-
dam

dam reddit absolutionem ab ejusmodi peccatis reservatis; sicut invalida esset absolutio a quocunque peccato, si absolute deesset jurisdictio. Hic notandum Reservationem directe & primario afficere Confessarium, cujus jurisdictio restringitur; licet indirecte afficiat poenitentem, qui ab eo Confessario absolvi nequit. Videndum nunc 1. quae peccata, & a quibus reservari possint. 2. Quinam reservationem incurrant, & ab ea excusentur. 3. Quis absolvere possit a reservatis.

§. I.
De Peccatis reservatis, eorumque reservandorum potestate.

Prop. I.

Etsi in summo rigore juris quodlibet peccatum reservari possit, de facto tamen non reservatur, nisi peccatum mortale externum, & ordinarie loquendo opere consummatum.

Prob. 1. pars. Ad quodlibet peccatum sacramentaliter remittendum requiritur potestas jurisdictionis, ut supra dictum est. Atqui haec jurisdictionis potestas cum sit penes superioris dispositionem, potest ab eo restringi, negari, & subtrahi. Ergo quodlibet peccatum potest reservari, cum reservatio sit restrictio jurisdictionis. Hinc peccata venialia possunt reservari saltem a sum-

summo Pontifice; verum reipsa non reservantur, quia inutilis esset haec reservatio, cum possint venialia absque sacramento deleri.

Prob. 2. pars. Et 1. ut sit peccatum *mortale*. Ex praxi Ecclesiae, teste *Trid.* non reservantur, nisi quaedam atrociora & graviora crimina. Ergo reservatum non censetur peccatum, nisi sit mortale.

2. Ut sit *externum*. Nam haec reservatio ordinarie sufficit ad bonum regimen animarum: mortalia vero interna licet reservari queant, cum interiori Ecclesiae foro subjiciantur; minime tamen expedit ejusmodi reservatio propter animarum periculum. Nam actus interiores frequentes & molesti sunt, & difficile cognoscuntur: nec hactenus Rom. Pontifex, aut Episcopus aliquis ejusmodi interna peccata mortalia reservavit. Hinc ex communi sententia omnes Confessarii valent absolvere ab haeresi, vel simonia mere mentali.

Nota hîc duo requiri, ut peccatum externum censeatur reservatum, 1. ut ipsa actio externa de se gravis sit; 2. ut actus internus moraliter peccaminosus influat in actionem externam de se gravem. Hinc excusatur ab incursu reservationis, & excommunicationis, qui volens Clericum occidere, illum solum leviter percutit; vel qui intendens levem Clerici percussionem, casu illum occidit.

3.Ut

3. Ut ordinarie loquendo sit opere consummatum. Nam reservatio cum sit quid odiosum, est strictae interpretationis. Hinc reservato homicidio, non censetur reservata gravis percussio ex animo occidendi, nisi sequatur mors.

Dixi, *ordinarie loquendo:* nam aliquando reservantur etiam actus consummati. Hinc sola provocatio ad duellum, & ejusmodi acceptatio expresse reservantur, etiamsi non sequatur conflictus.

Prop. II.

Peccata dubia sive juris, sive facti non intelliguntur reservata.

Nota. Distinguendum est duplex dubium; alterum *juris*, alterum *facti*. Dubium juris esset, si quis dubitaret, an peccatum, certo a se commissum, sub lege reservationis contineatur: facti vero dubium dicitur, quando quis dubitat, an peccatum, quod certo constat esse reservatum, commiserit quoad substantiam, puta an Clericus esset is quem percussit; vel quoad modum, an Clericum percusserit graviter; vel quoad tempus, an quem percussit, pubes esset. His positis,

Prob. 1. pars. 1. Reservatio odiosa & poenalis est tum Confessariis, quorum jurisdictionem restringit, tum poenitentibus qui tenentur audire superiores, ut a reservatis absolvantur, vel eorum loco Confessarii, ut iisdem impertiendae absolutionis fa-

facultatem obtineant. Atqui ex *Reg.* 15. *juris in 6. Odia restringi convenit*, & ex *Reg.* 49. *In poenis benignior est interpretatio facienda*. Ergo.

2. Nulla est Reservatio, ubi jus ipsum Reservationem tollit. Atqui in dubio juris, ipsum jus a Reservatione eximit; cum legislatoris verba, praecise quia ambigua, mitiori sensu intelligi decernat in hac Reg. 47. in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda*. Ergo.

Prob. 2. pars. Quoad dubium facti eodem momento, quia reservatio est strictae interpretationis; & ideo extendenda non est ad casus dubios, sed intelligenda de certis.

Prop. III.

Casus reservandi potestas competit Papae, Episcopis, Religionum Superioribus, iisque qui jurisdictionem quasi-Episcopalem habent.

Prob. Illi omnes possunt reservare, qui habent jurisdictionem ordinariam, eamque aliis delegant. Atqui Papa in toto Orbe, Episcopi in Dioecesi, & tandem Superiores Regulares, aliique Praelati respectu suorum subditorum jurisdictionem ordinariam habent, eamque aliis conferunt. Ergo possunt illam vel plene vel stricte tantum delegare, quod est reservare. Hinc multi docent posse etiam Parochum casus reservare respectu illius, cui ab ipso debet de-

delegari jurisdictio; sed hac de re consuetudo contraria inolevit.

§. II.

De iis qui Reservationem incurrunt, aut ab ea excusantur.

Prop. I.

Omnes subditi Superioris reservantis subjecti sunt reservationi, nisi Superior aliquos excipiat.

Prob. Illi omnes subjecti sunt reservationi, qui sunt subjecti jurisdictioni reservantis. Atqui. Ergo. Disputant Theologi, an pueri ante pubertatem peccantes, exemti sint a reservatione: dico probabilius incurrere, nisi expresse excipiantur. Prob. Impuberes doli capaces, subjecti sunt censuris, ut patet de ingressu ad Monasteria Monialium, & de percussione Clerici: Ergo & reservationi.

Nota. In Dioecesi Neapolitana expresse excipiuntur peccantes ante 14. aetatis annum completum.

Prop. II.

Reservatio etiam invincibiliter ignorata contrahitur, si casus sit Episcopalis; secus, si Papalis, excepto aliquo extraordinario casu.

Prob. 1. pars. Reservatio non est proprie poena peccantis, sed restrictio jurisdictionis in Confessario. Atqui ignoran-

rantia privata poenitentis nequit conferre jurisdictionem Sacerdoti, quam eidem subtrahit Episcopus. Ergo ignorantia non excusat a reservatis.

Prob. 2. pars. Casus Papales propter censuram reservari solent. Atqui ignorantia excusat ab incurrenda censura: Ergo & a Papali reservatione. Ita communiter Theologi, *Concina* mussitante.

Prob. 3. pars. Ab hac generali regula, quod nullus casus de facto reservatur Papae, nisi qui conjunctus sit cum censura, excipiendus est casus falso insimulantium sollicitationis apud judices Ecclesiasticos innoxios Sacerdotes, sive per se ipsos calumniando, sive procurando, ut id ab aliis fiat: qui casus a *Benedicto XIV.* in Constitutione *Sacramentum Poenitentiae* Papae reservat sine censura.

Nota. Si casus Episcopalis adnexam habeat censuram, quam quis invincibiliter ignorat, eam non incurrit, sed contrahit reservationem. Nam Episcopi quod sub excommunicatione reservant, intelligunt fortius ligare, & duplici reservatione punire.

Prop. III.

A reservatis absolvere potest virtute ordinaria 1. qui reservavit, 2. ejus Successor, 3. & ejus in foro poenitentiae Superior: potest vero facultate delegata tum qui ad hoc approbatus est, tum Sacerdos omnis in articulo mortis.

Prob

Prob. 1. pars. Qui casus reservavit, retinuit pro se jurisdictionem, quam in aliis restrinxit. Ergo potest ab illis absolvere.

Prob. 2. pars. Successor habet eamdem cum praedecessore potestatem. Ergo.

Prob. 3. pars. Superior in eodem foro potest id omne, imo plus quod potest inferior. Hinc Papa potest absolvere a casibus, quos sibi Episcopus reservavit. Archiepiscopus a reservatis a Suffraganeo absolvere solum potest, quando ejusdem Dioecesim visitat.

Prob. 4. pars. Ecclesiae interest, ut qui reservat, facultatem absolvendi communicare possit: & haec est totius Ecclesiae praxis.

Prob. 5. pars ex *Trid. sess. XIV. cap.* 7. quod sic habet: *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.*

Nota I. In articulo vel periculo mortis, idest semper ac adsit probabilis certitudo mortis imminentis, quilibet Sacerdos etiam non approbatus, & juxta multos etiam excommunicatus vitandus, haereticus, schismaticus declaratus potest quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere in defectu Sacerdotis approbati. Dixi,

Dixi, *in defectu Sacerdotis approbati.* Nam si adsit Sacerdos approbatus, nequit simplex Sacerdos non approbatus absolutionem impertiri; quia tunc nulla est necessitas, cui tantum consulere intendit Ecclesia. Id aperte intelligitur ex *Rituali Rom. de Sacram. Poenit. Si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscunque censuris & peccatis absolvere.*

Excipiuntur tamen aliqui casus, 1. si approbatus nollet, vel non posset audire Confessionem; quia tunc idem accideret, ac si deesset.

2. Si Confessarius approbatus superveniat, jam incepta Confessione cum Sacerdote simplici; quia tunc compleri debet judicium jam inceptum. Quod si poenitens recepta absolutione a Sacerdote simplici, recordetur alicujus peccati, superveniente approbato, tenetur huic confiteri, cum illa sit nova Confessio.

3. Si Sacerdos approbatus fuerit complex in peccato turpi cum infirmo, tunc omnino huic debet praeferri Sacerdos simplex ex Const. *Sacramentum Poenitentiae, Bened. XIV.*

Nota II. Absolutus a reservatis in articulo vel periculo mortis, non tenetur si postea convaluerit, sistere superiori vel ejus delegato; quia directe fuit absolutus, cum in illo articulo ex *Trid.* cesset omnis reservatio: secus de censuris ex *Cap.* 22. *de*

de Sent. Excom. in 6. in quo *Bonifacius VIII.* statuit, ut moribundus etsi directe absolutus, si convalverit, adire adstringatur superiorem sub poena reincidentiae, non ut iterum absolvatur, sed ut obedientiam praestet, inquiens: *Decernimus, ne sic censurae illudantur ecclesiasticae, in eamdem sententiam reincidere ipso jure.*

Q. I. *An Confessarius carens potestate in reservatis, possit directe absolvere a non reservatis, & indirecte a reservatis?*

R. Affir. in duobus casibus 1. si poenitens inculpate oblitus sit aliquod reservatum, aut si bona fide confiteatur Confessario non advertenti illud esse reservatum. 2. In casu necessitatis; puta si quis habens reservata, absque gravi scandalo vel infamia omittere nequiret celebrationem Missae, vel differre Communionem, nec adesset Confessarius habens potestatem in reservatis. Ratio, quia tam in oblivione inculpata, quam in necessitate urgente superiores merito non reservare praesumuntur, ne reservatio in hisce circumstantiis sit in destructionem potius, quam in aedificationem: sublato vero impedimento poenitentes sic absoluti tenentur reservata aperire Sacerdoti habenti facultatem in illis. Porro extra casum necessitatis nequit Confessarius absolvere a non reservatis, remittendo poenitentem ad superiorem pro absolutione a reservatis; nam hoc esset contra integritatem Sacramenti. Q. II.

Q. II. *An peregrinus ex alia Dioecesi veniens bona fide, possit absolvi a reservatis?*

R. Triplici in sensu intelligi quaestio potest; 1. si casus sit in utraque Dioecesi reservatus. 2. Si casus sit reservatus in Dioecesi a qua discedit, non vero in ea ad quam accedit. 3. Si casus sit reservatus in Dioecesi in qua fieri Confessio debet, secus in ea a qua discessit. In I. casu communis sententia docet, non posse absolvi nisi a Confessario praedito jurisdictione in reservatis. In II. casu dummodo peregrinus ad alienam Dioecesim non migret in fraudem reservationis, juxta Bullam *Superna* potest absolvi a simplici Confessario; idque patet ex constanti & manifesta consuetudine. Porro poenitens migrare in fraudem reservationis dicitur, quando alienam petit Dioecesim ob principalem finem obtinendi absolutionem, vitandique judicium proprii Pastoris. In III. sensu, in quo nempe peccatum sit reservatum in loco, ubi peregrinus confitetur, absolvi nequit a simplici Confessario; quia si peregrinus commodum sentit obtinendi absolutionem ab iis peccatis, quae erant in sua Dioecesi reservata, aequum est, ut sustineat onus reservationis illius Dioecesis, in qua confitetur.

Q. III. *Utrum Episcopi absolvere possint a casibus Rom. Pontifici reservatis?*

R. Episcopi ex *cap.* Liceat *Tridentini* possunt absolvere ab omnibus casibus Papalibus occultis, & etiam a publicis cum iis, qui legitime impediuntur Romam ire, ex *cap.* Ea noscitur, *de sent. excomm. in 6.*

De facultate Episcopis concessa in supra laud. cap. *liceat* haec sunt notanda. Episcopi possunt in sua Dioecesi per se ipsos, aut per Vicarium ad id specialiter deputatum absolvere in foro conscientiae subditos suos a quibuscunque casibus etiam Sedi Apostolicae reservatis, dummodo sint occulti; & etiam ab haeresi occulta, per se ipsos tantum, non per eorum Vicarium. Item possunt dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario. Ubi nota 1. in hoc decreto nomine *Episcopi* intelligi etiam Capitulum sede vacante, quia Capitulum succedit in jurisdictionem ordinariam Episcopi; & juxta multos etiam Abbatem habentem jurisdictionem Episcopalem. 2. *In sua Dioecesi*. Haec particula satis verificatur, cum Episcopus, aut subditus exsistit in propria Dioecesi, ut cum Salmanticensibus sentit *Colet*; vel secundum alios, qui mere demonstrative, non taxative eam intelligunt. 3. *Subditorum* nomine quoad casus Papales occultos, etiam peregrinos comprehendi, communiter docent Theologi; peregrini enim in foro

Sa-

Sacerdotali subjiciuntur Episcopo Dioecesano: quoad dispensationes vero ab irregularitatibus &c. negat *Fagnanus* cum aliis in *cap.* Dilectus *de Temp. Ordinat.* posse Episcopum cum alienigenis dispensare. Unde communissime Doctores concludunt, non posse vi *cap. Liceat* Episcopum cum peregrinis dispensare, nisi ibi sint animo permanendi per majorem anni partem. 4. *In foro coscientiae*, idest Sacramentali juxta plures allegantes declarationem *Gregorii XIII.* apud *Fagnanum* in laud. cap. 5. *Per Vicarium ad id specialiter deputatum:* per hanc clausulam non prohiberi Episcopo, quin possit generaliter cuique Sacerdoti specialiter ad id deputato facultatem suam delegare; quia jure ordinario haec potestas Episcopo competit, & Episcopali dignitati est adnexa. Excipe crimen haeresis, cujus absolutionem nequit Episcopus per facultatem generalem delegare, sed tantum in casu particulari vi laud. *cap. Liceat*. 6. *Occultum*, ut communiter hîc Theologi explicant, dicitur, quod non est notorium, & potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquos testes probari possit. *Publicum* vero, quod scitur a majori parte oppidi, viciniae, vel collegii, modo saltem ibi sint decem personae. 7. Haec facultas intelligitur a *Trid.* Episcopis concessa non solum pro casibus, & irregularitatibus Papae reservatis ante

Concilium, sed etiam pro aliis post *Tridentinum* impositis; dummodo nova Bulla per derogatoriam clausulam facultatem non auferat. Hinc nequeunt Episcopi uti privilegio *Trid.* circa absolutionem haeresis externae, etsi occultae.

Quoad impeditos nota. Impedimentum est vel *temporarium*, vel *perpetuum*. Temporarium, si est ad longum tempus, puta ad annum, vel sex menses, poenitentes irretiti casibus Papalibus, absolvi possunt, praestito prius juramento, quod cessante impedimento quantocius ad Sedem Apostolicam se praesentabunt. Si impedimentum est perpetuum, puta ad decennium, absoluti omnino manent liberi ab onere comparendi. Porro impediti dicuntur senes, pueri, feminae, pauperes, & qui sine gravi damno spirituali vel temporali iter Romanum arripere nequeunt.

Q. IV. *Quinam valeat absolvere a casibus Episcopo reservatis?*

Nota. Casus Episcopales alii sunt a jure vel consuetudine Episcopis reservati: ut levis Clerici percussio, abortus foetus animati effectu sequuto, & dicuntur *nobis* idest Episcopo a jure, vel a Pontifice concessi. Alii sunt reservati ab ipsis Episcopis praesertim in Synodo, & in Tabella expositi, & vocitantur *a nobis*. Ex his alii habent adnexam censuram, alii sine censura reservantur.

R.

R. Episcopum absolvere posse non solum ab omnibus a se reservatis, sed etiam a suo Antecessore. Item Capitulum sede vacante: praeter hos nullus alius Confessarius sive Regularis, sive Secularis, etiamsi sit Canonicus Poenitentiarius Ecclesiae Cathedralis, nisi expresse ei ab Episcopo concedatur.

SECTIO VII.

De Dilatione Absolutionis.

Nota. Confessarius ex officio tenetur differre, vel negare absolutionem iis omnibus, quorum dispositio nulla, vel dubia apparet: quales sunt ignorantes mysteria fidei, occasionarii, consuetudinarii, recidivi. De his omnibus igitur subjectis paragraphis videndum.

§. I.
De Ignorante Mysteria fidei.

Prop. I.

Ignoranti Mysteria Trinitatis, & Incarnationis neganda est sacramentalis absolutio.

Prob. Fides explicita Trinitatis, & Incarnationis est necessaria necessitate medii. Ergo quicunque haec mysteria ignorat, ad Poenitentiae sacramentum ineptus & incapax est. Ergo.

Hinc 1. nequit nec licite, nec valide absolvi, qui talium mysteriorum ignorantiâ laborat, nisi prius haec didicerit. Idem dic de actu contritionis, cum sit de necessitate Sacramenti. 2. Confessiones factae ab homine haec mysteria ignorante, sunt repetendae. 3. Hinc colliges, quam merito damnata sit haec prop. ab *Innocentio XI.* num. 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

Prop. II.

Ignoranti sive culpabiliter, sive inculpabiliter reliqua Mysteria Fidei ab omnibus scienda, & credenda ex necessitate praecepti, regulariter loquendo absolutio est neganda, nisi prius addiscat.

Nota. Mysteria necessaria necessitate praecepti sunt Symbolum Apostolorum, Oratio Dominica, Praecepta Decalogi, & Ecclesiae Sacramenta omnibus necessaria, scilicet Baptismus, Poenitentia, Eucharistia, & quae ad haec suscipienda requiruntur.

Prob. Qui tali ignorantia laborat, quamvis proponat addiscere, tamen ex communiter contingentibus praesumitur, nolle efficaciter addiscere. Ergo.

Dixi, *regulariter loquendo:* nam 1. est

eſt abſolvendus in articulo mortis. 2. Si hac de re poenitens nondum fuerit monitus, poterit ſi nihil aliud impediat, abſolvi, praemiſſa inſtructione de iis ſaltem rebus, quae ſunt de neceſſitate medii, & ſacramenti, & impoſita obligatione alias quamprimum addiſcendi. Ita *S. Carolus in Inſtr. Confeſſar.* 3. Praeteritae Confeſſiones in tali ſtatu ignorantiae factae, ſunt repetendae, ſi eorum ignorantia orta ab incuria ſalutis, vel a libero concionis & catechiſmi neglectu, culpabilis fuerit; ſecus ſi innocens. 4. Idem dicendum de iis, qui curam aliorum gerunt, & liberos ſuos aut domeſticos horum notitiâ imbuere vel per ſe, vel per alios negligunt: regulariter iſti non ſunt abſolvendi, niſi emendationem operibus probaverint; poterunt tamen abſolvi, ſi nondum moniti fuerint, & ſpondeant, haec ſe praeſtituros.

§. II.
De Habente occaſionem proximam.

Nota I. Occaſio peccati eſt id omne, quod ad peccatum allicit ſive ex natura ſua, ſive ex parte poenitentis. Dividitur in *proximam*, & *remotam*. Proxima eſt ea, quae affert morale ſeu probabile periculum peccandi, ſive ea, in qua quis veroſimiliter eſt peccaturus: Remota, quae non affert tale periculum. Remotam non tene-

mur deserere, aliter deberemus de mundo exire, ut loquuntur Theologi ex Apostolo *I. ad Cor. V.*

Nota II. Occasio proxima peccati duplex est. Altera est proxima *per se*, & natura sua; ut locus infamis, aspectus minus pudici &c. Altera quae est proxima tantum *per accidens*, sive relate non ad omnes, sed solum ad quosdam ratione specialis illorum fragilitatis, & dispositionis: ut ingressus tabernae ebrioso, ut mercatura homini avaro &c. Ita *S. Carolus* in laud. *Instr. Confessar.*

Nota III. Utraque Occasio proxima subdividitur in *voluntariam*, & *involuntariam* seu *necessariam*. Voluntaria est, quae facile, & sine gravissimo incommodo dimitti potest. Involuntaria seu necessaria est ea, quae vel physice, vel moraliter deseri nequit. Hinc alia est involuntaria seu necessaria *physice*, quae nullo modo pendet a voluntate ut deseratur: ut damnatus ad carceres, & triremes, vinctus cum flagitioso. Alia involuntaria seu necessaria *moraliter*, quae deseri nequit sine peccato, vel damno temporali gravissimo: ut militia respectu militis in ea frequenter peccantis, cui abeundi facultas negatur: non enim potest deserere militiam invito duce, cui ex justitia obstrictus est; vel munus seu officium, puta advocati, procuratoris, quod sine peccato dimitti

ti poteſt, ſed non ſine jactura ſtatus, bonorum, vel famae.

Nota IV. Rurſus Occaſiones proximae aliae ſunt in *eſſe* ſeu *praeſentes*, ut concubina domi detenta, vel famula, quae cum hero peccat, quoties ab eo tentatur. Aliae non ſunt in *eſſe* ſeu *abſentes*, & extra ſe quaeſitae, ut ſunt tabernae, luſoriae domus &c. His poſitis,

Prop. I.

Nolenti deſerere peccandi occaſionem proximam, & voluntariam neganda eſt abſolutio.

Prob. 1. Neganda eſt abſolutio ei, qui caret propoſito efficaci in poſterum non peccandi. Sed qui non vult dimittere occaſionem proximam, & voluntariam peccandi, caret efficaci propoſito abſtinendi in poſterum a peccatis. Ergo. Nam ut propoſitum dicatur efficax, includere debet voluntatem deſtruendi, & fugiendi cauſſas, ac pericula peccati. *Sit ergo*, ait *Bernardus ſerm.* 1. *de Paſch. verae compunctionis indicium opportunitatis fuga, & ſubtractio occaſionis.* 2. Iſte talis actu peccat mortaliter. Prob. Amor periculi peccati eſt actuale peccatum. Nam *qui amat periculum, peribit in illo, Eccl. III.* Sed qui voluntarie non vult removere occaſionem peccati, peccandi periculum amat & eligit. Ergo. Hinc ab *Innocentio XI.* damnatur haec prop. num. 1. *Poteſt aliquando*

absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere.

Porro ut quis teneatur vitare occasionem peccandi, non est necesse, ut in ea frequenter peccaverit; sed sufficit ut verosimiliter in ea sit peccaturus. Nam peccat qui se probabili seu verosimili periculo peccandi exponit. Ita ex *D. Carolo* colligunt graves Theologi.

Prop. II.

Promittenti peccandi Occasionem proximam, & voluntariam etiam per accidens deserere, ordinarie loquendo absolutio est differenda, donec eam deseruerit; praesertim si occasio sit praesens, & in esse, & multum ad peccatum alliciens.

Prob. Poenitentes, ordinarie loquendo, nullo alio motivo magis moventur ad occasiones proximas deserendas, quam dilatione absolutionis. Ergo eorum infirmitatem, & instabilitatem tam efficaci remedio nempe absolutionis dilatione prudens Confessarius adjuvare debet. Insuper qui absolvitur non prius ablata proxima occasione peccati, constituitur in probabili periculo infringendi propositum. Ergo absolutionis dilatione poenitens a tali periculo est removendus. Antecedens prob. Nam Poenitens ante dimissionem occasionis absolutus, facile se decipiet, falso sibi suadendo, quod tentationibus resistet, & sic occasione non sublata profecto redibit ad vomi-

mitum. Ergo *prius vadat*, *& concubinam a domo pellat*, *pecuniam alienam restituat*, *contractus usurarios rumpat*, *famam proximi laesam*, *prout potest*, *resarciat* . . . . *& tunc ad Confessarium redeat*, *& absolvetur*. *Hunc ordinem ne transgrediaris* . *S. Thomas a Villanova in Conc. feriae VII. Domin. IV. Quadrag.*

Dixi, *praesertim si occasio sit praesens*, *& in esse*, *& multum ad peccatum alliciens*. Nam quando occasio est praesens, praesertim in materia turpi, *ipsa peccati memoria*, ait doctissimus *Henno*, *objecti praesentia*, *naturalis ad peccatum hoc propensio* . . . . *ita sensibiliter emolliunt cor hominis*, *ut non obstantibus omnibus cautelis aliquando & saepius miserabiliter labatur*. Hinc nunquam absolvendus est concubinarius, quascunque promissiones proferat, etiamsi extraordinaria signa doloris afferat, nisi pellicem dimiserit.

In aliis vero occasionibus, quae non sunt *in esse*, seu absentes sunt, & extra se quaesitae, quales sunt lusoriae domus, tabernae, choreae &c. si poenitens eas dimittere polliceatur, & promissis alias non defuerit, poterit, juxta *S. Carolum* semel atque iterum absolvi. Quod si alias id pollicitus sit, nec emendatus fuerit, absolutio tamdiu differatur, donec Confessarius emendationem agnoverit.

Dixi 2. *Ordinarie loquendo*. Nam

in casu physicae vel realis impotentiae, ut foret mors statim imminens, vel aliud simile impedimentum, absolutio impertitur.

Q. *An liceat gravi periculo peccandi se exponere ob spirituale proximi bonum?*

R. Neg. *Quid enim prodest homini*, ait Christus *Matth. XVI. si mundum universum lucretur*, etiam spirituali modo, *animae vero suae detrimentum patiatur?* Adde damnatam prop. ab *Innocentio XI.* num. 63. *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.* Hinc qui certus est, ait *Colet*, se conversurum esse meretricem, simulque se eam oculo parum pudico intuiturum, a facie ejus fugere debet. Idem est de Confessario, qui dum duriora corda concutit, suum aperit libidini.

Prop. III.

Iis etiam, ordinarie loquendo, differenda est absolutio, qui in occasione proxima & necessaria versantur, praesertim si occasio praesens sit, & in materia turpi, donec salutaribus mediis e proxima remotam fecerint.

Prob. Poenitentes ea in occasione a relapsu efficaciter non solent averti, nisi dilatione absolutionis. Ergo. Nam experientia docet, poenitentes dilatione absolutionis fieri diligentiores in exsequendis prae-

praescriptis mediis, & in tentationibus obsistendis: & e converso absolutos media negligere, & sic facillime relabi.

Porro remedia pro his, qui reperiuntur in occasione proxima, praesertim peccati turpis, sunt, ut nunquam solus cum complice versetur; ut colloquia familiaria, aspectus mutuos declinet; ut se bonis cogitationibus armet, majore scilicet oratione, frequentiore Confessionis usu, frequentiore ad Deiparam recursu, fugâ otii, piorum librorum assidua lectione.

Quod si poenitens in occasione necessaria positus, adhibitis remediis semper eodem modo relabatur, non est adsolvendus, nisi prius occasionem deserat cum quocunque damno temporali, etiam vitae. Ratio, quia homo tenetur cum omni jactura vitare periculum proximum peccati mortalis. Hic enim urget Christi praeceptum. *Marci IX. Si oculus tuus scandalizat te, ejice eum... bonum est tibi luscum introire in Regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.*

§. III.
De Consuetudinario, & Recidivo.

Nota I. Consuetudinarii dicuntur, qui ex consuetudine sive habitu peccarunt. Consuetudo sive habitus peccati definiri solet *facilitas peccandi, seu propensio in peccatum*

tum per actus repetitos comparata. Hinc regulariter tria requiruntur ad constituendum habitum, 1. frequentia actuum; 2. ut actus sint ejusdem speciei, nisi sint in materia turpi, in qua species subalternae conveniunt in eodem luxuriae vitio; 3. ut actus sint moraliter conjuncti. Sed hic observandum cum doctissimo *Colet*, quod multi ex uno, aut altero actu plus ad certum peccatum contrahunt facilitatis, quam qui illud pluries commisere: in aliis vero repetiti actus habitum quandoque imminuunt, quatenus fruitio tollit novitatis illecebras, & amatae rei vanitatem ostendit. Unde, ut sapienter colligit idem Auctor, nec semper habendus pro consuetudinario, qui pluries in certo genere deliquit, nec semper pro non consuetudinario, qui ter aut quater tantum peccare incepit.

Nota II. Consuetudo est occasio proxima & mortale periculum peccandi, ortum ex intrinseca fragilitate; nam mala consuetudo vehementer pertrahit ad similes actus malos. Hinc nota discrimen inter occasionem proximam proprie dictam, & consuetudinem. Occasio proxima ultra formale periculum peccandi dicit extrinsecam occasionem. Consuetudo dicit tantum probabile periculum relabendi, ortum ex frequenti reincidentia in idem peccatum.

Nota III. Recidivus est ille, qui post poenitentiam relabitur in idem peccatum sive

five ex fragilitate, feu confuetudine, five ex occafione extrinfeca.

Prop. I.

Implicatis confuetudine peccandi mortaliter, qui nondum efficaciter conati funt eam emendare, licet emendationem promittant, regulariter abfolutio eft differenda; donec vitiofum habitum fic vicerint, ut proximum feu probabile periculum peccandi fublatum fit.

Prob. Iis ordinarie differenda vel neganda eft abfolutio, quorum emendatio ad valorem & effectum facramenti vera & fufficiens judicari nequit. Atqui emendatio confuetudinarii, de quo loquimur, vera & fufficiens nequit prudenter judicari. Ergo.

Major Prop. conftat. Nam Confeffarius debet effe fidelis & prudens facramenti minifter, nec poteft fine facrilegio extra cafum neceffitatis facramentum exponere periculo nullitatis, miniftrando illud fubjecto, de cujus fufficienti difpofitione dubitat.

Minor prob. Emendatio confuetudinarii, de quo vertitur difficultas, per fimplices promiffiones manifeftatur, non vero probatur operibus five fructibus poenitentiae. Atqui ex Patribus emendatio, quae per fola verba & fimplices promiffiones manifeftatur, vera & fufficiens prudenter judicari nequit. Ergo. Minor probatur ex *Gregorio M. lib. 1. Reg. cap. 6. In fructu,*

non

non in foliis, aut ramis poenitentia cognoscenda est, quasi arbor bona, voluntas bona. Confessionis ergo verba quid sunt aliud, nisi folia? Ergo ex sola consuetudinarii promissione ejus emendatio vera & sufficiens prudenter judicari nequit. Idem docet *S. Carolus* in saepe laud. *Opus. de Instr. Confess.* in quo de consuetudinario haec habet: *Absolutio, donec emendatio perspiciatur, differri debet his, qui licet se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen non separando Confessarius probabiliter judicabit.*

Apostolica auctoritate confirmat nostram doctrinam *Innocentius XI.* qui hanc num. 60. thesim proscripsit. *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, & emendationem proponere.* En falsae benignitatis portentum, quae ad finalem impoenitentiam ducit.

Dices: Spontanea peccatorum Confessio est signum sufficientis dispositionis in poenitente, dummodo non obstet aliqua positiva praesumtio in contrarium. Ergo ex eo quod consuetudinarius sponte sua peccata confitetur, eorumque emendationem promittit, prudenter judicari potest de sufficientia ejus emendationis.

R. In casu adesse sufficientem presumtio-

tionem in contrarium; nempe quod vera conversio consuetudinarii est valde rara ac perdifficilis, nec brevi tempore fieri solet. *Perversi*, ait *Ecclesiastes cap. I. difficilè corriguntur*. Idem constat ex Patribus, & experientia. Sit pro omnibus unus *Augustinus*, qui *Tract.* 49. *in Joann.* haec habet: *Difficile surgit, quem moles consuetudinis premit:* & *lib. VII. Confess.* a *cap.* 1. usque ad 12. exemplo propriae conversionis probat laboriosissimam difficultatem plenae conversionis peccatoris inveterati.

Instabis: Quilibet peccator vel scelestissimus potest divinâ gratiâ momento temporis converti. Ergo consuetudinarius etsi inveteratus, qui prima vice confitetur, ad Confessarii vocem potest, Deo auxiliante, converti, & ad absolutionem sufficienter disponi. Adde quod ad impertiendam absolutionem sufficit, ut poenitens habeat hîc & nunc propositum non peccandi, licet judicetur vi pravi habitus relapsurus.

R. Ad I. Ultro fatemur, peccatorem etsi inveteratum non solum posse divinâ gratiâ momento temporis converti, sed & sanctum fieri, ut patet in Matthaeo, pio Latrone, Saulo, & in aliis tribus millibus, quos uno sermone Petrus convertit. Verum hae repentinae conversiones divinae misericordiae dona extraordinaria sunt, speciemque prodigii, & quasi miraculi praese-

referunt : sed juxta ordinarium divinae providentiae cursum , ordo gratiae ordinem naturae imitatur , in quo res non subito , sed sensim & pedetentim ad suam integritatem perveniunt .

R. Ad II. 1. Propositum non peccandi verum ac solidum sit oportet . At verum ac solidum non apparet , nisi per opera, per realem emendationem : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* , ait Dominus . 2. Confessarius ut minister sacramenti citra necessitatem non debet conferre gratiam , quam prudenter judicat brevi amittendam , nisi eam differat : & ut medicus curare debet, ut sanitas quam offert, non tam cito amittatur, sed sit moraliter saltem stabilis . Paucis : Minister sacramenti non solum poenitenti gratiam procurare debet, sed ejus moralem stabilitatem .

Dixi , *Ordinarie non esse absolvendos consuetudine peccandi implicatos* , nisi prius operibus suam conversionem probaverint . Nam excipiendus est articulus mortis , in quo etsi dubia sint contritionis signa , sacramenta tamen damus , securitatem vero non damus .

Nota . Non una pro omnibus consuetudinariis probationis regula habenda erit; sed juxta habitus gradum , frequentiam occasionis , nativam in certa vitia propensionem poenitentes probandi sunt . Hinc inveteratae consuetudinis peccatores ordinarie ab-

absolvendi non sunt, nisi post diuturnam probationem. Qui vero ex aliquo temporis intervallo habitum contraxere, si praescriptis remediis ad emendationem diligenter utantur, non diu procrastinetur eorum absolutio. Qui tandem recens habitum contraxit, poterit, ceteris paribus, prima vice absolvi; modo praecesserint conatus, amaritudo animi, repetita resistentia, vitaeque in melius instauratio. Semper enim hac de re prae oculis habenda erit Regula *Chrysostomi*, qui *hom.*14. in *II. ad Cor.*haec scripsit: *Temporum moram non quaero, sed animae correctionem. Hoc itaque fac demonstres, sint ne compuncti, sint ne in melius mutati, & res tota confecta est.*

Prop. II.

Recidivis seu iis, qui post plures Confessiones pluries relapsi sunt in eadem peccata, absolutio est differenda.

Prob. Frequens relapsus est signum valde probabile, talium recidivorum propositum non fuisse efficax, praesertim si recidivus fuerit in alia Confessione admonitus, & eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu, & nullo ex mediis a Confessario praescriptis impleto. Ergo nisi vera emendationis signa exhibeant, absolvendi non sunt. Adde quod Patribus omnibus saltem suspectum & dubium recidivorum propositum visum fuit. *Irrisor est, non poenitens, qui adhuc agit, cujus poenitet*, ait *S. Isidorus*. Ex-

Excipiendi tamen ſunt ab hac generali regula, 1. qui raro relapſi ſunt, & ſolum ex vi tentationis vel occaſionis urgentis non quaeſitae, nec praeviſae. 2. Qui conatus adhibent, praeſcripta media implent, actus adeo notabiliter minuunt, ut ii inter unam & alteram Confeſſionem in habitum iterum non coaluerint. *Tunc ſi vides, bina vel trina abſolutione te poſſe infirmum curare, eſto in miſericordia dives. Emendatio peccatoris ſecurior omnibus regulis eſt norma vel impertiendi, vel denegandi abſolutionem,* ait *Concina*. 3. Si poenitens afferat certa ſigna extraordinaria doloris; ut certa non ſunt, ſi ad Confeſſionem accedat ductus aliquo extraordinario motivo, nempe concionis auditae, mortis alicujus amici; ſi confiteatur peccata prius culpabiliter omiſſa: ſed potius, ſi cum periculo vitae, vel diſpendio ſummo occaſionem procul amoverit, ſi vitae genus veteri oppoſitum plane inſtituerit, ſi maximâ reſiſtentiâ etiam repentinos affectus vicerit, ſi denique ea praeſtiterit, quae magnum ad virtutem praeſeferunt conatum. Sed in his ſignis extraordinariis caute procedendum; nam nulla ſecurior regula, quam illa Chriſti Domini: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.*

SECTIO VIII.

De Sacramento Sigilli.

Nota. Sigillum Confessionis est religiosa obligatio servandi in quovis casu secretum circa ea, quae in Confessione sacramentali audita sunt.

Prop. I.

Confessionis secretum triplici jure custodiendum est, naturali, divino, & ecclesiastico.

Prob. 1. pars. Lex naturae obligat, ut secreta commissa etiam tacita, & implicita custodiantur. Atqui in Confessione sub tacita fide secreti, peccata aperiuntur, ne Confessio onerosa poenitenti reddatur. Ergo.

Prob. 2. pars. Secreti obligatio ex ipsa institutione sacramenti oritur. Nam Christus Confessionem instituendo, voluit efficaciter eam frequentari. Ergo imperare debuit secretum: cessaret enim usus Confessionis, si liceret pandere, quae sacramentaliter audita sunt.

Prob. 3. pars ex *Lateranensi IV. can.* Omnis utriusque sexus, in quo sub gravissimis poenis prohibetur sacramentalis secreti revelatio. Contra violatorem decernitur depositio a sacerdotali officio, & perpetua poenitentia in artum monasterium; quia gravissimum scelus perpetrat con-

contra justitiam, fidelitatem, & religionem: quae religionis violatio non suscipit levitatem materiae; nam minima infractio sigilli est graviter injuriosa sacramento.

Q. *An liceat aliquo in casu revelare secretum Confessionis?*

R. Neg. Nam haec obligatio sigilli est adeo gravis, ut in nullo prorsus casu sive privato, sive publico liceat illud aperire, etiamsi periclitaretur universus Orbis, & esset mors subeunda.

Hinc de auditis in Confessione non licet loqui non solum cum aliis, verum & cum ipso poenitente, nisi de ejus expressa licentia, quae censetur dari, quoties poenitens Confessarium interrogat de iis, de quibus est confessus.

Prop. II.

Sigillum frangitur, quoties per dictum vel factum revelatur aliquid auditum in Confessione facta per modum accusationis, reddensque eam odiosam.

Prob. 1. pars. Obligatio sigilli oritur ex sacramentali Confessione. Atqui Confessio sacramentalis habetur, quatenus fit per modum accusationis: ut patet ex ipsa definitione Confessionis, quae est accusatio exterior facta &c. Ergo.

Prob. 2. pars. Sigillum obligat, ne propagatio secreti injuriam poenitenti, & sacramento odium pariat. Ergo quidquid vel

vel poenitenti injuriam, vel ſacramento odium conciliat, ſigilli materia eſt.

Hinc reſolves I. ad ſigillum teneri 1. ipſum Confeſſarium etiam fictum, ſed per errorem, legitimum aeſtimatum.

2. Interpretes, 3. Omnes qui peccatum poenitentis, dum confitetur, audierunt ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter.

4. Qui conſulitur a Confeſſario etiam cum licentia poenitentis. Nam hi omnes ex Confeſſione notitiam rei habent ſub ſigillum cadentis.

Reſolves II. nullum oriri ſigillum ex Confeſſione ficta: ut ſi quis ſub larva Confeſſionis aut ſollicitaret ad turpia, aut afficeret injuriis Sacerdotem, vel aliquod crimen Sacerdotis miniſterio pertentaret; quia in caſu Confeſſio non fit per modum accuſationis in ordine ad abſolutionem. Secus vero, ſi poenitens bona fide ſua peccata manifeſtet ad obtinendam abſolutionem, tametſi ob defectum vel diſpoſitionis in poenitente, vel juriſdictionis in Sacerdote abſolutio non concedatur.

Reſolves III. Sigillum ſacramentale laedere qui revelat aliquod veniale in ſpecie, vel injunctam gravem poenitentiam, defectus poenitentis ignotos, vel virtutes, ex quibus poſſit colligi inclinatio ad peccatum. Quia ea manifeſtatio poenitenti pudorem ac moleſtiam afferret, & Confeſſio odioſa redderetur.

Se-

Secus vero, si Confessarius diceret, se audivisse aliquod veniale in genere, vel injunxisse poenitentiam levissimam: quia ipsorum propalatio nullam affert poenitenti molestiam.

Resolves IV. silentii sacramentalis pariter violatorem esse, qui utitur notitiâ habitâ in Confessione cum aliquo gravamine poenitentis, vel complicis: ut si eum torvis oculis aspiciat, aut fugiat, vel si est superior, ei deneget licentiam aut suffragium, vel eidem non absoluto deneget schedulam; quia per tale factum Confessio redditur odiosa. Secus vero si eâ notitiâ utatur ad revocandum malum sibi, vel alteri imminens sine ullo poenitentis gravamine; quia per tale factum non redditur Confessio magis onerosa, ac difficilis poenitenti. Verum in hoc caute procedendum.

Q. *quomodo se gerere debeat Confessarius, quando interrogatur de auditis in Confessione?*

R. Si Confessarius absolute interrogetur, potest absolute respondere se nescire, etiam juramento adjecto. Ita *D. Thomas.* Si vero interrogetur, ut ea prodat, quae ut Confessarius scit; tunc juxta aliquos respondere debet, interrogationem esse ineptam, injustam, nec homini Christiano convenire.

SE-

SECTIO IX.

De Subjecto, & Effectibus sacramenti Poenitentiae.

Prop. I.

Sacramenti poenitentiae Subjectum est omnis & solus homo baptizatus, qui peccatum actuale commisit.

Prob. Sacramenti Poenitentiae subjectum est ille omnis & solus, qui subjicere se clavibus Ecclesiae vel necessario tenetur, vel utiliter potest. Atqui omnis & solus homo baptizatus, qui peccatum actuale commisit, subjicere se clavibus Ecclesiae necessario tenetur, si reus est culpae letalis; vel utiliter potest, si conscius est culpae venialis. Ergo.

Nota. In ceteris sacramentis homo est capax ea recipiendi valide, licet illicite: in hoc ad differentiam ceterorum nequit capax esse recipiendi valide, nisi etiam recipiat licite, nempe sufficienter dispositus. Quaenam vero sint dispositiones in hoc sacramento requisitae, vide dicta in de Materia proxima hujus sacramenti.

Prop. II.

Poenitentiae sacramenti effectus triplex, justificatio, remissio poenae aeternae, & diminutio poenae temporalis.

Prob. 1. pars. In hoc sacramento ex

Trid. sess. VI. cap. 7. amissam justitiam recuperamus, qua peccata tolluntur, *& vere justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes*. Ergo impii justificatio est primarius hujus sacramenti effectus.

Prob. 2. pars. Homo per poenitentiam *ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae*, ut ait *Trid. Sess. VI. cap.* 7. Ergo reatus aeternae poenae remanere nequit.

Hinc nota: Per infusionem gratiae sanctificantis 1. redeunt virtutes amissae, & dona cum caritate conjuncta; non tamen semper in aequali gradu, sed interdum in majore, aliquando in minore intensione. 2. Bona opera facta in statu gratiae, & per peccatum sequens mortificata reviviscunt; sed secundum gradum propriae cujusque dispositionis, & cooperationis. 3. Confertur gratia, quae *propria*, & *sacramentalis* dicitur, & adjuvat ad detestanda peccata commissa, ad integre pro eis satisfaciendum, & ad futura mala praecavenda.

Prob. 3. pars. *In absolutione alicui plus & minus de poena dimittitur vi clavium, secundum quod plus ad gratiam se disponit. Et potest esse tanta dispositio, quod ex vi contritionis tota poena tollatur. D. Thomas in IV. dist. 8. q. 1. art.* 3. Quod vero remanet poenae temporalis, vel per opera poenalia, vel per indulgentias in hac vita

vita, vel per purgatorii poenas in altera vita expiatur.

C A P. II.

De Sacramento Extremae Unctionis.

Sacramentum, quod Christianis infirmis in extremo vitae agone constitutis, per unctionem, & ordinem administratur, ut ejus gratiae auxilio muniti, tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistant, *Sacramentum exeuntium*, *christianae poenitentiae consummatio*, & communius *extrema unctio* a Latinis Patribus appellari solet: a Graecis vero *oleum sanctum*, & *postrema unctio* nuncupatur. De hujus sacramenti natura, materia, forma, subjecto, & effectibus agendum erit.

§. I.
De Natura Extremae Unctionis.

Unctio extrema est *sacramentum a Christo Domino institutum ad conferendam aegroto de vita periclitanti gratiam, ad resistendum tentationibus, ferendum patienter dolores, & peccati reliquias abstergendas, atque etiam ad corporis sanitatem, si expediat, restituendam per Unctionem olei*

lei benedicti, & orationem Sacerdotis.

Prop. unica.

Unctio extrema est vere ac proprie Novae Legis sacramentum.

Prob. ex *Ep. Jacobi V. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Atqui haec verba continent, quae ad veram rationem sacramenti requiruntur. Ergo. Nam 1. ibi habetur signum sensibile, olei unctio, & oratio Presbyterorum, quae materiam & formam constituunt: 2. institutio divina; nam Apostolus ad Ecclesiam universam scribit, quod acceperat a Domino promulgandum. 3. Huic unctioni adnexa est gratiae promissio: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.*

4. Designatur proprius hujus sacramenti Minister; *Inducat Presbyteros.*

5. Non negligitur designatio subjecti, *Infirmatur quis in vobis?* Ergo. Adde *Trid. Sess. XIV. can.* 1. ubi Catholicam doctrinam confirmavit, anathemate damnans Novatores, qui hanc Sanctam Unctionem humanum figmentum esse sentiebant,

§. II.

§. II.

De Materia Extremae Unctionis.

Nota. Duplex est istius sacramenti materia; *remota*, & *proxima*. De utraque hîc breviter agendum erit.

Prop. I.

Remota Unctionis Extremae materia est oleum ex baccis olivarum expressum.

Prob. In *ep. Jacobi* materia istius sacramenti absolute & simpliciter nuncupatur oleum: *Ungentes eum oleo*. Atqui juxta communem sensum oleum ex baccis olivarum expressum, absolute & proprie dicitur oleum. Ergo. Vid. *Trid. Sess. XIV. can.* 1.

Q. *Utrum oleum infirmorum ab Episcopo consecrari debeat?*

R. Affir. ex omnium Theologorum sententia jure saltem ecclesiastico; ut patet ex Sacramentario *Gregorii*, & libris Ritualibus, qui hujusce olei peculiarem benedictionem praescribunt. Idem renovari debet singulis annis, veteri exusto. Quod si intra annum deficiat oleum ab Episcopo consecratum, immisceatur non consecratum in minori quantitate. Ita *Rituale Rom.* ex *cap.* Quod in dubiis, *de consecrat.*

Dixi, *jure saltem ecclesiastico*. Nam dubitatur, an Episcopi benedictio necessaria sit necessitate sacramenti. Negantem

sententiam propugnant Theologi non ignobiles, praesertim Academia Parisiensis, teste *Habert*; eo quod nullum profertur monumentum, quod eam necessitatem luculenter evincat. Insuper docent oleum istud ex commissione Rom. Pontificis posse a simplici Sacerdote consecrari, ut a mille & amplius annis fit apud Orientales: quem morem Latina Ecclesia non improbat.

Prop. II.

Materia proxima Unctionis extremae est unctio.

Prob. Materia proxima est usus sive applicatio materiae remotae. Atqui per unctionem subjecto oleum applicatur. Ergo.

Q. I. *Quaenam infirmi partes ungi debeant?*

R. Ex praesenti Latinae Ecclesiae disciplina unctionem fieri in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus, & renibus, applicando cuilibet unctioni formam. Si sensus ungendus desit, pars illi propinquior ungatur: renum unctio in feminis jure omittitur propter honestatem, & in viris, si absque periculo moveri nequeant.

Q. II. *An unctio quinque sensuum sit essentialis?*

R. Ad validitatem sacramenti perinde esse, si plures, ac unica unctio fiat. Nam Apostolus *Jacobus* absolute praecipit, aegrotum inungi: quod satis verificatur

per

per unicam vel multiplicem unctionem.

Hinc morte imminente, vel ad evitandum periculum in morbis contagiosis, praxis servatur ungendi unicum sensum ad unctionem magis expositum, vel caput, ex quo omnium sensuum nervi descendunt, formam universalem pronunciando: *Per istam sanctam . . . indulgeat tibi Deus, quidquid per sensus deliquisti*. Ita *Rituale Parisiense*. Eamdem praxim approbant *Cameracensis*, *Atrebatensis*, aliarumque Ecclesiarum Manualia apud *Natalem Alexandrum*. Sed a gravis culpae reatu non excusatur, qui extra necessitatem vel unam e quinque sensuum unctionibus praetermittit. Vide *Benedictum. XIV.* in *de Syn. Dioec. lib. 8. cap. 3. num. 5.*

§. III.
De Forma extremae Unctionis.

Nota. Hujus sacramenti forma est Oratio, quam Sacerdos fundit, dum aegrotum inungit; idque aperte habetur in *Ep. Jacobi: Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*. Sed cum haec Oratio non fuerit a Christo Domino certis verbis praescripta seu determinata in sua specie infima, ut ajunt Scholastici; hinc variae leguntur istius sacramenti formulae in variis Ecclesiarum Ritualibus tum Latinis, tum Graecis. Insuper disputatur, an vali-

de proferatur tum in deprecativo, tum in absoluto & indicativo modo: sed quae nunc in Ecclesia Latina sit adhibenda, videamus.

Prop.

Forma Unctionis Extremae in ritu Rom. Ecclesiae sunt haec verba: Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti: Amen; *& sic de aliis sensibus*.

Prob. Hanc formulam tradidit *Eugenius IV.* in decreto; hanc confirmavit *Trid. sess. XIV. cap.* 1. & clarius in *Rituali Rom.* explicatur. Ergo.

Q. *An omnia recensitae formae verba sint essentialia?*

R. Neg. Juxta multos haec sola, *per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus*, essentialia sunt; eo quod effectus sacramenti sufficienter exprimitur, quamvis cetera ex praecepto sint addenda.

§. IV.
De Ministro Extremae Unctionis.

Prop.

Soli Sacerdotes sunt Unctionis Extremae Ministri.

Prob. Ministri hujus sacramenti ex Apostolo *Jacobo* sunt Presbyteri. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae*

clesiae. Atqui Presbyterorum nomine a Theologis intelliguntur Sacerdotes. Ergo. Non enim simpliciter *Presbyteri* dicuntur, sed *Ecclesiae*, quibus data est potestas remittendi peccata.

Q. I. *Num quilibet Sacerdos non modo valide, sed etiam licite hoc sacramentum administrare valeat?*

R. I. Quilibet Sacerdos valide potest hoc sacramentum conferre; quia ejus administratio non essentialiter pendet a jurisdictione, sed ab Ordine Sacerdotali.

R. II. Licite nequit administrari, nisi a proprio Pastore, vel ab alio de ejus licentia. Pastoris enim officium est sacramenti administratio, quam privata auctoritate usurpare non licet. Hinc qui hoc sacramentum absque expressa vel tacita Parochi licentia ministrarent, graviter peccarent, & si essent Religiosi, incurrerent etiam excommunicationem Papae reservatam, *Clementina* 1.*De privilegiis.* Necessitate tamen urgente, ut si infirmus jam jam decessurus esset, & Parochus abesset, sufficit licentia interpretativa, qua praesumitur Parochi consensus. Item si Parochus ex malitia nollet sacramentum ministrare, quilibet Sacerdos, Parocho renuente, posset illud conferre.

Q. II. *Quinam sub mortali adstringantur hoc sacramentum conferre?*

R. I. Parochus sub mortali tenetur

vel per se, vel per alium ministrare Extremam Unctionem subditis suis. Item tenetur cum vitae periculo, si subditus poenitentiam non receperit, nec possit recipere; quia ex officio, & justitia ei incumbit pascere oves suas.

R. II. Simplex Sacerdos sub mortali tenetur hoc sacramentum ministrare infirmo, qui sine alio sacramento decedere cogeretur: quia caritas sub gravi urget opitulari proximo in gravi necessitate constituto.

Nota. Septem Presbyteri adhibentur in Ecclesia Graeca ad sacramentum ministrandum. Plures quoque in Ecclesia Latina olim conveniebant ad ungendum infirmum: at modo unus sufficit. In extrema necessitate tamen docent non pauci Recentiores, posse plures Sacerdotes Unctionem praestare, & unum unam, alterum alteram corporis partem ungere, & formam pronunciare.

§. V.

De Subjecto Extremae Unctionis.

Prop. unica.

Unctionis extremae Subjectum est homo baptizatus, peccandi capax, ac periculose infirmus.

Prob. 1. pars. Ille est subjectum capax recipiendi unctionem extremam, qui est

est capax recipiendi effectum primarium hujus sacramenti, nempe remissionem peccatorum. Atqui. Ergo. Nam tum ex verbis *D. Jacobi*, *si in peccatis sit*, tum ex verbis formae, *quidquid deliquisti*, deducitur hoc sacramentum non habere locum, nisi in baptizatis, qui sunt capaces peccati personalis. Insuper ex *Trid.* Extrema Unctio est consummatio poenitentiae. Ergo non danda nisi ei, qui poenitentiae capax est.

Prob. 2. pars. *D. Jacobus* non aliud designat hujus sacramenti subjectum, quam aegrotum: *Infirmetur quis in vobis?* Ergo. Verum non omni infirmo, sed graviter decumbenti dandum esse hoc sacramentum, ex perpetua traditione Ecclesia Rom. praecipit. *Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet. Eugenius* in decreto. Idem statuit *Trid. sess. XIV. cap.* 3.

Hinc inferes I. sacramentum istud negandum esse pueris, antequam rationis lumen illis affulgeat, & fatuis a nativitate, qui nulla habuere lucida intervalla; quia actu peccandi capaces non sunt; secus vero, si fatui aliquando lucidis intervallis fruiti sint, & pueri si ad usum rationis pervenerint, licet nondum communicaverint, ex *Rituali Parisiensi*.

Inferes II. similiter hanc sanctam Unctionem non administrandam esse infirmis,

 qui

qui aliquà laborant infirmitate, ex qua mors probabiliter timeri nequeat. Item iis, qui cum ſano ſint corpore, probabile vel certum vitae periculum adeunt: ut praelium inituris, aut ultimo ſupplicio afficiendis; quia hujus ſacramenti inſtitutio reſpicit homines ob mortem periclitantes infirmos, non ſanos. Secus vero dicendum de ſenibus morti propinquis, & periclitantibus ob vulnus mortale; quia revera ſunt infirmi, & habent intra ſe cauſſam proximam mortis.

Q. I. *Quaenam diſpoſitiones requirantur ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum?*

Nota. Diſpoſitiones quae praecedere hoc ſacramentum debent, aliae requiruntur, ut ipſum ſacramentum valeat; aliae, ut licite & cum fructu recipiatur.

R. I. Ut ſacramentum valeat, requiritur 1. ut ungendus ſit baptizatus, 2. ut periculoſe decumbat, 3. ut ſit adultus rationis uſu praeditus.

R. II. Ut Extrema Unctio licite & cum fructu recipiatur, ordinarie requiritur ex parte ſubjecti ſtatus gratiae ſanctificantis. Ita docent Theologi, qui aſſerunt hoc ſacramentum per ſe non producere primam gratiam, ſed ſecundam tantum. Hinc 1. qui eſt ſibi mortalis culpae conſcius, debet ſuſceptioni hujus ſacramenti praemittere ſacramentalem Confeſſionem, ſi poteſt, vel ſi non poteſt contritionem perfectam.

2.

2. Requiritur ut infirmus magna cum fide, fiducia, humilitate, reverentia sacramentum suscipiat. Hinc collige, quam detestabilis sit abusus illorum, qui ad illud tempus, quo aegrotus vita & sensibus carere incipit, protrahunt sacramentum illud; ita ut debita cum devotione infirmus ad illud suscipiendum praeparare se nequeat.

Nota I. Si tempus & conditio infirmi permittat, *ex generali Ecclesiae consuetudine ante Extremam Unctionem, Poenitentiae, & Eucharistiae sacramenta praebeantur*, ait *Rit. Rom.* posse tamen ad vota poenitentis infirmi Episcopum indulgere, ut Poenitentiam extrema Unctio, & inde Eucharistia subsequatur, putant *Sanbonius*, *Vitassius*, *Pontas*, *Espenius*; quod vetus ea fuerit Ecclesiae praxis. Sed id forte receptum in suis regionibus, non vero in nostris est.

Nota II. Sacra Unctio dari debet infirmis, vi morbi eam petere non valentibus, dummodo non constat esse indispositos: ut constat de iis, qui in ipso actu peccandi sensibus destituuntur.

Q. II. *An possit hoc sacramentum iterari?*

R. Affir. Patet ex *Trid. sess. XIV. cap.* 8. I. quia hoc sacramentum characterem non imprimit. II. Unctio haec olim in eodem etiam morbo per septem dies repetebatur, ut videre est apud *Martenium*. Hinc

Hinc iterari debet 1. in diversis morbis periculosis, 2. in eadem infirmitate, si non idem, sed diversum sit vitae periculum; 3. In dubio de mutatione status morbi ad sacramenti iterationem propendendum esse monet *Espenius*.

Q. III. *An extrema Unctio necessaria sit necessitate praecepti tum divini, tum ecclesiastici?*

R. Affir. Ita graviores Theologi probant 1. divinum praeceptum ex verbis Apostoli, *Inducat Presbyteros:* quae verba praeceptum, non consilium indicant. 2. Ecclesiae praeceptum evincunt ex summa cura, & diligentia, qua Ecclesia istud sacramentum fidelibus commendavit: ut videre est in Conciliis, & Ritualibus.

§. VI.
De Effectibus Extremae Unctionis.

Prop.

Tres praecipui Unctionis extremae numerantur effectus, nempe gratia sanctificans, abstersio reliquiarum peccati, & corporalis sanitatis, si expediat, restitutio.

Prob. 1. pars. ex laud. loco *Jacobi*. *Oratio fidei salvabit infirmum*, & ex *Trid.* laud. *sess. XIV. cap.* 2. Hujus sacramenti *res est gratia Spiritus Sancti*. Primus ergo istius sacramenti effectus est gratia sanctificans, omnibus sacramentis communis.

Huic

Huic vero gratiae adnexa sunt auxilia actualia ad alleviandum seu confortandum infirmum contra morbi molestias, & tentationes Diaboli.

Prob. 2. pars. Per peccatorum reliquias intelliguntur proclivitas ad malum, languor ad bonum, mentis debilitas ad caelestia meditanda, poenae peccatis debitae. Atqui haec omnia plus, aut minus pro subjecti dispositione sacra Unctio abstergit. Ergo. Nam hoc sacramentum cum sit consummativum poenitentiae, seu detur per modum perfectae curationis, debet reliquias culpae abstergere.

Porro reliquiarum peccati nomine intelliguntur etiam peccata sive venialia, sive mortalia inculpabiliter non remissa ex ignorantia, inadvertentia, oblivione invincibili. Quae omnia sua virtute Sacra Unctio abstergit; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. *Res* hujus sacramenti, ait *Trid.* loc. cit. *est gratia Spiritus Sancti, cujus Unctio delicta si quae sint, adhuc expianda . . . abstergit.*

Disputant ex Schola Theologi, utrum hoc sacramentum per se, an vero per accidens peccata dimittat. Alii per se, & primario; alii tantum per accidens defendunt, peccata hoc sacramentum expellere: sed supervacaneum est hanc curiosam potius quam utilem discutere quaestionem. Qui plura cupit, legat *Estium in* IV. *dist.* 23. §. 4.

Prob. 3.

Prob. 3. pars. *Oratio*, ait *S. Jacobus, fidei ſalvabit infirmum*: *Sanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animae expedierit, conſequitur*, ait *Trid.* quae verba *ubi ſaluti animae expedierit*, oſtendunt, conditionatum eſſe iſtum effectum. Alii & aliam conditionem apponunt, *niſi tam gravis ſit morbus, ut ordo naturalis, quem Deus invertere non tenetur, exigat talis infirmi mortem*: qua duplici conditione impoſita, facile intelligetur, cur virtute ſacramenti hujus non ſemper convaleſcant infirmi.

TRA-

TRACTATUS
DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CONjunctio maris cum femina a *matre* dicitur *Matrimonium* potius, quam *Patrimonium* a *patre*; eo quod procreatio prolis, cujus caussâ Matrimonium institutum est, in matre, non vero in patre evidens fiat. Dicitur quoque *Conjugium* a *communi jugo*, cui ambo, mulier & vir subjiciuntur. Insuper *Connubium*, & *Nuptiae* nuncupantur a verbo *nubo*, quod idem est ac velo; quia olim velamine, quod *flammeum* dicebatur, puellae maritis in conjugium tradendae, capita sua veluti quadam nube tegebant.

Matrimonium, quod ab origine mundi Deus in officium naturae instituit, Christus in Evangelica Lege volens ortus nostri originem consecrare, ad veri sacramenti rationem evexit. Igitur sub vario respectu haec amplissima nuptiarum materia considerari potest, quam ut brevitati simul, & claritati consulam, tria in capita distribuam. In primo de his, quae Matrimonium praecedunt, ut sunt sponsa-

lia,

ia, & proclamationes: In altero de natura, & proprietatibus Matrimonii: In tertio de impedimentis Matrimonio adnexis agam.

C A P. I.

De Sponsalibus.

QUamvis Sponsalia ex natura rei ad Matrimonium necessaria non sint, quia ad Matrimonium sufficit mutua corporum traditio, quae fieri potest sine praevia tradendi promissione; praemitti tamen solent ac debent ubicunque praecipiuntur, praesertim ob denunciationes faciendas, & impedimentum si quod subsit, detegendum. De horum igitur natura, effectibus, & dissolutione hic pauca dicemus.

§. I.
De Natura Sponsalium.

Nota. *Sponsalia* dicta sunt a *spondendo*, ait Ulp.*l.2.§. de sponsalib.* nam moris fuit Veteribus *stipulari*, *&* *spondere sibi uxores futuras*. Interdum Sponsalia pro Matrimonio rato usurpantur. Hinc duo Sponsalium genera a Scriptoribus accipiuntur: *de futuro* Sponsalia dicuntur, quando inest

ineſt tantum mera promiſſio: *de praeſenti* Sponſalia nuncupantur, ſi in proprium corpus juris actualis donatio fiat. Item harrae, & munuſcula, quibus hae promiſſiones confirmari ſolent, Sponſalia appellantur. Sed uſus obtinuit, ut Sponſalium nomine intelligatur promiſſio de futuro Matrimonio, de qua nunc. Sit ergo

Prop.

Sponſalia recte definiuntur, futuri matrimonii promiſſio mutua, et deliberata, externis ſignis expreſſa inter perſonas ad contrahendum habiles.

Prob. ſimul, & explicatur definitio. Dicitur I. *promiſſio mutua*; quia hic contractus eſt onerosus, & una pars non praeſumitur ſe velle obligare, niſi altera acceptet, ac repromittat. Hinc 1. ſimplex propoſitum etiamſi mutuo manifeſtetur, ut ſi quis diceret, *propoſitum mihi ineſt*, *voluntatem habeo talem ducendi*, ad Sponſalia non ſufficit; quia propoſitum eſt voluntas faciendi, non vero ſe obligandi, uti eſſe debet promiſſio. 2. Qui ficte promittit, aut ex promiſſione obligari non vult, licet ob deceptionem in re gravi peccet mortaliter, & damnum ex ſua fraude exſurgens reparare teneatur, reipſa tamen Sponſalia non contrahit.

Dicitur II. *deliberata*, id eſt facta cum advertentia, quae ad mortale peccatum ſufficit; nam Sponſalia obligant ſub gravi

ad

ad contrahendum Matrimonium. Hinc 1. insani, amentes, ebrii, infantes usu rationis carentes contrahere Sponsalia nequeunt. 2. Juxta aliquos Sponsalia ex metu gravi inique extorta, etsi juramento firmata, nulla, & irrita sunt.

Dicitur III. *externis signis expressa.* Haec verba significant, non sufficere actus internos, sed debere externis verbis, aut signis promissionem manifestari, ut alter alterius fidem acceptare queat. Hinc per nutus Sponsalia contrahi possunt; ut liquet in mutis.

Dicitur IV. *inter personas ad contrahendum habiles*, quae aptae non sunt ad contrahendum Matrimonium, neque ad Sponsalia habiles reputantur: quia promissio de re impossibili nulla est. Hinc invalida sunt Sponsalia personae ligatae voto castitatis, vel suscipiendi Ordines sacros. Porro ad Sponsalia habiles sunt, qui aetatem habent requisitam, sufficientem capacitatem, & carent impedimento canonico.

Q. I. *Quaenam aetas requiratur ad contrahenda Sponsalia?*

R. Jure Canonico septennium completum; quia hac aetate communiter incipit rationis usus, & libertas: tamen juxta multos valent Sponsalia ante septennium, si usus rationis hanc aetatem praeveniat.

Q. II. *Quomodo contrahantur Sponsalia?*

R. Multipliciter. 1. Expresse, dicendo:

do: *Accipiam te in conjugem: Promitto tibi Matrimonium*. 2. Tacite; ut si parentes promittant pro liberis praesentibus, nec contradicentibus post pubertatem, *cap.* unico *de desponsat. impuber.* 3. Inter praesentes, vel absentes per procuratorem, aut literas. 4. Absolute, vel conditionate. 5. Publice, aut clandestine. Nota: Sponsalia clandestine contracta, valida, & obligatoria sunt; nam jure communi non prohibentur, neque ad eorum valorem requiritur praesentia Parochi, & testium, ut saepius declaratum fuit a Congregatione Concilii, teste *Fagnano*.

Nota I. Sponsalibus addi possunt *harrae*, & *poenae*, de quibus hîc breviter. 1. Harra est res mobilis, & immobilis in quavis quantitate, quae in Sponsalibus actu traditur inter promittentes pro securitate Matrimonii promissi. Differt harra a sponsalitia largitate, quae fit in signum amoris, animo, & sub spe Matrimonii contrahendi, & ob ejus caussam, sed non in ejus pignus, & vocatur *dotalitium*, *mundus muliebris* &c.

De harris haec sunt notanda ex *Lege* Si is, & *L.* mulier, *C. de sponsalib.* 1. Harrae licitae sunt; eas enim Jus approbat ex *l.* Harris, *C. de Sponsal.* 2. Inito Matrimonio, danti sunt restituendae, nisi aliud ferat loci consuetudo. Item si Sponsalia justâ de causâ dissolvantur. 3. Dans harram, si a

si a Sponsalibus injuste resiliat, eam amittit, & si eam ante receperat, restituere cogitur. Sin vero unus tantum harras sponsalitias recepit, seu sponsus, seu sponsa (dummodo major sit annis), seu parens, ejusque caussâ accidit, quominus promissae nuptiae sequerentur, statutum est in *l.* ult. *C. de sponsal.* ut duplicatas restituere cogatur. Quod si justa caussa adsit resiliendi, sufficit reddere harras, sicut etiam in casu, quo minor sit.

2. Poena Sponsalibus apponi potest 1. positive, ita ut sponsum, vel alium privet aliqua boni sui parte. E.G. Si quis dicat: *Promitto nuptias sub poena, ut qui promissis non steterit, solvat centum*, & dicitur *poena conventionalis*. 2. Negative, ita ut pars resiliens nihil quidem amittat de suo, sed alienum nullo pacto lucretur. E.G. Si quis puellae centum se daturum spondeat, si secum nubere velit, alias non daturus; vel si testator legatum virgini relinquat, si tali nubat, alioquin legatum amittat, & dicitur *pactum lucrativum*. His positis,

Dico I. Spectato Matrimonii fine, & legum prohibitione, poena conventionalis indefinite, & generatim Sponsalibus adnexa sive a sponsis, sive a sponsarum parentibus, est illicita, & invalida, etsi jurata.

Prob. ex *cap.* Gemma, *de sponsal.* & *cap.*

cap. finali eod. tit. ubi dicitur: *Cum libera matrimonia esse debeant, ideo talis stipulatio propter poenae interpositionem improbanda est.* Dixi 1. *sive a sponsis, sive a sponsarum parentibus:* quia utraque libertati matrimonii obest; istorum enim damnum sponsos cogere potest ad contrahendum. Dixi 2. *etsi jurata.* Hujusmodi enim stipulationes, utpote contra legem factae, juramento non firmantur. Dixi 3. *indefinite, et generatim;* nam multi praesertim ex Summistis docent, poenam conventionalem impositam parti injuste resilienti a Sponsalibus, licitam, & validam esse.

Dico II. Pactum lucrativum ab ipso contrahente Sponsalibus appositum, etsi tanquam jure invalidum rescindi debeat, si tamen justa caussa adsit, vel a tertia persona fiat, licitum est.

Prob. 1. pars ex *L.* Si ita stipulatus, §. *si tibi ff. de V. O.* Ratio, quia Matrimonia cum hoc pacto, non mutuo amore, sed ex turpi quaestu comparari censentur.

Prob. 2. pars. Si adsit caussa justa, ut si fiat dotis nomine, vel ad compensandam inaequalitatem personarum, puta si plebejus nobilem ducat; quia tunc cessat turpitudinis praesumtio.

Prob. 3. pars. Quia tunc non turpis quaestus, non damni poena, sed liberalis promissio, seu donatio sub conditione censetur: *Aliud est enim eligendi matrimonii po-*

poenae metu libertatem auferri; aliud ad matrimonium certa lege invitari, leg. Titio §. 1. ff. *de condit. & demonstrat.*

Nota II. Sponsalia filiorum-familias insciis parentibus contracta, sunt illicita, utpote contra praeceptum honorandi parentes: Imo sunt irrita, si prudenter grave scandalum timeatur ex eo Matrimonio; quia sunt de objecto illicito, & virtus justitiae non potest obligare ad actum, qui sine peccato impleri non potest: sed de hac quaestione cap. seq. redibit sermo.

§. II.
De Effectibus Sponsalium.

Nota: Tres sunt Sponsalium effectus. 1. gravis obligatio contrahendi Matrimonium. 2. Impedimentum publicae honestatis, 3. Jus inchoatum ad rem sive in corpora. Circa priorem effectum videndum, an, & quo tempore obligent Sponsalia ad contrahendum Matrimonium. Circa 2. dicam cap. 3. hujus Tractati. Circa 3. an ita obligent ad servandam fidem, ut gravior sit in sponsis, quam in omnino solutis fornicatio.

Prop. Unica.

Sponsalia ad contrahendum Matrimonium graviter obligant, idque si nihil obstet tempore inter sponsos praefinito, aut quamprimum commode fieri potest, si nullum tempus praefixum fuerit, Prob.

Prob. 1. pars. Omnis contractus onerosus obligat ex justitia, ideoque sub peccato mortali, si materia gravis sit. Atqui Sponsalium contractus onerosus est, & in materia gravissima. Ergo peccat, & quidem graviter, qui sine caussa a Sponsalibus resilit.

Prob. 2. pars. In ceteris contractibus tempus praefinitum servari debet, quia est promissum, & *solutum solvitur non minus quantitate, quam die, leg.* 85. *ff. de solutionib.* Ergo & in Sponsalibus, si tempus sit praefinitum, hoc servandum, nisi pars expresse, vel tacite in dilationem consentiat.

Prob. 3. pars. Si nullum tempus sit praefinitum, contrahere tenentur, quamprimum commode fieri potest. Idque colligitur ex *l.* 14. *ff. de reg. Jur.* ubi haec habentur: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, praesenti die debetur.* Ergo si distulerint, erunt in mora culpabili, nisi temporis parvitas excuset.

Ex dictis colliges I. eum qui ex animo promisit alteri etiam conditionis longe inferioris Matrimonium, teneri illud contrahere; dummodo conditionis disparitas non fuerit ab altera parte ignorata, & ex tali conjugio scandala, odia, inimicitiae, graves rixae inter parentes, vel consanguineos non timeantur, & tunc quae sint damna data, vel dotem augendo, vel alio congruo modo compensantur. II. Qui

injuste contractam Sponsalium obligationem non vult implere, in foro conscientiae absolutionis negatione compellendum esse, ut Sponsalia legitime contracta impleat. Sed difficultas in praxi est, quando hoc expediat. Regula certa & definita designari nequit: verum in hisce casibus meminisse oportet illud *Lucii III. cap. 17. de sponsal. Cum coactiones difficiles soleant exitus frequentes habere, monendus est potius, quam cogendus.*

Q. *An sponsis specialiter sit prohibita fornicatio cum alio, ita ut peccent non solum contra temperantiam, sed etiam contra fidelitatem, et justitiam, debeantque hanc circumstantiam in Confessione explicare?*

R. Affir. Ita multi, quia ex parte utriusque injuria irrogatur juri, quod unus acquisivit ad rem, sive ad corpus alterius. Haec fornicatio licet sit contra justitiam, & fidelitatem, non tamen est species adulterii, quia proprie adulterium in nuptam committitur, *l. 6. ff. ad l. Jul. de adult.* unde adulterium dicitur *alieni tori violatio.*

Nota, Sponsi graviter monendi sunt, ne sub eodem tecto habitent, ne mutuus & flagrans amor ex nimia propinquitate, & familiaritate erumpat in flammas impuras. Hinc in Dioecesi Neapolitana excommunicatione Archiepiscopo reservata plectuntur permittentes sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem etiam pro una

una vice. In eandem excommunicationem incurrunt sponsi, & sponsae carnalem inter se copulam habentes, nec non qui eam permittunt. Sponsalia enim a peccato non excusant actus illos, qui in sponsis, si essent soluti, forent peccata, & contra sextum praeceptum.

§. III.
De Dissolutione Sponsalium.

Q. I. *Quomodo dissolvantur Sponsalia?*

R. Sponsalia etsi jurata multis de caussis dissolvi possunt. Nam I. dissolvuntur mutuo partium consensu, sicut eodem contracta sunt: II. per matrimonium valide cum alia initum: III. per superveniens impedimentum dirimens matrimonium: IV. per discessum unius in regionem longinquam sine consensu alterius, *cap. 5. de sponsal.* nam censetur juri suo cedere: V. per subsequentem fornicationem, idque in favorem solius partis innocentis: VI. per ingressum in Religionem, secuta professione. Num vero solo ingressu solvantur respectu utriusque partis, alii affirmant, alii negant: sed probabilior videtur opinio *Geneti*, *Basilii*, *Rebelli*, quos citant & secuntur Salmanticenses, quae defendit Sponsalia per ingressum unius sponsorum in Religionem solvi respectu remanentis in seculo, eo quod qui Religionem ingreditur,

 rea-

reapse cedit juri suo, renuntians facto Sponsalibus; adeoque compars libera est ad contrahendum cum quolibet alio. Ingrediens vero Religionem, ne aditus fraudibus pateat, obstrictus Sponsalibus manet, ita ut si ante professionem a Religione egrediatur, & altera pars velit, teneatur Sponsalia implere. Quae sententia etiam *Concinae* probabilior videtur. VII. Per susceptionem Ordinis sacri. An vero peccet graviter, qui inscia parte altera post contracta Sponsalia Ordines sacros suscipit, quamvis aliqui affirment, communior tamen, & probabilior sententia, teste *Concina*, negat; cum in Sponsalium contractu, utpote per eum fit promissio assumendi statum, in quo creaturae inserviendum est, semper subintelligatur conditio, *nisi elegero statum meliorem inservendi Deo*. VIII. Per notabilem mutationem Sponsalibus supervenientem in bonis animi, corporis, & fortunae. Hinc dant caussam dissolvendi Sponsalia 1. magna morum mutatio, haeresis: 2. notabilis deformitas, morbus contagiosus, & immedicabilis: 3. paupertas superveniens, defectus dotis promissae. Horum autem omnium ratio est, quia virtualis spondentium intentio est noluisse se obligare ad standum promissis in hisce casibus, qui si praevisi fuerint, promissio non esset facta. At per divitias supervenientes uni sponsorum, altero persistente in eodem

ſtatu, juxta probabiliorem ſententiam non diſſolvuntur Sponſalia; cum nulla facta ſit mutatio in alia comparte, cujus cauſſâ a contractu poſſit altera pars reſilire. IX. Per capitales inimicitias, quae inter deſponſatos ſubortae ſint.

Q. II. *An impuberum Sponſalia mutuo conſenſu diſſolvi poſſint?*

R. Neg. antequam ad annos pubertatis pervenerint, *cap.* 7. *de Sponſal. impuber.* quod ſtatutum eſt, ne ob aetatis tenerae inconſtantiam nimis frequenter contrahant, & reſcindant ſponſalia. Sed nota hîc 1. Sponſalia ab utroque vel alterutro contrahentium impubere poſt aetatis diſcretionem inita, partim ſunt rata, partim ſuſpenſa. Rata ſunt, quia & impedimentum publicae honeſtatis pariunt, *cap.* literas, *cap.* accepit, *cap.* continebatur, *de ſponſal. impuber.* & illa minori aetate durante a ſponſalibus reſilire nequeunt. Suſpenſa vero ſunt, quia adepta pubertate ſtatim reclamare ambo, vel unus aliorum poteſt, & ſponſalia reſcinduntur, licet altera pars renuat. 2. Si acquiſita pubertate, vel poſt triduum non contradicant, videntur ſponſalia ratificare; ita ut nequeant poſtea ad unius partis reclamationem diſſolvi. 3. Unus ſi prius altero ad pubertatem perveniat, non tenetur alterius pubertatem exſpectare, ſed reſilire continuo poteſt. 4. Si pubes cum impubere ſponſalia

contrahat, nequit resilire a contractu; impubes vero pubertatem adeptus, resilire valet. Si copula inter impuberes secuta sit, non datur amplius resiliendi locus, *cap. 19. de sponsal.* Idem docent, si juramento fuerint confirmata: sed probabilius alii negant, quia juramentum sequitur naturam actus cui adhaeret; nisi fuerit aliter in lege dispositum.

Q. III. *Num solvantur Sponsalia per votum vel ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordines sacros, vel castitatis perpetuae?*

R. I. Hoc votum ante sponsalia emissum, illicita, & irrita sponsalia reddit; quia ipsorum promissio cum sit de re illicita, non obligat.

R. II. Ejusmodi votum sponsalia subsequens juxta multos ea non dirimit; quia factum in praejudicium tertii, proinde a Deo non acceptatur: sed ab aliis probabilius pro valido, & licito propugnatur, etiamsi sponsalia juramento confirmata essent; quia nuptiales promissiones fieri sub hac tacita conditione censentur, *nisi meliorem statum elegero, inserviendi Deo.*

Q. IV. *An sponsalia praecedentia dirimantur per posteriora sponsalia?*

R. Neg. Nam sponsalia posterius inita cum alia contra fidem priorum, sunt illicita, & invalida, etiamsi juramento confirmata sint; quia sunt de re illicita, & contra

tra jus jam acquisitum priori sponsae. Quod verum est, etiamsi praecedentia clandestine, & posteriora publice contracta sint. Nota: Aliquando ex quadam aequitate standum posterioribus sponsalibus, si gravia damna posteriori sponsae illata aliâ viâ, quam per Matrimonium, resarciri nequeant, & nullum, vel leve incommodum ex violatione priorum sponsalium oriatur.

APPENDIX

De Proclamationibus.

Proclamationes, quae etiam dicuntur *banna*, sunt futuri Matrimonii publicae denunciationes ad impedimenta detegenda. Nota I. ex Conciliis *Lateran. IV.* & *Trident. Sess. XXIV. cap.* 1. graviter praecipiuntur. Quare qui sine illis, vel earum legitima dispensatione contrahunt, & Parochus assistens, graviter peccant, nisi urgens necessitas excuset: cujusmodi est, si moriturus sine denunciationibus, vel earum legitima dispensatione, quia non potest adiri Episcopus, cum pellice contrahat. II. Praemittendae sunt ante celebrationem Matrimonii a proprio utriusque contrahentis Parocho tribus diebus festivis continuis, non tamen consequentibus, ut explicat Synodus nostra inter Missarum sollemnia. Ceterum etiam extra Missam fieri

possunt, ut ante, vel post concionem aliamque functionem ecclesiasticam, dummodo populi frequentia adsit; cum finis earum salvetur. Et si infra duos menses ab earum publicatione matrimonium non contrahatur, ex *Rituali Rom.* sunt denuo repetendae. III. Qui extra Confessionem novit aliquod impedimentum etiam occultum inter eos, qui contrahere Matrimonium debent, tenetur illud manifestare, nisi urgens caussa excuset. Hinc ex Synodalibus Constit. nostrae Dioecesis *part.2.c.9.* ipso facto sunt excommunicati, qui scientes verum impedimentum, illud non revelaverint: qui vero falsum dolose objecerint, nec non auxilium, vel consilium ad illud dolose objiciendum conferentes, reservatam excommunicationem incurrunt. IV. Potest Episcopus justâ de caussâ in totum, vel in partem denunciationes remittere, vel dare licentiam, ut in Ecclesia fiant post Matrimonium legitime contractum ante illius consummationem, & tunc contrahentes juxta communiorem sententiam peccant toties, quoties matrimonium consummant, usquequo denunciationes suppleantur. Secus, si etiam ab his supplendis adesset Ordinarii dispensatio.

CAP.

CAP. II.

De *Matrimonii natura*, *ejusque proprietatibus*.

NOta I. Matrimonium communiter definitur: *Maris*, *&* *feminae conjunctio maritalis*, *ac legitima*, *individuam vitae consuetudinem retinens*, *ex cap.* 2. *de praesumt*. Dicitur 1. *conjunctio maritalis*, ut distinguatur ab aliis conjunctionibus, quales sunt filiales, aut fraternae. Dicitur 2. *legitima*, idest legibus conformis. Dicitur 3. *maris*, *&* *feminae* ad excludendam pluralitatem, seu polygamiam. 4. *Individuam*: haec verba significant perpetuam societatem, quam dissolvere sola mors potest. Porro Matrimonium potest accipi pro contractu, & pro vinculo per hunc contractum inducto, & tandem pro sacramento. Acceptum pro *contractu* definiri potest: *Contractus legitimus*, *quo vir*, *&* *femina sibi mutuo tradunt*, *&* *acceptant corporum potestatem in ordine ad actum generationis*, *ut se obligent ad se mutuo juvandum*, *&* *perpetuo cohabitandum*. Sumtum pro *vinculo* explicatur definitione superius tradita. Tandem acceptum pro *Sacra-*

mento est contractus modo descriptus, *divinitus institutus in signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, habens promissionem gratiae ad uniendos simul conjunctim animos, & prolem pie, ac sancte educandam.*

Nota II. Insuper Matrimonium dividitur in *legitimum*, *ratum*, & *consummatum*. Legitimum dicitur, quando legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est; quale est etiam num Matrimonium infidelium: unde ut tale, non est sacramentum, aut praescindit a ratione sacramenti. Ratum est illud, quod est legitimum, & sacramentum, sed nondum carnali copula consummatum: Tale est inter solos baptizatos, sed juxta multos ratum dicitur non ratione sacramenti, sed quia ab Ecclesia approbatur. Consummatum appellatur illud, quod per conjugalem copulam completur.

Nota III. De fide est, Matrimonium verum esse Novae Legis sacramentum. *Trid. Sess. XXIV.* anathema dicit his, qui contrarium sentiunt. Verum in designanda ejus materia, & forma Theologi e Schola adeo incostantes & varii sunt, ut nihil certi in tanta illorum varietate ac discrepantia statui possit, ut advertit *Canus lib.8.de loc.theolog. cap.* 5. Sunt enim qui signant pro materia remota contrahentium corpora; pro materia proxima mutuum ipsorum consensum, quatenus exprimitur; pro forma

ma autem eundem consensum, quatenus acceptatur; minister vero ex ipsorum sententia, & subjectum, est uterque ex contrahentibus. Alii docent hujus sacramenti materiam esse consensum contrahentium exterius expressum, formam vero verba Sacerdotis contrahentes conjungentis in matrimonium, qui proinde ejus minister est. Alii alia docent. Qui plura cupit, legat *Juveninium de Matrim. Le-Brunium lib. 10. de Sacram. q. 2.* Pro praxi rite serventur quae in Ritualibus Ecclesiae describuntur in celebratione Matrimonii: interim quae magis ad institutum nostrum pertinent, videamus.

§. I.
De Consensu Nuptiali.

Prop.

Ut validum sit Matrimonium, utriusque conjugis consensus requiritur.

Prob. Matrimonium est legitimus contractus, in quo fit mutua corporum traditio. Atqui haec sine contrahentis consensu perfici nequit. Ergo. In quolibet enim contractu bona unius non transeunt in potestatem alterius, nisi domini voluntate accedente, aut lege suprema imperante. Atqui nulla lex cogere potest ad matrimonium contrahendum. Ergo solo reciproco consensu dominium in conjugum corpora

 trans-

transfertur. Hinc *Eugenius VI.* in decreto ait: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus*. Ubi nota vocem *regulariter*, non afficere consensum, sed illas particulas, *per verba de praesenti expressus*.

Q. *Quaenam conditiones requirantur ad consensum, ut validum efficiat Matrimonium?*

R. Consensus debet esse internus, mutuus, de praesenti, per verba vel alia signa sensibilia expressus, plene deliberatus, in se liber, & immunis a metu gravi.

Et 1. quidem consensus debet esse *internus*, & *mutuus*. Nam *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum, cap. 25. de Sponsal.*

Ex dictis colliges I. peccare, & quidem graviter illum, qui simulate contrahit matrimonium 1. contra veracitatem ratione mendacii: 2. contra justitiam, quia alterum contrahentem fraude, & dolo decipit: 3. contra reverentiam sacramento debitam, quia falso, & sine intentione adhibet ejus signa.

Colliges II. absolute loquendo, sub gravi peccato constringi illum, qui simulate contraxit, ad vere & sincere consentiendum, & ad ducendam ex animo feminam, cum qua ficte contraxit; tum ut injuriam parti illatam resarciat; tum ut damna, & scandala, quae inde suboriri possent, impediat.

Di-

Dixi, *absolute loquendo*. Nam quando certa, & indubitata argumenta fictionis occurrunt, tum si justa caussa adsit, post reparatum damnum parti laesae illatum, irritum declaratur tale matrimonium fictum, ut non teneatur simulator verum praestare assensum. Justae, & sufficientes rationes hujusmodi Matrimonia sunt 1. maxima disparitas inter contrahentes; 2. si scandala, inimicitiae, caedes ex eo matrimonio oritura timeantur; 3. si tanta fuerit evidentia deceptionis, ut possit praesumi, mulierem voluisse decipi, & non fuisse vere deceptam.

Nota: Uni Conjugi affirmanti etiam cum juramento, se non consensisse in Matrimonium, fidem alter conjux adhibere non debet, aut alterum inire conjugium potest; quia verosimilius est, quod tunc mentiatur, quam quod id commiserit in actu principali. Ita docet *Innocentius III.* in *cap.* Per suas, *de probationib.*

2. Ad Matrimonium requiritur consensus *verbis*, *aut signis de praesenti expressus*, *cap.* 13. *de sponsal.* quia per sola verba de praesenti fit traditio, in qua consistit Matrimonium; nam per verba de futuro fit solum promissio. Hinc illis verborum formulis consensus matrimonialis exprimendus est, quae juxta Patriae, & Nationum idioma proferunt consensum reciprocum de praesenti; ut sunt ejusmodi,

accipio te in meum, vel in meam te duco &c.

Nota. Consensus interior nullo exteriore signo expressus, ad Matrimonium non sufficit; tum quia is consensus est materia sacramenti, quae necessario sensibilis sit oportet; tum quia mutua consensus acceptatio, haberi non potest, nisi per signa exteriora manifestetur. Quamvis autem ad Matrimonii valorem sufficiat quodvis signum, sufficienter ejus consensum manifestans, ut patet ex *cap.* Tuae fraternitatis; tamen in contractu tanti momenti formalia verba usurpari debent, ut absit omne periculum dubii de exsistentia consensus.

3. Debet esse *plene deliberatus*, idest factus cum advertentia rationis sufficiente ad mortale. Item debet esse in se liber, idest non in caussa tantum. Hinc non valet, si datus sit in ebrietate voluntaria, in qua fuit praevisus. Item immunis a metu injusto: sed de hoc dicetur infra de impedimentis.

4. Demum requiritur, ut partis utriusque consensus moraliter simul exsistat; ita ut cum unius consensus ab alio ponitur, consensus ab alio antea praestitus virtualiter perseveret; nam id omni contractui sufficit: aliter iniri non posset Matrimonium per literas, vel procuratorem.

§.III.

§. III.
De Consensu Nuptiali Conditionato.

Q. I. *An ad valorem Matrimonii sufficiat consensus conditionatus?*

R. I. Si Matrimonio, aut sponsalibus apponatur conditio de praesenti vel de praeterito, posita conditione, consistunt sponsalia, & Matrimonium: quia conditione exstante, consensus transit in absolutum: sublata conditione, nulla sunt sponsalia, & matrimonium; quia tunc abest consensus.

Hinc resolves: Si quis dicat: *Accipio te in meam, si sis virgo, si sis nobilis*, valet matrimonium, si virgo est, si primogenita est: secus, si hujusmodi conditio non subsistat.

Nota: Conditiones generales, ut si dicas, *ducam te, si Deo placuerit*. Conditiones necessariae, ut si dicas, *ducam te, si sol cras oriatur*. Conditiones peculiares, & intrinsecae, sine quibus consistere Matrimonium nequit, puta, si quis dicat, *accipiam te in conjugem, si ab alio Matrimonio sis libera, si non sis mea consanguinea*, nullo modo suspendunt matrimonium; quia naturâ carent verae suspensionis, cujus est effectum suspendere.

R. II. Si conditio Matrimonio adjecta, sit honesta, & possibilis de futuro contin-

tingenti, puta si quis dicat, *Accipio te in uxorem, si pater meus consenserit*, non perficitur matrimonium, donec conditio impleatur: quia matrimonium non perficitur, nisi per consensum praesentem expressum, & absolutum, quem consensum suspendit conditio de futuro contingenti. Valor itaque actus suspenditur usque ad conditionis eventum, quem tenentur contrahentes exspectare, eumque non impedire.

Hinc resolves: Si quis sub conditione contingenti de futuro unam duxerit, & ante impletam conditionem, alteram absolute ducat, valebit secundum Matrimonium, licet sit illicitum. Si autem contraxerit cum duabus sub ea conditione, valebit Matrimonium cum illa, cum qua conditio prius implebitur. Si vero conditio simul eveniat, & impleatur respectu utriusque Matrimonii, neutrum erit validum; quia incertitudo vitiat Matrimonium, *cap.* Ex literis 2. *de sponsal.* Quod si conditio non impleatur, nullus est contractus.

Nota. Secundum multos contractus nuptialis sub tali conditione initus, habet potius vim sponsalium, quam Matrimonii; hinc purificata conditione, non erit validus, nisi apponatur novus consensus. Sed alii negant requiri novum consensum: adveniente vero conditione, statim contractus evadit absolutus, si contrahentes priorem consensum non revocaverint. At sententia

tia

tia priorum est probabilior, cum conditio adjecta consensum praesentem suspendat: quare ea impleta necessarius est consensus novus, ut sis praesens.

R. III. Matrimonium contractum sub conditione impossibili, vel turpi, quae Matrimonii substantiae non adversatur, ut si dicas: *Contraho tecum, si furto victum quaeras*, regulariter validum est. Prob. ex *cap. fin. de condition.* ubi *Gregorius IX.* declarat, has turpes conditiones rejici, & pro non adjectis haberi in favorem Matrimonii; contrahentes enim sub his conditionibus praesumuntur jocari potius, & absolute contrahere velle, quam invalide, & cum gravi culpa.

Dixi, *regulariter*. Nam si partes nollent vere contrahere, nisi verificata conditione, tunc Matrimonium esset quidem invalidum defectu consensus: in dubio tamen praesumendum, conditionem appositam esse non animo suspendendi consensum.

R. IV. Conditiones, quae tria Matrimonii bona, videlicet prolem, fidem, & sacramentum impetunt, nullum efficiunt Matrimonium.

Prob. ex eod. *cap.* fin. *de condit. appositis*. *Si Conditiones contra substantiam conjugii inferantur .... Matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu*. Hinc resolves. Si quis dicat: *Accipio te, si generationem devitaveris: du-*

co

co te, si adulterandam te prostitueris: contraho tecum, usque dum nobiliorem, vel ditiorem invenero; Matrimonium nullum erit: quia istae, & similes conditiones inficiunt ipsam Matrimonii substantiam.

Nota. Multi docent non rescindi Matrimonium initum cum prava intentione adulterandi, aut prolem vitandi, dummodo in pactum non sit deducta; ac probant exemplo Professionis religiosae, in qua intentio violandae castitatis religiosam professionem non destruit: quam tamen destruit stipulatio cum superioribus facta, ne Professus ad castitatem obligetur. Secus vero, si contrahas cum intentione non servandi bonum sacramenti: quia haec intentio etiam mente retenta, omnino destruit consensum ad valorem hujus contractus essentialiter requisitum.

Q. II. *An valeat Matrimonium initum cum conditione perpetuae castitatis?*

R. I. Aliqui docent validum esse hoc Matrimonium sub hujusmodi conditione abstinendi a copula; quia essentia Matrimonii solum consistit in mutua traditione, & acceptatione corporum, sive in jure & obligatione ad copulam. Ergo contrahentes licet hoc jure se abdicare nequeant, possunt tamen se obligare ad non usum illius, in quo casu jus remotum, & radicale ad copulam manet.

R. II. Alii negant Matrimonium sub con-

conditione perpetuae castitatis contractum, validum esse; quia sub tali conditione non solum carnalis copula aufertur, sed etiam jus ad copulam, & potestas mutua in propria corpora: cum uterque conjux obligetur ad non petendum neque reddendum debitum. Contra hanc assertionem solet hîc objici Matrimonium B. Virginis cum S. Joseph, quod sub conditione perpetuae castitatis contractum asseritur. Sed reponunt cum *D. Thoma*, SS. Sponsos absolute contraxisse, nullo adjecto pacto sibi reciproce nunquam reddendi debitum; quamvis animum habuerint ab omni carnali copula abstinendi: quae intentio non cognoscendi conjugem, matrimonii substantiam non inficit, nisi deducatur in pactum. Vide *D. Thom.* 3. *p. q.* 29. *art.* 2.

Nota. Conditio differt a demonstratione, caussa, modo, die; quia conditio rigorosa suspendit valorem actus; demonstratio vero indicat qualitatem personae: ut *duco te, quae nobilis es*. Caussa assignat motivum contrahendi: ut *accipio te, quia nobilis es*. Modus contractui jam absoluto onus adjicit; puta *duco te, ut mihi officium obtineas*. Istae, & similes qualitates contractui adjectae consensum non suspendunt, nec matrimonium inficiunt, licet falsae sint, aut turpes. Excipe modum contra tria bona Matrimonii, qui juxta multos contractum nullum reddit, si in pa-

ctum

ctum deducatur. Item juxta aliquos dies appositus: ut *duco te post tres dies*, consensum suspendit.

Q. III. *An ad valorem Matrimonii requiratur consensus parentum?*

R. Neg. Prob. ex *Trid. sess. XXIV. cap.* 1. *de Reformat.* ubi damnat eos, *qui falso affirmant, matrimonia a filiis-familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse*. Insuper nullo jure naturali, vel divino positivo Matrimonia filiorum irrita sunt, parentibus insciis, vel invitis contracta; nam 1. jure naturae solus contrahentium consensus requiritur, si natura contractus spectetur. 2. Nullum occurrit Scripturae testimonium, quo talia Matrimonia irrita declarantur. Ergo.

Q. IV. *An mortaliter peccent filii, insciis, & invitis parentibus, Matrimonia contrahentes?*

R. Affir. Regulariter loquendo; quia peccant contra praeceptum divinum honorandi parentes in negotio omnium gravissimo, ex quo totum pendet vitae institutum, pax & conservatio familiarum: unde *Trid.* loc. laud. declarat, Ecclesiam ex justissimis caussis talia Matrimonia semper detestatam esse. Hinc Parochi tenentur diligenter inquirere, num contrahentes sint sui, vel alieni juris, ne assistendo nuptiis, patri juste dissentienti invisis, filiis-familias oc-

occasionem inobedientiae praebeant.

Dixi, *regulariter loquendo*. Nam si parentes suum consensum rogati, sine justa caussa denegent, tunc filii licite nubere valent; quia parentes sunt irrationabiliter inviti.

Nota. Multi probabiliter defendunt usque ad seculum XII. Matrimonia filiorum-familias inita sine consensu parentum, nec non conjugia servorum, non consentientibus dominis, irrita fuisse declarata tum Caesareo, tum Canonico Jure. Verum postea consultius visum est Ecclesiae, has leges corrigere, & abrogare, ut deinceps nuptiarum validitas a solo penderet contrahentium consensu, nequaquam vero a nutu eorum, sub quorum dominio, vel potestate contrahentes exsistunt: quod post varias sanctiones generatim sancitum legimus in *Trid.* loc. laud. Vide *Juveninium de Sacram. diss.* 10. *q.* 5. *art.* 2.

Q. V. *An Matrimonium valide contrahatur per procuratorem, & inter absentes?*

R. Affir. Quia Christus Dominus elevando Matrimonium ad rationem sacramenti, nihil immutavit de natura contractus. Atqui alii contractus valide fieri possunt inter absentes per procuratorem, vel per literas: Ergo & Matrimonium. Adde praxim Ecclesiae sic contrahi permittentis, ex *cap.* un. *de procuratorib. in 6.* contra quam praxim nihil in *Trid.* immutatum legimus.

No-

Nota I. Jure Canonico sequentes conditiones praescribuntur servandae a procuratoribus: 1. Ut procurator speciale mandatum habeat ad Matrimonium contrahendum. 2. Ut procurator alium sibi non substituat, nisi hoc ei sit specialiter commissum. 3. Ut facultas data procuratori, non sit tempore, quo contrahit alterius nomine, revocata, etiamsi revocatio non innotuerit procuratori, ex *cap.* fin. *de Procur. in 6.* 4. Ut facultas data, sit determinata cum certa persona. 5. Ut procurator non excedat mandati limites. 6. Ut procurator Matrimonium contrahat coram Parocho, & duobus testibus.

Nota II. Omnes fatentur, Matrimonium inter absentes per procuratorem celebratum, validum esse in ratione contractus naturalis, & civilis. At num valeat etiam in ratione sacramenti, acriter disputatur. Probabiliter valere affirmat *Tournelynius* cum multis; quia 1. Ecclesia talia matrimonia approbat, nec unquam declaravit, ea non esse sacramenta. 2. In talis Matrimonii contractione nihil videtur deesse, quod ad veram sacramenti rationem requiratur: non materia, cum adsit contractus nuptialis, licet per alium initus: non forma, non minister, cum celebretur coram Sacerdote nuptias consecrante. Ergo. 3. Matrimonium per procuratorem eo ritu religioso celebratur, quo cetera matrimonia.

nia. Ergo valet in ratione sacramenti, sicuti valent cetera.

§. IV.
De Unitate Matrimonii, ubi de Polygamia.

Nota I. Tria Matrimonii bona post *Augustinum* cognoscunt Theologi, videlicet *fidem*, *prolem*, & *sacramentum*. Fides seu fidelitas, qua conjugi promissa servantur. Hinc conjux fidem violare dicitur, si alteri sui copiam faciat. Proles est Matrimonii finis, cujus procreandae gratiâ contrahitur. Hinc contra hunc finem conjux peccat, si positive, & mediis illicitis prolem impediat. Sacramentum indissolubilitatem, & firmitatem contractus prodit. Hinc oritur obligatio non dissolvendi Matrimonii vinculum. In fide igitur unitas, seu unius cum una conjunctio; in sacramento perpetuum indissolubile vinculum intelligitur.

Nota II. Matrimonii unitati opponitur *polygamia*, seu uxorum pluralitas, quae vel *successiva* esse potest, cum nempe mortuo priore conjuge, ad secundas nuptias superstes transit; vel *simultanea*, cum eodem tempore unus vir plures uxores, aut una uxor plures viros habet: quae posterior proprie dicitur *polyandria*.

Nota III. Certum est, 1. polyandriam, sive

five conjunctionem unius feminae cum pluribus viris esse contra jus naturale, nec unquam fuisse permissam; quia cum primario Matrimonii fine pugnat, nempe prolis generatione, quae plurium commixtione virorum vel impeditur, vel rarissime sequitur, & quando non impeditur, incertam reddit paternam prolis originem: quae incertitudo prolis educationi adversatur.

Nota IV. Certum est 2. polygamiam successivam tam viro, quam mulieri licitam esse, contra *Montanistas*, quibus accesserunt *Tertullianus*, & *Novatiani*; nec unquam Ecclesiam secundas nuptias prohibuisse ut noxias, licet contra libidinem, ex qua contrahi solent, olim durius egerit; quoniam nubentes poenitentiâ, & Sacerdotalis benedictionis privatione plectebantur; sed eorum conjunctiones legitimae censebantur: nunc bigamia & parit irregularitatem, & nuptiali benedictione caret. His positis, de simultanea pluralitate uxorum remanet aliquid dicendum.

Prop. I.

Polygamia simultanea non primariis, sed secundariis naturae principiis repugnat.

Prob. 1. pars. Polygamia simultanea non pugnat cum primario Matrimonii fine, qui est prolis generatio, & educatio. Ergo primariis naturae principiis non adversatur. Antecedens prob. Polygamia ge-

ne-

nerationem non impedit, neque per eam incerta redditur proles, cum unius vir sufficiat pluribus uxoribus fecundandis, & educandis filiis ex ea natis. Ergo. Ita *D. Thomas in Suppl. q.* 65. per totum.

Prob. 2. pars. Pluralitas uxorum pacificae cohabitationi adversatur, perfectam sobolis educationem difficilem reddit, & aequalitatem tori perturbat: quae omnia pugnant cum secundario Matrimonii fine: Ergo & cum secundariis naturae principiis.

Nota. Jus naturale aliud est *invariabile* & *immutabile*: cujusmodi sunt prima & universalia mandata, quae primaevum naturae finem spectant; in his nulla est dispensatio, nulla interpretatio. Aliud est jus naturale *variationi obnoxium* ratione temporum, & circumstantiarum. Hanc veritatem solus Deus universi naturae juris comprehensor, & moderator cognoscit, idcirco solus Deus in eo dispensare potest. Hinc habes polygamiam ratione temporum, & circumstantiarum variationi, & dispensationi obnoxiam esse; quia non primariis, sed secundariis naturae principiis repugnat. Hinc ad populi Dei propagationem, & ad aliquorum mysteriorum significationem Deus dispensavit antiquos Patriarchas diluvio posteriores, ut fert communis sententia, teste *Concina*: quin & Judaeos omnes, ut simul plures haberent uxores. Juxta multos isthaec dispensatio compre-

hendebat etiam Gentiles: & hoc negant *Estius*, aliique.

Prop. II.

Christus Dominus in Novo Testamento polygamiam simultaneam sustulit.

Prob. I. Propositionem hanc definivit *Trid. sess. XXIV. can.2.* his verbis: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.* Et paullo superius docet Matrimonium cum pluribus uxoribus non solum esse prohibitum, sed etiam irritum & inane, inquiens: *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi, Christus Dominus apertius docuit.*

Prob. II. ex Scriptura. *Lucae XVII. Omnis*, ait Christus, *qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, moechatur.* Ergo a fortiori moechatur, qui, priore retenta, novam ducere audet: & *Matth. XIX.* Matrimonium ad primaevam originem revocat, in qua erant duo tantum in carne una. Ergo Christus polygamiam antiquis concessam sustulit, in qua non sunt duo in carne una, sed vel tres, vel plures. Ita *Innoc. III. cap. 8. de divortiis.*

Nota. Non solum Christiani, verum etiam Infideles omnes Christi lege, qua polygamia abrogatur, obstringuntur; quia Lex Evangelica universalis est. Hinc *Innoc. III. cap.* Gaudemus, *de divortiis* docet, infideles habentes plures uxores, si ad fidem con-

convertantur, primâ retentâ, dimittere ceteras debere.

§. V.
De Indissolubilitate Matrimonii.

Nota. Matrimonii indissolubilitas potest considerari vel quoad vinculum, seu translationem dominii, vel quoad torum & cohabitationem; unde videndum est 1. an Matrimonium possit solvi quoad vinculum: 2. an manente vinculo, institui possit separatio tori.

Prop. unica.

Matrimonium utroque jure naturali, & divino firmum & indissolubile est quoad vinculum.

Prob. I. ex jure naturae. Firmitas Matrimonii necessaria est ad assequendos Matrimonii fines: qui sunt sobolis conveniens procreatio, ejusdem commoda educatio, & certissimus inter conjuges animorum nexus. Ergo. Videndus hîc est *D. Thomas lib. 3. contra gentes c.* 123.

Prob. II. ex jure divino positivo, Christus Dominus hanc Matrimonii firmitatem roboravit, *Matth. XIX.* ubi de quocunque Matrimonio valide contracto haec ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Adde illud Apost. *I. ad Cor. VII. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.*

Nota. Quamvis Matrimonium jure na-

naturali indissolubile sit, potest tamen solus Deus, ut juris naturae moderator, pro temporum, & circumstantiarum varietate solvendi Matrimonii facultatem concedere; praesertim cum Matrimonii solubilitas non primariis, sed secundariis naturae principiis adversetur, quae sunt mutationi obnoxia: Hinc quaeritur, an ex Dei dispensatione possit solvi Matrimonium, 1. legitimum, contractum ab infidelibus; 2. ratum inter baptizatos; 3. consummatum inter eosdem.

Q. I. *An per unius conjugis conversionem ad fidem, Matrimonium solvatur?*

R. Si ambo conjuges ad fidem convertantur, eorumdem Matrimonium non solvitur; si vero unus conjugum convertatur ad fidem, & alter renuat converti, Matrimonium solvitur, quoties conjux, qui amplexus est fidem, mutat statum.

Prob. 1. pars. Ita Theologi omnes. Quia eorum Matrimonium fuit ratum per baptisma, & si consummetur post baptisma, fit absolute indissolubile.

Prob. 2. pars. Ex Dei dispensatione in favorem Christianae Religionis conjux fidelis habet jus dissolvendi praecedens Matrimonium, etiamsi consummatum, & aliud contrahere, si conjux infidelis nolit cum eo cohabitare; vel si velit quidem cohabitare, sed non sine contumelia Creatoris. Id aperte colligitur ex *I. ad Cor. VII.* & ex

ex *cap.* Gaudemus, *de divortiis*.

Quod si conjux infidelis consentiat pacifice cohabitare cum conjuge fideli, dico, cum ex consuetudine nunc illicita sit talis cohabitatio, etiam in tali casu juxta multos Matrimonium solvi posse. Contrarium docent *S. August. lib.* 1. *de adulterinis conjugiis*, & *Innoc. III.* laud. cap. *gaudemus*. Sed advertendum tempore *Augustini*, & *Innocentii* licitam fuisse cohabitationem fidelis cum infideli; & idcirco oppositum senserunt.

Prob. 3. pars. Quando unus conjugum convertitur ad fidem, Matrimonium non solvitur per baptismi susceptionem. *Cum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur*, ait *Innoc. III.* laud. cap. *gaudemus*. Ergo solvitur, quando fidelis mutat statum vel per nuptias subsequentes, vel probabiliter per Professionem solemnem alicujus Ordinis approbati.

Unde si infidelis ante Matrimonium a fideli conjuge contractum secundas nuptias celebraret, nullae istae essent; quia privilegium dissolvendi vinculi conjugalis in favorem duntaxat fidei, non infidelitatis concessum a Christo est, ut habetur cit. cap. *gaudemus*.

Quando vero conjux fidelis transit ad secundas nuptias, vel solemniter profitetur, tunc conjux infidelis liber evadit, ut aliud

Matrimonium contrahendum.

Nota. Quando unus conjugum convertitur ad fidem, altero in infidelitate remanente, proles rationis usu destituta, illum parentem qui ad Religionem conversus est, sequi debet, ne ab infideli pervertatur. Si vero proles sit doli capax, poterit libere sequi patrem fidelem, vel matrem infidelem; quia nemo est ad fidem cogendus, licet ad eam sit omnibus modis alliciendus. Ita *D. Thomas*.

Q. II. *An Matrimonium Christianorum ratum, & non consummatum solvatur per solemnem Religionis professionem?*

R. Affir. Prob. I. Constat ex definit. *Trid. Sess. XXIV. can. 6.* ubi haec habentur: *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi; anathema sit.*

Prob. II. tum ex variis Summorum Pontificum decretis, ut patet ex *cap.* Verum, & ex *cap.* Ex publico, *de convers. conjugator.* tum ex pluribus Sanctorum exemplis, quae testantur *Epiphanius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, aliique, quorum documenta legi possunt apud *Gibert Lib. 3. de Matrim.* 3. Confirmatur ratione. Ut matrimonium ratum religiosa professione dirimatur, satis est, ut sub hac conditione, *nisi Religionem profitear ante consummationem*, a Fidelibus contraha-

hatur. Atqui sub hac solum conditione contrahitur jure saltem Ecclesiastico. Ergo. Ita ratiocinatur Angelicus in *Suppl. q. 6. art. 2. ad 2.*

Nota I. Conjugibus ante consummationem duorum mensium intervallum concedit Ecclesia ad deliberandum de Religione suscipienda ex cit. *cap.* Ex publico, intra quod tempus conjuges nec tenentur consummare, nec ad id cogi possunt sine injuria; hoc vero elapso tempore, debitum petenti negari nequit: tamen quamdiu matrimonium non est consummatum, tamdiu liberum est conjugibus Religionem ingredi, & uno profitente, alter secundas celebrare nuptias potest, ex laud. *cap.* Verum. Si vero intra bimestre etiam per vim copula extorta fuerit, amittitur jus ingrediendi Religionem, ut contra *Sanchez* probabilius affirmat *Basilius Ponticus l.9.c. 9. de Matrim.*

Nota II. Matrimonium ratum solvitur quoad vinculum per Professionem in Religione ab Ecclesia approbata. Unde per simplex votum castitatis, vel per solemne sacro Ordini adnexum, vel per vota simplicia emissa in quibusdam Clericorum Congregationibus, conjugium non solvitur: secus per Professionem in ordine Equitum Melitensium; quia ordo Melitensium est Religio ab Ecclesia approbata.

Q. III. *An Summus Pontifex possit*

dispensare a Matrimonii rati vinculo?

R. Affir. Ita multi, praesertim Canonistae asserentes Pontificem Summum, tanquam supremum Christi Vicarium ex gravissima caussa posse a Matrimonii rati vinculo dispensare. Prob. 1: quia hac facultate usi sunt plures Rom. Pontifices, ut *Martinus V.* & *Eugenius IV.* teste *S. Antonino*: *Pius II.* & *Pius IV.* teste *Navarro*: *Gregorius XIII.* teste *Praeposito*: aliique. 2. Quia potest Papa dispensare a voto simplici, & solemni: Ergo etiam dispensare a vinculo Matrimonii rati. De voto simplici nulla est difficultas; de voto solemni affirmant gravissimi Theologi. Atqui votum solemne Professioni monasticae adnexum, est vinculum fortius, quam sit vinculum matrimonii rati; cum Professio religiosa hoc vinculum dissolvat. Ergo.

Q. IV. *Num Matrimonium Christianorum ratum, & consummatum possit aliquo casu dissolvi?*

R. Neg. Prob. ex verbis Christi *Lucae XVI. Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, moechatur*: & *Marci X. Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, moechatur*. Unde sic: Verba Christi universalia sunt, *omnis*, *quicunque*. Ergo sicut neminem excipiunt, sic nul-

nullam caussam excipiunt, ex qua Matrimonii consummati vinculum inter fideles solvi possit.

Hinc sequitur, Matrimonii consummati vinculum non solvi, neque propter adulterium alterius partis, ut definivit *Trid. Sess. XXIV. can.* 7. neque per Religionis professionem, ut fatentur Theologi omnes.

SECTIO I.

De Divortio Conjugatorum.

Nota I. *Divortium* est, manente Matrimonii vinculo, separatio conjugum quoad torum, & habitationem ad tempus, vel in perpetuum ob gravem & justam caussam.

Nota II. Posse aliquando conjuges justis de caussis quoad torum, & habitationem separari, definivit *Trid. Sess.XXIV. can.* 8. his verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas caussas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad habitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.*

Nota III. Fieri potest divortium vel ex utriusque conjugis consensu, studio sanctioris vitae, vel ob culpam, seu malum unius conjugis.

§. I.
De Divortio ex mutuo Consensu.

Q. I. *An separatio conjugum ex mutuo consensu fieri possit?*

R. Affir. vel ad tempus, ut conjuges vacent orationi, juxta illud *Paulli I. ad Cor. VII. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi:* vel in perpetuum, puta ut liceat utrisque, vel uni ex licentia alterius Religionem profiteri, vel sacros Ordines suscipere.

Q. II. *Quaenam requirantur, ut post consummatum Matrimonium unus conjux amplectatur Religionem?*

R. Requiritur 1. consensus alterius conjugis. 2. Ut conjux, qui licentiam dedit, si juvenis sit, Religionem profiteatur, *cap.* Cum sis, *de convers. conjugat.* 3. Ut volens in seculo manere, si senex sit, & ab omni incontinentiae suspicione immunis, voveat castitatem perpetuam in manibus Episcopi.

Quod si vir profiteatur ex licentia quidem uxoris, sed omissis ab ea ceteris conditionibus, puta quod juvenis Religionem non amplectatur, vel senex votum non emittat; Professio erit illicita, utpote facta contra reliqua juris requisita, non tamen invalida; quia nullo jure irritatur: quin

quin imo contrarium aperte colligitur ex *cap. 9. de converſ. conjugator.*

Q. III. *An poſſit maritus, conſentiente uxore, poſt conſummatum matrimonium ad ſacros Ordines aſcendere?*

R. Affir. dummodo prius ipſa in aliqua Religione profiteatur, vel ſaltem ſi ſenex ſit, nec de incontinentia ſuſpecta, caſtitatem in ſeculo voveat. Ut autem vir ad Epiſcopatum aſcendat, debet uxor omnino approbatam Religionem profiteri, *cap.* Sane, *de converſ. conjugat.*

Nota. Conjuges poſt conſummatum matrimonium poſſunt, ſi velint, mutuo conſenſu mutare ſtatum, modo conſenſus ſit liber, & non per vim, aut dolum extortus; & ut etiam licite fiat, ex conſuetudine requiritur conſenſus Epiſcopi. Hinc ſi vir, inſcia vel invita uxore, ſacros Ordines ſuſcipiat, manet perpetuo ſuſpenſus, & irregularis, & requiſitus, reddere, non petere debet. Item ſi unus, altero invito, profiteatur, Profeſſio nulla erit; adeoque revocatus exire debet ad reddendum debitum, non vero ad petendum: mortuo conjuge, ad Religionem redire non tenetur, quia Profeſſio fuit nulla; ſed tantum ſervare continentiam, ex *cap.* Quidam, & ex *cap.* Placet, *de converſ. conjugat.* Item licentia ex gravi metu data, non ſufficit ad validam Profeſſionem alterius conjugis.

§. II.
De Divortio ob culpam alterius conjugis.

Q. *Quaenam sint caussae, ex quibus licitum est facere divortium ob culpam, seu malum unius conjugis?*

R. Variae assignantur caussae, puta adulterium, haeresis, saevities, malum corporis, & malum animi.

Et I. Quoad *adulterium*. Nomine *adulterii* venit omnis illicitus concubitus cum alio supposito, quod directe fidei conjugali adversatur, cum dividat conjugis carnem in plures. Huc spectat illud Christi *Matth. V. Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis caussa, facit eam moechari*. Adulterium igitur dat jus faciendi divortium, & quidem perpetuum: quod jus par est in utroque conjuge, quia in iis, quae ad torum attinent, utriusque conjugis jura paria sunt. Imo maritus divortium cum conjuge adultera facere tenetur, nisi resipiscat, ne ejus peccati particeps fiat, & in *cap.* Si quis uxorem, *caus.* 32. *q.* 1. triennali poenitentiâ plectitur vir, qui cum uxore adultera cohabitaverit: secus de obligatione uxoris dimittendi virum adulterum, quia non praesumitur eam in adulterium viri consentire, cum illud impedire nequeat. Divortium tamen in his casibus non licet, 1. si adulterium non

non fuerit culpabile, puta si uxor probabiliter virum suum mortuum credens, bona fide alteri nupserit. 2. Si uterque ex conjugibus fornicatus sit, cum matrimonii jus in utroque laesum consistat, & paria delicta mutua compensatione tollantur, *cap. 6. de adulteriis*. 3. Si adulterium condonatum sit, puta si vir carnaliter recognoverit uxorem, quam sciebat adulteram; cum injuria condonata non possit amplius puniri; ex *cap.* Si illic 23. *q.* 4. 4. Si vir ipse uxorem prostituerit, *cap.6. de eo, qui cognovit*.

Nota I. Conjux innocens potest propria auctoritate se separare quoad torum, dummodo moraliter certus sit de perpetrato adulterio: quoad habitationem vero non potest ante judicis sententiam, ex *cap. 3. & 6. de divortiis;* nisi forte ad tempus ad declinandum grave malum imminens: alioqui innumera sequerentur scandala, & perturbationes.

Nota II. Facto divortio caussâ adulterii, conjugem reum, si resipiscat, poterit innocens recipere, sed ex justitia non tenetur. Hinc innocens, reo invito, potest mutare statum, vovendo castitatem, aut Religionem profitendo: quod non potest reus, quia innocens retinet jus illud revocandi. Si vero judicis sententiâ adultera intrusa fuerit in Monasterium, conjugi innocenti conceditur biennium ad delibe-

ran-

randum, num velit poenitentem uxorem repetere, quo elapso valide profitetur. Item si adulter emendatus reconciliationem ter cum congruo temporis intervallo, aut saltem per biennium petat, & non obtineat, potest mutare statum.

II. Quoad *haeresim*. Si alter conjugum in haeresim, vel apostasiam lapsus sit, ex *cap.* Quanto, *de divortiis* dat alteri conjugi sufficientem caussam discedendi; sed ad id non sufficit actus unus haeresis, sed requiritur pertinacia, quae post unam, vel alteram correctionem persistit. Juxta communem sententiam ex crimine haeresis etiam fieri potest divortium perpetuum, si conjux judicio Ecclesiae discesserit.

III. Quoad *saevitiem* conjugis immoderatam. Saevities justa est divortii caussa, ut *Innocent. III. cap.* Literas, *de restitutione spoliator.* statuit: *Si tanta sit viri saevitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet illi restitui, sed ab eo potius amoveri.*

IV. Quoad *malum corporis*. Si conjugi grave damnum immineat ex cohabitatione cum altero, puta morbo contagioso laborante, licitum est ab altero conjuge divertere.

V. Quoad *malum animi*. Si conjugum alter ad peccandum provocet, nec monitus desistat, alter discedere tenetur, si subversionis periculum immineat. Secluso peri-

riculo subversionis, & sollicitationis ad malum, discessus licitus non est, quamvis sceleribus conjux obnoxius sit.

Nota. Quando divortium est ad tempus, cessante periculo, & conjuge emendato, uxor ad virum redire debet. Nam *cessante necessitate, illud quoque cessat, quod pro necessitate factum est*, *can.* Ordinationes, *caus. 9. q. 1.*

Q. *An uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem?*

R. Affir. quia vir est caput familiae, & uxoris. Excipiuntur tamen aliqui casus, puta si ex sequela timeantur pericula animae, vel corpori. Item si in contractu matrimonii additum fuerit pactum de non mutando domicilio, & nulla gravis necessitas urgeat.

CAP. III.

De Impedimentis Matrimonii.

NOta I. Matrimonii impedimentum dicitur circumstantia quaedam praeexsistens, quae Matrimonium reddit aut invalidum, aut illicitum.

Nota II. Duplex impedimentorum genus: quaedam invalidum, quaedam illicitum Matrimonium efficiunt. Priora *di-*

ri-

rimentia vocantur, posteriora *impedientia*.

Nota III. Ecclesiam habere potestatem statuendi impedimenta, quae Matrimonium dirimant, definivit *Trid. Sess. XXIV. can.* 4. & patet ex antiqua, & non interrupta Ecclesiae consuetudine, & praxi, qua diversis temporibus Concilia impedimenta statuerunt. Lege *can.* 15 17. Concilii *Eliberitani*, & *can.* 11. Concilii *Neocaesariensis*, & *can.* 6. *Epist. S. Basilii ad Amphiloch.* in quibus statuta impedimenta determinat in individuo, quinam sit matrimonii contractus legitimus, qui ex Christi institutione hujus sacramenti materia est.

Nota IV. Ecclesiastica potestas statuendi impedimenta dirimentia matrimonii olim exercebatur ab Episcopis respectu propriae Dioecesis: nunc solum est reservata Papae, & Oecumenicis Conciliis, ejusque usu nunc carent Episcopi.

Nota V. Cum impedimenta matrimonii non sint primario saltem poenae, sed morales inhabilitates ad matrimonium statutae, sequitur, neque invincibilem ignorantiam sive juris, sive facti circa illa, neque gravem metum reddere habilem ad contrahendum impedimento dirimente irretitum. Nam licet ignorantia invincibilis excuset a peccato, & metus gravis excuset a transgressione praecepti Ecclesiastici, non tamen possunt reddere habilem

ad

ad contrahendum illum ; quem lex suprema ad bonum publicum inhabilem reddit. Ita ex communi non licet contrahere matrimonium cum dubio, vel probabilitate facti de carentia impedimenti dirimentis. Tandem utrum possit licite matrimonium contrahi cum probabilitate juris de carentia impedimenti, affirmant Probabilistae, dummodo opinio sit proprie, & rigorose probabilis, nec sit contra stilum Romanae Curiae, quia ajunt licitum esse usum opinionis probabilis etiam in materia sacramentorum, quando agitur de materia, in qua potest, & praesumitur Ecclesia supplere. Contra negant Probabilioristae, qui undique impugnant usum opinionis probabilis, praesertim in materia sacramentorum. Confer huc dicta in *Tract. de Sacram. in gen.* de usu materiae dubiae, & probabilis in conferendis sacramentis, & de usu jurisdictionis probabilis in Ministro poenitentiae in *Tract. de Poenit.*

Nota VI. Cum infideles legibus Ecclesiae non adstringantur, non subjacent impedimentis solius Juris Ecclesiastici: unde ob illa separari non debent, si ad fidem convertantur. His positis, sit

SE-

SECTIO I.

De Impedimentis Impedientibus.

Q. *Quot sint impedimenta impedientia?*
R. Sunt quatuor; quae nunc certo vigent, & hoc versiculo continentur.

Ecclesiae Vetitum, Tempus, Sponsalia, Votum.

I. Est *Ecclesiae vetitum*, id est prohibitio ab Episcopo, vel etiam Parocho facta, ne matrimonium celebretur tali tempore ob aliquam rationabilem caussam, puta ad investigandum aliquod impedimentum dirimens, ad sedandum scandalum &c. tunc illicite, licet valide matrimonium contrahitur.

II. *Tempus*, quo nuptiae solemnes prohibentur, hoc est factae cum benedictione inter Missarum solemnia, & cum solemni sponsae traductione in aedes sponsi. Juxta *Trid. Sess. XXIV. cap.* 10. est a prima Dominica adventus inclusive ad Epiphaniam usque inclusive, & a die Cinerum inclusive usque ad octavam Paschatis inclusive. Privata matrimonia sine solemnitate posse his temporibus contrahi, etiam non petita licentia ab Ordinario, multi affirmant, sed standum consuetudini locorum.

III. *Sponsalia* cum quavis persona legitime contracta, & nondum dissoluta,

ma-

matrimonium cum alia impediunt. Vide dicta superius de sponsalibus.

IV. *Votum* simplex castitatis, vel votum non nubendi, vel recipiendi Ordines sacros, vel ingrediendi Religionem reddunt matrimonium jure naturali, & divino illicitum, ex *cap.* un. *de voto in 6.* quia res promissa Deo nequit alteri dari: non tamen invalidum; quia *post votum simplex adhuc remanet homo dominus corporis sui; & ideo potest ipsum dare alteri, idest uxori. D. Thomas in IV. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. Unde si quis contraxerit cum voto castitatis, peccat nubendo, & nunquam petere potest ante dispensationem; reddere tamen valet, quia uxor habet jus ad petendum: mortua vero uxore tenetur abstinere a secundis nuptiis. Si cum voto non nubendi matrimonium contraxerit, peccat contrahendo, sed post contractionem licite debitum petere, & reddere posse, affirmant communiter: at mortua uxore, aliud inire matrimonium non debet. Si cum voto Religionis, peccat prima vice reddendo, vel petendo, quia redditur inhabilis ad observationem voti, quod implere adstringebatur ante consummationem: matrimonio semel consummato, petere, & reddere potest; quia tunc votum cum evaserit de re impossibili, suspensum haeret, donec uxor vel moriatur, vel adulteretur, vel consentiat, ut maritus Religionem ingrediatur. SE-

SECTIO II.

De Impedimentis Dirimentibus.

Q. *Quot sint Impedimenta Dirimentia?*

R. Post *Tridentinum* quindecim numerantur, his versibus contenta.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Aetas, Affinis, si Clandestinus, & Impos,
Raptaque si mulier, nec parti reddita tutae.
Haec facienda vetant Connubia, facta retractant.

Horum autem quatuor sunt de jure naturae, scilicet error, consanguinitas in certo gradu, ligamen, & impotentia perpetua: reliqua omnia sunt de jure Ecclesiastico, & quidem duo postrema addita sunt a *Trid.* De singulis distinctim agendum est ob peculiares difficultates.

§. I.
De Errore.

Error vel potest esse *antecedens*, quando scilicet dat caussam contractui, ita ut sine

ſine tali errore matrimonium non contraheretur: vel poteſt eſſe *concomitans*, quando ſcilicet non dat cauſſam contractui, ita ut ſine tali errore matrimonium adhuc contraheretur. Uterque hic error poteſt eſſe vel circa ipſam perſonam, quando una perſona pro altera accipitur, puta Lia pro Rachele; vel circa qualitatem perſonae, quando credis contrahere cum puella nobili, divite, & contrahis cum ignobili, inope.

Q. I. *An error perſonae dirimat jure naturae matrimonium?*

R. Affir. Prob. Nullus contractus validus eſt ſine conſenſu circa primarium objectum illius. Atqui error perſonae adimit conſenſum circa primarium objectum hujus contractus. Ergo &c. Perſona enim eſt ſubſtantiale ac primarium objectum matrimonii, cum ſit res ipſa, circa quam contractus matrimonii primario verſatur.

Non ſolum error antecedens circa perſonam matrimonium nullum reddit, verum etiam juxta probabiliorem ſententiam error concomitans; quia hic error actualem aufert conſenſum.

Q. II. *An error ſive antecedens, ſive concomitans circa qualitates accidentarias perſonae matrimonium dirimat?*

R. Neg. niſi error qualitatis redundet in errorem perſonae, vel intendatur ut conditio.

Prob.

Prob. 1. pars. Error circa accidentalia non tollit substantiam rei, nec consensum absolutum in rem ipsam. Ergo. Hinc qui contrahit cum Berta, falso putans esse divitem, nobilem, valet matrimonium; quia absolute, & simpliciter consentit in substantiam personae, licet non consensisset, si pauperem, plebejam agnovisset.

Prob. 2. pars. Error qualitatis redundat in personam, quando qualitas ficta designat determinatam personam. Atqui error circa talem qualitatem tollit consensum circa objectum primarium per illam determinatum. Ergo. Hinc si quis intendens contrahere cum primogenita, quam aliter non novit, & ejus loco detur secundogenita, matrimonium erit nullum.

Prob. 3. pars. Quando intenditur qualitas ut conditio, consensus est alligatus conditioni. Ergo deficiente conditione, consensus non subsistit, & proinde nec etiam matrimonium.

§. II.
De Conditione.

Nota. *Conditionis* nomine hic intelligitur status servitutis. *Servi* proprie tales dicuntur illi, quorum dominus habet plenum jus eosdem vendendi, locandi, occupandi ad opera servilia, & dicuntur etiam *mancipia*. Q. *An*

Q. *An conditio servilis dirimat matrimonium?*

R. Cum dist. Si conditio servilis sit ex parte utriusque contrahentis, matrimonium non dirimit unquam: Si sit ex parte alterius, dirimit, quoties adest error, & injuria.

Prob. 1. pars. Si persona, quae serva est, ducat aliam servam, etiamsi ignoret ejus servilem conditionem, valet matrimonium, quia par est utriusque conditio, ex *cap.* 2. & 4. *de Conjugio servorum*.

Prob. 2. pars. Si persona libera contrahat cum serva, putans esse liberam, matrimonium irritum est; quia liber contrahens per errorem cum servo, fit deterioris conditionis. Ad tollendam enim magnam contractus inaequalitatem inductum est hoc impedimentum: secus, si persona libera cognoscebat alterius servitutem; quia tunc contrahens renunciat juri suo.

Nota I. Servitutem ignoratam Jure Civili, & Ecclesiastico Matrimonium dirimere, communiter affirmant. Item sunt & aliae servitutis species, puta *adscriptitii*, *originarii*, *servigenae &c.* quorum Matrimonia nullo jure Ecclesiastico irritantur.

Nota II. In tribus casibus jura disponunt, servum per matrimonium libertate donari, 1. cum dominus dotale instrumentum conferat ancillae contrahenti: 2. Cum dominus recipit in uxorem ancillam, aut do-

domina servum. 3. Quando dominus servum, vel ancillam matrimonio tradit libero ignoranti talem servitutem: vel si ipse non tradat, assentitur tamen, nec vult veritatem detegere. In his casibus valet matrimonium juxta probabiliorem sententiam, cum hujusmodi servitus nullius sit momenti; quia ita est, ut matrimonio contracto continuo evanescat, & nulla deteriore conditione pars libera afficiatur.

§. III.
De Voto, & Ordine Sacro.

Nota. *Votum*, nempe castitatis duplex est, *simplex*, & *solemne*. Votum solemne dicitur, quod emittitur in valida Professione Religionis approbatae a Sede Apostolica, vel in susceptione Ordinis sacri. Simplex, quod emittitur absque acceptatione Ecclesiae, saltem in perpetuum.

Q. *An Votum solemne castitatis Matrimonium dirimat?*

R. Votum solemne emissum ante matrimonium semper matrimonium irritum reddit: emissum vero post matrimonium in Religione ab Apostolica Sede approbata, matrimonium dirimit, quoties non est consummatum.

Prob. 1. pars. Ita definitum est in *cap.* un. *de voto in 6.* & in *Trid. Sess. XXIV. can. 9.* Insuper Religiosi professi, Clerici in

in facris conftituti, Laici in gradibus prohibitis Matrimonium attentantes, incurrunt in excommunicationem majorem ipfo facto, ex *Clementina* un. *de confanguinit. & affinit.*

Prob. 2. pars, ex fuperius dictis de indiffolubilitate matrimonii.

Nota I. Profeffio monaftica dirimit matrimonium contractum, & contrahendum in cafibus jam expofitis. Ordo vero facer nullum efficit matrimonium contrahendum, non dirimit jam contractum.

Nota II. Votum fimplex caftitatis, vel Religionis, illicitum quidem, fed non irritum reddit matrimonium; excepto voto mulieris, quae dedit viro fuo facultatem, ut facris inaugurаretur Ordinibus: quo poftea vita functo, ne valide quidem poteft ad fecundas nuptias convolare, ut ex *cap.* Quia funt *Gregorii I.* contra *Sotum* colligunt communiter Doctores. Si qua fint alia, videantur apud Moralium Tractatores.

§. IV.
De Cognatione.

Nota I. Cognatio triplex, *legalis*, *fpiritualis*, *naturalis*. Legalis cognatio eft vinculum, feu propinquitas perfonarum, orta ex adoptione perfecta, per quam perfona extranea affumitur in filium, vel filiam, ac heredem neceffarium, & tranfit

in patriam poteſtatem adoptantis.

Nota II. Ut adoptio ſit legitima, ſequentes conditiones requiruntur. 1. Ut adoptans ſit maſculus; femina enim adoptare nequit, eo quod filios ſub ſua poteſtate non continet, ſed ex ſolo privilegio adoptare valet, ut tradit *D. Thomas in ſuppl. p. 57. art. 3. ad 3.* 2. Ut ſit ſui juris, & major vigintiquinque annis, & ſi loquamur de arrogatione, quadraginta annis completis conſtare debet. 3. Ut poſſit naturaliter filios gignere. 4. Debet adoptans excedere adoptatum annis decem & octo, ut ratione aetatis ejus filius dici poſſit adoptatus. 5. Ut adoptatus praeſens ſit adoptanti, & in adoptionem conſentiat; cum non poſſit inſtitui inter abſentes, neque per literas, neque per procuratorem. 6. Ut accedat auctoritas Principis, ſi ſit arrogatio, ſeu Magiſtratus, ſi ſit ſimplex adoptio.

Q. I. *An Adoptio inducat impedimentum dirimens, & inter quas perſonas?*

R. I. Affir. ex Jure Civili approbato a Jure Canonico, ut patet ex *cap. un. de cognat. legali.*

R. II. Adoptionem, dirimens impedimentum inducere, 1. inter adoptantem, & adoptatum, & inter adoptantem adoptatique deſcendentes uſque ad quartum gradum, ſi tempore adoptionis erant ſub poteſtate adoptati: quamvis alii aſſerant, ut

inter

inter ceteros *Concina*, ultra primum gradum non extendi. 2. Inter uxorem adoptati, & adoptantis, & vice versa inter uxorem adoptantis, & adoptati: Haec duplex adoptionis species, nempe paternitas, & affinitas inducit impedimentum perpetuum; unde matrimonium dirimit, etiam soluta adoptione. 3. Inter adoptatum, & adoptantis filios, quoties permanet adoptio, & filii sunt sub patria potestate.

Hinc inferes I. Matrimonium nullum esse, si contrahatur inter adoptantem & adoptatum, inter uxorem adoptantis & adoptatum, inter uxorem adoptati & adoptantem, & nunquam posse inter ipsos Matrimonium consistere; cum reverentia, vi cujus hoc impedimentum introductum est, inter hujusmodi cognatos semper durare debeat, adeoque ipsum etiam impedimentum.

Inferes II. Matrimonium validum esse, si contrahatur ab adoptante cum filia adoptati, quae ei nata est post adoptionem, vel si tempore adoptionis extra ejus potestatem erat. Item validum esse matrimonium initum ab adoptante cum filia adoptivae filiae; quia mulier non pollet patria potestate, §. *feminae*, *Instit. de adopt.* Similiter posse adoptatum contrahere cum filiabus adoptantis ejusdem patris, si ex diversa familia sint: quia solum ad filias naturales hoc impedimentum extenditur, le-

gitimos, & in poteſtate ſiſtentes.

Nota. Cognatio ſpiritualis eſt vinculum, ſeu propinquitas perſonarum Jure Eccleſiaſtico introducta ratione Baptiſmi, & Confirmationis.

Q. II. *Inter quas perſonas contrahatur ſpiritualis cognatio?*

R. Inter baptizantem & baptizatum, ejuſque patrem & matrem, inter patrinos ac baptizatum, ejuſque patrem & matrem (idem dicendum, ſi oriatur ex Confirmatione). Inter hos, & non plures contrahitur, ex *Tridentino Seſſ. XXIV. cap. 2. de Refor.*

Ut inter baptizantem, & baptizatum (idem dicendum de Confirmatione) ſpiritualis cognatio contrahatur, opus eſt, ut verum baptiſma conferatur. Quod ſi verus baptiſmus non detur, neque etiam contrahitur cognatio. Hinc ſi puer ſemel baptizatus, rebaptizetur, per hanc rebaptizationem non contrahitur cognatio. Si vero ſub conditione rebaptizetur, tunc contrahitur impedimentum; quia cum non conſtet de validitate baptiſmi, praeſumit Eccleſia tunc ipſum conferri, adeoque cognationem ſpiritualem contrahi. Inſuper requiritur, ut ipſe baptizans ſit baptiſmate initiatus, (ſimiliter in Confirmatione,) ſicut etiam ipſe patrinus, ac matrina. Hinc ſi infidelis puerum baptizaret, aut ipſum de ſacro fonte levaret, deinde ad fidem converteretur,

tur, posset Matrimonium inire cum patre, vel matre baptizati, imo cum ipso a se baptizato. Sic *Salmanticenses*, *Concina*, ceterique.

Ad susceptores vero pueri quod attinet, designandi hi sunt vel a parentibus pueri, vel ab iis quorum interest, ut statuit *Trid. sess. XXIV. cap.* 2. At solummodo in baptismo solemni, non vero privato hujusmodi cognatio a susceptoribus contrahitur. Ita *Sotus*, aliique; quia haec caerimonia pro solemni baptismate est ab Ecclesia instituta.

Nota I. discrimen inter baptizantem in baptismo privato, & suscipientem in eodem baptismate. Qui baptizat in privato baptismate, vere contrahit cognationem spiritualem, non vero qui in hujusmodi baptismo susceptoris munere fungitur. Hinc laicus in necessitate baptizans, contrahit cognationem spiritualem cum baptizato, ejusque patre, ac matre; suscipiens vero non contrahit. Quod si hic laicus fuerit pater pueri, non contraheret cognationem, quae impediret usum matrimonii, ex *cap.* Ad limina 33. *q.* 1. nam contractio hujusmodi cognationis, esset ei poena, quae illum privaret usu conjugii, ad quem jus acquisivit, qua plectendus non est pater innocens. Bene vero contraheret sponsus in necessitate baptizans filium suae sponsae; quia cum nondum acquisierit jus

 usus

usus conjugii, non habet rationem poenae contractio istius impedimenti, sed rationem inhabilitatis, quae contrahitur etiam absque peccato, adeoque non posset matrimonium celebrare cum ea, quicum sponsalia contraxit, si ejus filium in necessitate baptizavit.

Nota II. Cognatio naturalis, quae *consanguinitas* dicitur, quasi *sanguinis unitas*, est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Haec dividitur in *lineas*, & *gradus*.

Nota III. Linea est ordinata series personarum ab eodem stipite descendentium; & duplex est: una *recta*, estque series personarum, quarum una ab altera descendit, ut filius a patre, nepos a filio, & sic deinceps usque in infinitum; & in hac linea si progrediatur a genitoribus ad genitos, ut a patre ad filium, a filio ad nepotem, pronepotem &c. dicitur *descendentium*; si vero progrediatur a genitis ad genitores, ut a filio ad patrem, a patre ad avum, dicitur *ascendentium*. Altera linea est *transversalis*, quae definitur series personarum descendentium ab eodem stipite, sed non a se invicem, puta fratres, consobrini. Haec quoque sub duplici aspectu consideratur: altera est *aequalis*, ut duo fratres, qui eodem gradu ab unico stipite descendunt; altera est *inaequalis*, ut patruus,

truus, & nepos, qui inaequaliter ab eodem ſtipite diſtant.

Nota IV. Gradus eſt diſtantia unius perſonae ab altera ſecundum lineam conſanguinitatis. *Stipes* tandem dicitur illa perſona, a qua aliae conſanguineae originem trahunt, ut filiorum pater, nepotum avus eſt ſtipes.

Q. II. *Quaenam ſint regulae, ut cognoſcantur gradus conſanguinitatis?*

R. In linea recta tot ſunt gradus, quot perſonae, demto ſtipite. In tranſverſali, ſi haec ſit aequalis, perſonae gradibus invicem diſtant, quot a communi ſtipite: Si vero eſt inaequalis, tot gradibus perſonae inter ſe diſtant, quot gradibus diſtat a ſtipite perſona, quae eſt remotior.

Hinc filius eſt in primo gradu cum patre, nepos in ſecundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto. Duorum fratrum filii dicuntur conſanguinei in ſecundo gradu, cum in eodem diſtent a ſtipite. Patruus, ideſt frater patris, & filius ex fratre diſtant in ſecundo gradu, quia perſona remotior quae eſt filius fratris, diſtat ab avo qui eſt ſtipes, in ſecundo gradu.

Q. IV. *Quo jure, & in quo gradu conſanguinitatis lineae rectae irritum ſit Matrimonium?*

R. I. In primo gradu lineae rectae nulla eſſe matrimonia jure naturae, com-

 mu-

munis sententia est. Reverentia enim parentibus debita cum licentia nuptiarum vix conciliari potest; unde ipsa recta ratio ejusmodi nuptias inhonestas agnoscit; ita ut Romani Jcti hujusmodi matrimonium *incestum juris gentium* appellarint.

R. II. In quolibet gradu ejusdem rectae lineae usque in infinitum nuptias non posse consistere, docet *Nicolaus I.* ad consulta *Bulgarorum*. Verum quo jure, naturali ne, an ecclesiastico, in utramque partem disputant Theologi.

Q. V. *In linea collaterali consanguineorum matrimonia usque ad quem gradum sint nulla?*

R. Usque ad quartum inclusive ex Concilio *Lateranensi IV. can.* 50. ubi sic: *Prohibitio copulae conjugalis, quae antea ad septimum usque gradum extendebatur, quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cetero non excedat.* Periculo enim corruptionis, aequalis gradus personae in eadem familia conversantes, si matrimonii spes foret, expositae essent.

Nuptias inter fratres, & sorores jure naturae vetitas esse, multi contra multos affirmant. Nam quaedam respectuum, & obligationum confusio evitari non potest, si eadem soror, eadem & uxor sit.

§.V.

§. V.

De Crimine.

Crimen istud situm est in adulterio, & homicidio, cui ne detur occasio ex matrimonii fine, ad id praecavendum Ecclesia hoc impedimentum induxit.

Q. I. *Quomodo adulterium pariat impedimentum dirimens matrimonium?*

R. Si adulterium junctum sit cum acceptata promissione futuri matrimonii, vel cum matrimonio attentato, impedimentum parit.

Nota. Ut oriatur impedimentum istud, ex communi hae conditiones requiruntur, 1. ut adulterium consummatum sit utrinque formale. Hinc non sufficit ad incurrendum impedimentum, si duo proprium conjugium scirent, si neuter conjugium alterius cognoscat. 2. Ut promissio sit ab altera parte acceptata. 3. Ut promissio juncta sit cum adulterio, constante eodem, ac valido matrimonio.

Hinc defectu primae conditionis, si matrimonium cum conjuge innocente non fuerit validum, vel unus ex adulteris matrimonium alterius ignoraret, vel adulterium non fuerit consummatum, vel si adulterium commissum fuerit ante scientiam matrimonii, & postea illo cognito sequatur

promiffio abfque novo adulterio, non incurritur hoc impedimentum. Si contra promiffio habita fuerit ante fcientiam matrimonii, qua deinde haufta fequatur adulterium, oritur impedimentum dirimens, quia jam per copulam ratificatur promiffio. Sic *Salmanticenses*, *Concina*, aliique. Defectu fecundae conditionis, fi viro promittente mulier non acceptet promiffionem, aut taceat, negative fe habendo, aut illam refpuat, non fequitur hoc impedimentum. An vero fufficiat promiffio ficta, exterius tamen ferio facta apparens, & ferio ab altera parte acceptetur, multi contra multos affirmant. Defectu tertiae conditionis, fi Petrus adulteretur cum Berta, & poftea mortua ejus conjuge, illi matrimonium fpondeat, eamque ducat, validum eft Matrimonium, cum adulterium, & promiffio non fuerint conftante matrimonio. Similiter non incurritur hoc impedimentum, etiamfi vivente conjuge promiffio, & adulterium habita fuerint; fi tamen ante adulterium promiffio revera fuerit revocata, quia jam non conjunguntur moraliter. Si vero promiffio, & adulterium fequantur vivente conjuge, quamvis poftea revocetur promiffio, contrahitur impedimentum, quia jam inductum fuit, nec per revocationem promiffionis aufertur.

Q. II. *Quomodo homicidium impedimentum inducat?* R. Si

R. Si homicidium fiat ex conspiratione utriusque, ut morte conjugis secuta, matrimonium inter se ineant, vel si commisso adulterio sequatur homicidium, ex intentione contrahendi matrimonium cum sua adultera, vel adultero, licet sine utriusque conspiratione, impedimentum inducit.

Nota I. Ut impedimentum ex homicidio cum adulterio oriatur, sequentes conditiones ab Auctoribus exposcuntur. 1. Quod mors reapse secuta fuerit. Quod si fuerit solum intentata, vel mandata, at ante exsecutionem fuerit revocatum mandatum, habitâ a mandatario notitiâ; aut si mors secuta fuerit non ex vi actionis, nempe percussionis, veneni, vel violentiae per se, vel per alium factae; sed alia ex caussa, non incurritur impedimentum. 2. Ut matrimonium, antecedens conjugis occisionem, sit verum, ac validum. Hinc si post conjugis occisionem appareat matrimonium fuisse nullum, possent inter se complices matrimonio copulari. 3. Adulterium debet esse consummatum. 4. Ut adulterium patretur ante conjugis occisionem. Hinc si Petrus judicans maritum Cajae, quicum vult matrimonium inire, cito moriturum, suam uxorem occidat absque conspiratione; & deinde copulam habeat cum Caja ante mortem mariti, potest secuta naturaliter morte mariti, cum ea contrahere, cum a-

 dul-

adulterium patratum sit ante occisionem. 5. Uterque, adulter nimirum, & adultera debent esse conscii matrimonii utriusque. Hinc si femina conjugata rem habeat cum conjugato, quem putat solutum, non oritur impedimentum, quamvis iste postea suam occidat uxorem, ut cum illa facta jam vidua nubat. *6.* Juxta communiorem sententiam, quod occisio facta fuerit animo contrahendi matrimonium cum complice delicti vel occisionis, vel adulterii. Hinc si adulter suam uxorem occideret, ut liberius ea frueretur, quicum adulteravit, vel propter inimicitias, aut ob aliam caussam praeterquam eam in matrimonium ducat, potest eam in uxorem accipere.

Nota II. Hoc impedimentum cum sit jure Ecclesiastico constitutum, non obstringit infideles, qui si post recensita crimina convertantur ad fidem, possunt mutuo conjugium inire. Si tamen hujus criminis rei, unus esset fidelis, & alter infidelis, puta si mulier fidelis maritum occidat, ut nubat gentili ad fidem convertendo, inhabiles forent ad matrimonium. Ita statuit *Caelestinus III.* in *cap.*Laudabile *de convers.infidel.*

§. VI.
De Cultus disparitate.

Cultus disparitas, sive diversa religio matrimonium dirimit inter personam bapti-

ptizatam, & non baptizatam, idque jure Ecclesiastico ex usu, & consuetudine antiquissima Ecclesiae a Summis Pontificibus approbata. At matrimonium personae catholicae cum haeretica est validum, etsi Ecclesiastica lege sit graviter prohibitum.

§. VII.
De Vi.

Vis, aut *metus*, quo quis cogitur ad matrimonium contrahendum, dirimens impedimentum parit. Vis definitur, *Majoris rei impetus, qui repelli nequit*: puta si quis violenter cogatur ad capitis inclinationem, & ad porrectionem manus, quae pro consensus signo accipiuntur. Metus est *instantis periculi, vel futuri caussâ mentis trepidatio*. Metus duplex est, *gravis*, & *levis*. Metus gravis est ille, quo timetur malum verosimiliter impendens, & grave, vel absolute seu secundum se, vel respective ad timentem. Insuper metus alius est a *naturali caussa* ortus, alius est qui a *caussa exterius movente* nascitur. Item alius est *justus*, ut est ille qui a judice ex justa caussa incutitur; alius *injustus*, qui absque justa caussa infligitur. Metus vero levis est, quo timetur malum leve, vel grave, sed non verosimiliter impendens.

Q. *An Metus nullum efficiat matrimonium?*

R. I.

R. I. Matrimonium ex metu gravi injuste incusso ad extorquendum consensum celebratum, nullum & irritum esse, ex *cap.* Cum locum, *de sponsal.* quia metus gravis minuit plenam illam libertatem, quam matrimonia requirunt.

R.II.Ut metus sit gravis ad dirimendum matrimonium, requiritur, 1.ut malum quod timetur, grave sit. 2.Ut probabiliter, & rationabiliter quis credat hoc grave malum sibi imminere. 3.Ut metum incutiens potens sit minas exsecutioni mandare. 4. Ut exsequi solitus sit minas vel in eodem genere mali, vel in simili. 5.Ut timens facile non possit occurrere malis impendentibus vel per se, vel per superiorem.

Hinc resolves: si quis deprehensus in stupro a consanguineis puellae, districto ense impetitur, ut aut eam in matrimonium ducat, aut gladio transfigi certo sciat, hic timor utpote injustus matrimonium nullum reddit: sin vero parentes dicant, *Aut eam ducas, aut ad judicem te adducemus, ut debitam poenam luas*, & ipse hoc timore perculsus, in matrimonium consentiat, ratum est matrimonium; cum hic timor sit juste incussus, & parentes jus habeant ad judicem eum deferendi, nec ad finem contrahendi matrimonii ipsi timorem incusserunt. Similiter si parentes ei mortem minentur in vindictam, & ipse ut mortem evadat, matrimonium offerat, validum erit hoc matri-

trimonium; cum timor non sit incussus ad extorquendum consensum, & libere ipse matrimonium eligat ut medium ad evadendam mortem. Nullum contra erit matrimonium, si Titius injuriam passus a Cajo ob furtum, aliudve crimen, minetur illum apud judicem accusare, nisi talem puellam in uxorem ducat; quia quamvis Titius jure potiatur eum accusandi ad damni sibi illati compensationem, nullum tamen jus habet accusationem minitandi, ut matrimonium extorqueat: nec tale est crimen, ut in ejus compensationem exigat contractionem matrimonii.

Nota I. Metus gravis jure Ecclesiastico matrimonia dirimit; quia metus consensum non tollit, sed ejus libertatem minuit. Si tamen omnino consensum auferret, ut sit sub vi absoluta, quae exteriores afficit potentias, tunc matrimonium nullum esset jure naturae, ratione defectus substantialis consensus.

Nota II. Ut nullum reddatur matrimonium ex metu, nihil interest, an metus incutiatur ab alio contrahente, an ab aliis, etiam ipso inscio: item an metus ipsis contrahentibus, an eorum propinquis E.G. patri, matri, sorori &c. incutiatur. Denique an metus incutiatur ad contrahendum cum hac, vel illa, imo etiam cum qua placuerit persona; cum semper verificetur ex metu injuste incusso ad extorquen-
dum

dum consensum ad matrimonium adigi.

Nota III. Qui directe, vel indirecte metum gravem incutiunt, ut aliquem ad matrimonium ineundum adigant, sunt ipso facto excommunicati, ex *Trid. sess. XXIV. cap. 9. de refor. Matrim.*

§. VIII.

De Ligamine.

Impedimentum *ligaminis* est vinculum ortum ex priore matrimonio valide contracto, quo durante conjux nequit aliud matrimonium valide inire, idque eo jure, quo vetita est polygamia. Hinc conjux nequit aliud matrimonium contrahere, nisi habeat moralem certitudinem de morte compartis, ut dicitur in *cap. 2. de secundis nuptiis: Nullus ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constet, quod ab hac vita migravit conjux ejus:* alioqui enim se exponeret periculo fornicandi. Quod si conjux moraliter certus de morte alterius conjugis, bona fide cum alio contraxerit, adhuc teneretur ad priorem redire, dimisso posteriore, si de prioris vita constiterit, *cap.*Dominus, *de secundis nuptiis*.

§.IX.

§. IX.
De Honestate.

Impedimentum *publicae honestatis* est quaedam affinitas, seu propinquitas orta ex sponsalibus, & matrimonio rato nondum consummato, ab Ecclesia inducta propter quamdam publicam decentiam, atque honestatem

Q. *Inter quos impedimentum publicae honestatis contrahatur, & ad quem gradum?*

R. Ex sponsalibus contrahitur inter sponsum, & consanguineas sponsae, sicut e converso inter sponsam & consanguineos sponsi in primo gradu, & non ulterius. Ex matrimonio rato contrahitur inter maritum, & consanguineas uxoris, sicut e converso inter uxorem, & consanguineos mariti usque ad quartum gradum inclusive.

Nota 1. Ut sponsalia inducant hoc impedimentum, debent esse valida, certa, id est cum determinata persona, & absoluta. Hinc impedimentum non pariunt sponsalia celebrata sub conditione non verificata. 2. Impedimentum istud perpetuum est: Hinc non solvitur dissolutione sponsalium, sed Summi Pontificis dispensatione. 3. Quando oritur ex matrimonio rato, matrimonium dirimit usque ad quartum gradum, etiamsi matrimonium fuerit invalidum; dummodo

do non ex defectu consensus, nec in praejudicium priorum sponsalium, ex Bulla *Pii V. Ad Romanum spectat.*

Unde resolves I. Ex matrimonio inito inter amentes, furiosos, ebrios, metu gravi adstrictos, ficte, vel ex errore personae consentientes, non oriri impedimentum; cum haec matrimonia sint nulla defectu consensus. Oritur vero hoc impedimentum ex matrimonio clandestino, ut, teste *Barbosa*, *Farin.* & *Rebello*, declaravit S.Congregatio Cardinalium

Resolves II. Si Cajus sponsalia valide contraxerit cum Berta, deinde matrimonium celebret cum ejus sorore, hoc matrimonium est nullum ob impedimentum ortum ex sponsalibus antecedentibus: & non obstante ejus nullitate, potest matrimonium inire cum prima, dummodo cum secunda carnale commercium non habuerit; nam hoc stante nec ad primam redire potest ob affinitatem cum ea contractam. Ex quo intelligere datur, quod affinitas retroagat, & praecedentia sponsalia dissolvat; sponsalia vero sive de futuro, sive de praesenti non retroagunt, nec valent praecedentia sponsalia infringere. Ceterum si Cajus sponsalia contracta cum Berta, vicario consensu dissolvat, deinde matrimonium cum ejus sorore ineat, hoc casu quamvis matrimonium suo robore frustretur ob impedimentum ortum ex sponsa-

salibus validis, licet dissolutis, cum perpetuo duret; ex hoc tamen matrimonio nullo fluit impedimentum, ut non possit valide accipere Bertam, ut docent *Salmanticenses* cum aliis: quia ex matrimonio nullo oritur impedimentum, dummodo hoc non fuerit in prejudicium priorum sponsalium. In casu praesenti matrimonium cum sorore Bertae est nullum, & tamen non est in praejudicium priorum sponsalium, cum ista jam erant vicario consensu dissoluta, & quod jam dissolutum est, nullo potest praejudicio affici, adeoque cum neutra contrahere potest: non cum secunda ratione sponsalium, quae cum prima contraxit, quamvis fuerint dissoluta; non cum prima ratione matrimonii nulli cum secunda initi, quod fuit nullum, & non in praejudicium priorum sponsalium, utpote antea dissolutorum.

§. X.
De Aetate.

Dirimens matrimonii impedimentum est *aetas* immatura impuberum masculorum infra decimum quartum aetatis annum, femellarum infra duodecimum, *cap.* 2. *de sponsal. impub.* quamquis ex cit. *cap.* habitus corporis spectandus magis, quam anni.

§.XI.

§. XI.
De Affinitate.

Nota I. *Affinitas* est propinquitas personarum orta ex copula carnali inter virum, ac consanguineas mulieris, sicut e converso inter mulierem, & consanguineos viri, in eo gradu, in quo consanguinei sunt, cum gradus affinitatis ex consanguinitate mensuretur. Hinc nota, non oriri affinitatem inter utriusque consanguineos. Unde duo fratres possunt ducere duas sorores, imo pater & filius possunt ducere matrem, & filiam. Sic nec etiam inter virum, & affines mulieris, & e converso inter mulierem, & affines viri. Unde filius potest successive ducere Semproniam, & Bertam, quae fuerunt uxores Caji, & Lucii fratrum: ita etiam Petrus, qui duxerat sororem Pauli, mortuis Paulo ejusque sorore, potest ducere Bertam uxorem Pauli; quia affinitas affinitatem non parit, ut dicitur in *cap.* Quod super his, *de consanguinit. & affinit.*

Nota II. Affinitas oritur tum ex copula licita, seu ex matrimonio valido jam consummato, tum ex copula illicita, seu fornicaria. Insuper ad contrahendam affinitatem ea copula necessaria est, quae sufficit ad matrimonii consummationem.

Q. *Quo in gradu Affinitas dirimat matrimonium?* R. Af-

R. Affinitas ex copula licita jure saltem Ecclesiastico, matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive; ex copula vero illicita usque ad secundum tantum, & quidem si affinitas isthaec ex fornicaria copula matrimonium antecedat; nam si superveniat, puta si Titius cognoscat uxoris suae cognatam in secundo gradu, matrimonium non dirimit, licet ex parte delinquentis impediat solam debiti petitionem, ut supra diximus.

Dixi, *jure saltem Ecclesiastico*; nam in primo gradu lineae rectae, ut inter privignum & novercam, inter socerum & nurum multi docent affinitatem jure naturae dirimens impedimentum parere.

§. XII.
De Clandestinitate.

Defectus praesentiae proprii Parochi, & duorum testium reddit matrimonium clandestinum, seu secretum, quod a *Trid. sess. XXIV. cap.* 10. irritum declaratur.

Proprius hic intelligitur Parochus domicilii, vel quasi-domicilii saltem unius contrahentis, qui potest alium sibi substituere, non tamen nisi Sacerdotem.

Nota I. Praeter Parochum, & Sacerdotem de ejus licentia assistere possunt matrimonio celebrando Episcopi in suis Dioecesibus, Archiepiscopi in Dioecesibus

Suf-

Suffraganeorum in actuali visitatione, Cardinales in Ecclesia sui tituli, Legati a latere in Provincia legationis, Capitulum sede vacante, sive Vicarius Capitularis, Abbates Ecclesiae nulli Episcopo subjectae, & Vicarius Generalis Episcopi.

Nota II. Matrimonio vagorum, qui nullibi domicilium habent, quemlibet Parochum assistere posse, communiter docent Theologi. Sed *Trid.* vetat id fieri sine facultate Episcopi, *sess. XXIV. cap. 7. de Refor.*

Nota III. Praeter Parochum requiruntur duo testes, qui simul & semel cum Parocho debent esse testes, & contestes mutui amborum conjugum consensus. Testes alioqui inhabiles hîc admittuntur, dummodo factum percipere, & videre valeant. Similiter Parochus suspensus, excommunicatus vitandus, dummodo suo beneficio non sit privatus, valide matrimonio assistit. Item communiter docent valere matrimonium initum coram Parocho non vocato, nec rogato, sed invito & reluctante, & simul coram testibus, qui casu & transeunter intersint; dummodo advertant, & percipiant factum, & testari possint peractum matrimonium: quod est Concilii intentum.

Nota IV. Clandestina matrimonia ante *Tridentini* decretum valida fuisse, communis sententia est; sicut nunc valent, ubi *Tridentini* lex non est promulgata.

Q. *An*

Q. *An validum sit matrimonium Catholicorum, qui in fraudem ea loca adeunt, ubi Tridentinum non est promulgatum, ut ibi sine Parocho & testibus contrahant?*

R. Esse nullum ex resolutione Cardinalium, confirmata ab *Vrbano VIII.* suo Brevi Pontificio ad instantiam Archiepiscopi Coloniensis die 14. Aug. an. 1627. ut apud *Salmanticenses* legere est.

Quid vero sentiendum sit de matrimoniis, quae in Hollandia, Zelandia, Frisia, aliisque fœderatis Belgii Provinciis contrahuntur coram Magistratu, absente Parocho, statuit *Benedictus XIV.* in *Constitut.* quae incipit *Matrimonia*, in qua haec statuit: Matrimonia ab haereticis in Belgio celebrata, posthabitâ *Tridentini* observatione, *pro validis habenda esse, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum*. Quare si uterque ad Ecclesiae gremium reditum fecerit, *eodem quo antea conjugata vinculo ipsos omnino teneri*: Si vero unus tantum catholicus fiat, *neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire*. De matrimoniis vero contractis a Catholicis cum haereticis, haec subdit: *Matrimonium hujusmodi, alio non incurrente canonico impedimento, validum habendum esse, & neutrum ex conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictae formae non servatae, novum matrimonium inire*.

§.XIII.

§. XIII.
De Impotentia.

Impotentia, ſeu inhabilitas ad habendam copulam generationi per ſe aptam, ſi matrimonium antecedat, & immedicabilis ſit, jure naturae matrimonium dirimit; ſi vero poſt matrimonium accidat, contractum nunquam diſſolvit.

§. XIV.
De Raptu.

De *Raptu* prout eſt luxuriae ſpecies, verba fecimus tom. II. prout ſpectatur ut impedimentum, eſt violenta feminae abductio de uno in alium locum moraliter diverſum, ad finem contrahendi cum ea matrimonium, quouſque ea non reponatur in loco libero, & tuto, etiamſi conſentiat, & matrimonium dirimit inter raptorem, & raptam. Ita communiter ex *Trid.* laud. *ſeſſ.* & *cap.*

Unde reſolves, hoc impedimentum non incurri, 1. ſi femina abducatur non per vim, ſed per ſeductionem, ideſt ipſa conſentiente, ſed invitis parentibus, ſub quorum eſt poteſtate; quia tunc non raptus, ſed fuga eſt. 2. Si quis de cubiculo in cubiculum puellam deducat, ut eam cognoſcat, in hoc impedimentum non incidit;

dit; quia in raptu requiritur, ut violenta feminae traductio fiat e potestate paterna ad locum, in quo sit sub potestate raptoris. 3. Non redditur raptor inhabilis ad contrahendum cum rapta matrimonium, si puellam abducat non ad finem matrimonii, sed ad explendam cum ea libidinem; quia decretum *Tridentini* utpote poenale restringi debet ad raptum caussâ matrimonii, cujus libertati unice favere intendit: quamvis gravissimi Auctores afferant non requiri, feminam rapi animo contrahendi cum ea, cum Concilium generaliter loquatur. 4. Si femina vi abducat virum ad finem matrimonii, impedimentum raptus non incurrit; quia leges non comprehendunt casus, qui rarissime accidunt.

Nota I. Non refert, num quis per se, an per alium rapiat; nam qui per alium facit, per seipsum facere videtur, de *reg. jur. in 6.*

Nota II. Criminis raptus poenae, sunt inhabilitas ad matrimonium, excommunicatio latae sententiae in raptorem, & in omnes ei auxilium, consilium, favorem praebentes. Numerantur & aliae poenae, ad quas incurrendas requiritur sententia judicis. Vide *Trid.* loc. cit. Porro hujusmodi poenis adstringitur raptor, etsi abducat feminam, quam de futuro sibi desponsaverat: cum etiam in hoc casu ad matrimo-

nium invita cogi possit. Sic *Salmanticenses* cum communi.

Q. I. *Quinam possit dispensare in recensitis impedimentis?*

R. I. Quamvis, ut notat *Espenius part. 2. tit. 24. cap. 1.* nec in Canonibus; imo nec in Decretalibus *Greg. IX.* determinetur, quibus dispensandi auctoritas super impedimentis jure Ecclesiastico constitutis, competat; neque legatur in aliquo decreto generali auctoritas haec Episcopis ademta, & Summo Pontifici reservata; attamen consuetudo tandem invaluit, & moderna habet disciplina solum Rom. Pontificem relaxare posse impedimenta Matrimonium dirimentia.

Utrum aliquo in casu possint Episcopi dispensare, communiter DD. docent. I. posse Episcopum dispensare circa impedimentum omne, quo post matrimonium legitime contractum aufertur debiti conjugalis exigendi potestas: ut est affinitas sive ex baptismo, sive ex incestu. II. Posse Episcopum in contracto dispensare ab impedimentis dirimentibus, cum simul concurrant sex circumstantiae. 1. Ut jam matrimonium fuerit contractum in facie Ecclesiae, omnibusque adhibitis solemnitatibus; 2. Ut contractum fuerit bona fide ex juris, aut facti ignorantia saltem respectu unius. 3. Ut sit consummatum; 4. Ut impedimentum sit occultum. 5. Ut non pos-

possit facile adiri prima Sedes, seu dispensatio a Papa obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasque similes caussas. 6. Ut nequeat separatio fieri sine scandalo. Sic ex *Soto*, *Cabassutio*, *Sylvio*, *Natali Alexandro*, aliisque *Benedictus XIV.* in *de Syn. Dioeces. lib.* 14. *cap.* 12. qui tamen cum iisdem Doctoribus notat dispensationem ab Episcopo in praedictis circumstantiis obtentam prodesse duntaxat pro foro conscientiae, non vero pro foro externo. 7. Si impedimentum antea occultum, postea detegatur, & deducatur ad forum contentiosum, opus erit nova dispensatione a Summo Pontifice impetranda. III. Non deesse Doctores, qui hanc facultatem relaxandi ab impedimento occulto, quod obstet matrimonio nondum contracto, Episcopo adscribant, cum tales nempe urgent rerum circumstantiae, ut nec Summus Pontifex consuli, nec matrimonii contractus, ad quem omnia sunt disposita, differri possit sine scandalo, & infamia eorum, qui sunt parati ad nuptias. Ad praecavenda enim praedicta gravia mala, si alius non suppetat modus illis occurrendi, praesumendum est, Summum Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensandi, quam certe requisitus, non esset ei denegaturus. Quae facultas licet ab uno Doctore, nullo praeeunte, Episcopis fuerit asserta, hodie tamen communi calculo,

teste *Cabassutio*, ipsis vindicatur, reluctante *Fagnano*, qui in *Cap.* Nimis, *De filiis Presbyt.* hanc communem sententiam acriter reprehendit, vehementerque exagitat.

R. II. In impedimentis impedientibus potest dispensare Episcopus, exceptis votis perpetuae castitatis, & Religionis; quae Rom. Pontifici sunt reservata. Ab obligatione sponsalium prius contracta nec etiam Papa relaxare valet, quia obligatio isthaec fluit ex jure naturae.

Q. II. *Qui convalidandum est matrimonium nullum?*

R. Matrimonium irritum esse potest vel ob defectum consensus, vel propter impedimentum dirimens.

Dico I. si matrimonium sit irritum ob defectum consensus, ad ipsum convalidandum sufficere, ut consensus suppleatur vel interne, quando defectus est alteri conjugi occultus; vel etiam externe, quando defectus est alteri conjugi notus, ad quod sufficere potest copula affectu maritali habita, *cap.* 2. *de conjug. servor.* non tamen requiritur praesentia Parochi, & testium, cum hae solemnitates jam praecesserint.

Dico II. si matrimonium sit nullum ob dirimens impedimentum, & hoc est notorium, sublato impedimento requiri, ut novus consensus praestetur coram Parocho, & testibus; quia alias non posset coram Ecclesia constare validitas matrimonii.

Di-

Dico III. si dirimens matrimonii impedimentum sit occultum, sed possit juridice probari a duobus testibus omni exceptione majoribus, juxta multos hoc matrimonium redintegrandum esse coram Parocho, & testibus, ne alter conjux, probato impedimento, declarari petat nullum fuisse matrimonium, ut possit cum alio contrahere.

Dico IV. si impedimentum sit occultum, de quo non sit periculum, ut aliquando innotescat, ablato impedimento, ad hoc matrimonium convalidandum sufficere, ut mutuo clandestine consentiant; nam in hoc casu cessat ratio *Trid.* praesentiam Parochi, & testium requirentis: cum publice constet validitas matrimonii, nec defectus possit juridice probari.

Dico V. Si matrimonium contractum sit cum impedimento dirimenti occulto, ab uno tantum conjuge cognito, dispensatione obtenta, pars conscia commonefacere debet conjugem de nullitate prioris matrimonii inscium; ut habetur in literis dispensationis, in quibus haec clausula adnectitur. *Ut dicto conjuge de nullitate prioris consensus certiorato, sed ita caute, ut alterius delictum nusquam detegatur, dispenses*. Et merito; nam nisi pars inscia de nullitate prioris consensus commoneretur, nunquam posset novum praestare consensum in matrimonium praesens, sed sem-

per intenderet priorem invalidum renovare, & confirmare: tunc novus consensus praestandus, quando utique constat prius matrimonium fuisse suo robore destitutum; adeoque in praesens ambo consentiant.

Quid si nullitas prioris consensus, vel matrimonii manifestari nequeat, nisi cum gravi incommodo, & famae dispendio: ut si uxor cum mariti fratre copulam antea habuisset, vel vir cum conjugis sorore: aut cum periculo scandali, ut si dubitetur, & quidem prudenter, an pars inscia de invaliditate prioris matrimonii certior facta, sit dissensura? Mirum, quot excogitarint Theologi modos, ut ab hoc se nodo extricarent! Alii cum *Cajetano*, & *Soto*, dicunt, ut pars impedimenti conscia, opportuna oblata occasione, interroget compartem, num tali ipsam amore prosequatur, ut jam etiam in conjugem consentiat eam accipere, perinde ac si ab ea sit libera? Si reponat, *adsentior nunc te accipere in meum*, salva res est. Advertunt tamen non satis esse, si respondeat *assentirer, acciperem*; quia hic non est consensus absolutus, & de praesenti. Aliis non arridet hic modus, sed volunt admonendum necessario conjugem innocentem de matrimonio irrito, generice tamen & confuse, quin detegatur impedimenti species, adeoque eis placet, ut pars conscia dicat se in dubio versari de prioris matrimonii vali-

di-

ditate, & Confessarium inculcasse novum requiri consensum, & sic uterque suum promat assensum. Quod si conjux innocens ex hoc loquendi modo in suspicionem deveniat delicti a conjuge reo perpetrati, hoc in casu alii censent, ut pars conscia consensum praestet interius, & petenti conjugi debitum reddat affectu maritali, non monita comparte de matrimonii invaliditate: quia pars ignorans impedimentum, si non formaliter, saltem virtualiter intendit suum promere consensum. Ceterum *Concina* docet in his casibus, missis opiniunculis casuisticis, ad Episcopos, vel Pontificem recurrendum.

APPENDIX

De Debito Conjugali.

MAtrimonio rite celebrato, comparatur a viro jus in corpus uxoris, & vicissim ab uxore in corpus viri, dicente Apostolo *I. ad Cor. VII. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: secundum* scilicet (ait *Estius*) *ea membra quae sexum distinguunt, & quatenus ea usui conjugali deserviunt, juxta Augustini expositionem contra Jul. cap. 5.* Hac vero in parte pares sunt ambo conjuges, & sibi mutua quadam servitute sub-

 jecti;

jecti; licet in aliis sint impares, secundum id quod ad mulierem dictum est *Gen. III. Sub viri potestate eris*. Nos igitur ad Confessariorum instructionem de hoc conjugali debito, quo invicem devinciuntur uxorati, qua possumus brevitate, verborumque castimonia in his institutionibus sermonem instituemus. Circa quod haec discutiemus, 1. quo jure obstringantur conjuges debitum conjugale reddere. 2. Quibus in casibus ad hoc reddendum non obligentur. 3. Quando non liceat hoc exposcere. 4. In quibus casibus illicita sit hujus debiti redditio. 5. Denique quandonam peccent conjuges in usu conjugii.

Q. I. *Num sub gravi, & quandonam teneantur conjuges reddere conjugale debitum?*

R. I. Conjuges graviter obstringi, & quidem ex justitia, debitum conjugale exsolvere. Prob. ex Apostolo *I. ad Cor. VII. Uxori vir debitum reddat; similiter autem & uxor viro ... nolite fraudare invicem*. Quae obligatio cum versetur circa rem gravem, & ex justitia debitam vi juris acquisiti per matrimonium ab alterutro conjuge in corpus alterutrius in ordine ad copulam, sub gravi, & ex justitia tenentur conjuges sibi invicem hoc conjugale debitum reddere, ne subtrahendo corporis usum, jure suo unus alterum defraudet.

R. II. Conjux tenetur sub gravi reddе-

dere debitum, cum alter serio, instanter, & rationabiliter petit; nec justa caussa adsit illud negandi. Prob. Per matrimonium contracta est obligatio reddendi, ut probatum est. Atqui ista obligatio urget, cum ab altera parte petitur. Ergo.

Dixi 1. *Cum alter serio, & instanter petit*; nam si altera pars remisse petat, & dilationem facile concedat, cum non graviter exigat, non est mortale ei denegare, citra tamen incontinentiae periculum; quoniam neque creditor pecuniam sibi debitam ita semper exigit, ut gravi culpa adstringere velit debitorem, si non statim reddat, ut ait *Estius*.

Dixi 2. *Rationabiliter*, modo scilicet rationabili, & humano, & opportuno tempore, ac loco.

Dixi 3. *Nisi adsit justa caussa negandi*. Quaenam vero sint istae caussae, mox dicemus.

Nota I. ex *D. Thoma* in *suppl. q.* 64. *art.* 2. *in c.* *Quod petere debitum contingit dupliciter: uno modo expresse; ut quando verbis invicem petunt: alio modo interpretative; quando scilicet vir percipit per aliqua signa, quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet: & ita etiamsi verbis non expresse debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando aliqua signa in uxore apparent voluntatis reddendi debiti.*

Nota II. ex eodem *D. Th.* loc. cit. *ad* 1. *Quod tempus determinatum, non est solum quando petitur, sed quando timetur ex aliquibus signis periculum (ad quod vitandum ordinatur debiti redditio) nisi tunc reddatur*. Hinc si unus conjugum prudenter alteri imminere incontinentiae periculum timeat, nisi congrediantur, ad hunc actum tenetur, petitione alterius non exspectata.

Q. II. *Quibus in casibus non teneatur conjux debitum reddere petenti?*

R. In multis casibus, & praecipue 1. si ei constet alterum conjugem adulterio fuisse coinquinatum; quia frangenti fidem fides merito non servatur. 2. Si exigens non sit sui compos: ut si in amentia, vel furore petat, cum non petatur humano modo: item si sit ebrius. Tamen ad vitanda pollutionis pericula, & alia mala, reddere per accidens conjux adstringitur. 3. Si ex redditione proximum subsit vitae, aut gravis morbi periculum: ut si conjux petens, morbo laboret, unde vitae, aut gravis infirmitatis periculum reddenti timeatur. Nam ordo tam naturae, quam caritatis exigit, ut unusquisque proprio bono prius, quam alieno consulat, vel etiam communi, nisi forte commune bonum pericliretur. Pari ratione nec leproso conjugi tenetur conjux reddere, si adsit contagionis periculum, qua in re medico-

rum

rum judicio deferendum erit. Quod vero *Alex. III. Extra de Conjugio Leprosorum cap.* Pervenit, & *cap.* Quoniam, praecipit etiam sub anathematis comminatione, ut conjugi leproso debitum non negetur, id intelligendum, ait *Estius*, cessante contagionis periculo. Modicus enim horror, vel metus non debet a reddendo debito conjugem revocare. Idem judicium de morbo, quem Galli *hispanicum*, Hispani *gallicum* vocant.

Ceterum ad evitandam contagionem prolis nasciturae, non oportet concubitum cum leproso, vel leprosa conjuge vitari, quia ut recte docet *D. Thomas in IV.dist.* 32. *Lepra cum sit malum perpetuum, non debet ideo leprosus ab usu conjugii simpliciter repelli, ne proles nascitura leprâ inficiatur; quia melius est prolem sic nasci, quam omnino non nasci.* 4. Si saepe nimis petatur, ut altera pars illud reddendo sit impar, ut docet *D. Th. in suppl. q.* 64. *art.* 1. *ad* 3. dicens; *Si aliquis reddatur impotens ad debitum solvendum ex caussa ex matrimonio sequuta, puta cum prius debitum reddidit, & est impotens ad debitum solvendum ulterius, mulier* (idem dic de marito) *non habet jus petendi*. Qui vero suâ culpâ, E.G. pollutionibus &c. reddendo debito impar evaderet, gravi injustitiae peccato obstringeretur: imo nec licitis modis impotentes se reddere jure valent con-

juges ad debitum reddendum. Quare si nimia austeritate vitae ita corpus alter extenuaret, ut impar reddendo debitum evaderet, & scienter hoc faceret, peccaret contra justitiam: sicuti qui eleemosynas erogando impotens redderetur ad debita creditoribus solvenda. Porro debitum negari non potest ob devotionem, vel communionem intentam, si absolute exigatur; neque ob paupertatem, seu metum multiplicandae prolis, quam parentes difficile alere possent. Sic communiter.

Q. III. *Quibus in casibus non liceat debitum petere?*

R. In his, nempe 1. cum quis moralem certitudinem habeat de nullitate matrimonii; cum nullo potiatur jure, & copula evidens esset fornicatio, quae nunquam licet, cum sit intrinsece mala. 2. Cum quis contraxerit cum dubio de validitate matrimonii, ne se exponat periculo fornicationis; tenetur tamen reddere. Si altera pars in bona fide consistat, ne negando, jus alienum invadat: si vero uterque mala fide contraxerit, neuter nec petere, nec reddere potest. Si autem contracto bona fide utriusque matrimonio, insurgat alteri dubitatio de ejus validitate, tenetur is veritatem diligenti inquisitione perquirere, & interea temporis reddere, non vero petere potest. 3. Cum quis celebrato matrimonio, culpabiliter consangui-

neam

neam alterius conjugis in primo, vel secundo gradu, inceſtuoſa conſummata commixtione cognoverit, a petendi jure excidit ob contractam cum conjuge affinitatem, ex *cap.* 1. & 10. *De eo qui cognovit*: comparti vero reddere tenetur, cum ſuo jure non debeat quis ſine ſua culpa privari, ut ait *Innoc. III. in cap.* 6. eodem titulo: niſi uterque conjux cum alterius conſanguineis commercium habuerit, vel alter de conſenſu alterius; cum in his caſibus neutra pars ſit innocens. Si vero uterque conjux eâ doloſâ, & fraudulentâ intentione cum affinibus ſuis copulam haberet, ut alterum conjugem debito defraudaret, teneretur debitum alteri petenti reddere: docent *Salmanticenſes*, aliique; quia fraus nemini patrocinari debet, nec poteſt quis ex fraude immunitatem a contracto onere reportare.

Ceterum ſolus ille conſummatus inceſtus privat jure petendi debiti, qui formalis fuerit, non vero mere materialis, & inculpatus. Hinc ſi mulier per vim abſolutam, quae *violentia* dicitur, a peccato excuſans, a conſanguineo ſui viri inceſtuoſe ſit cognita, cum ipſa in tali actu culpa careat, non eſt cur multari poenâ debeat, & ideo jure petendi debiti non expoliatur a jure eccleſiaſtico: ſi vero ex metu gravi conſenſerit in copulam, jure petendi privatur, ut probabilius docent multi. An ve-

vero sicut violentia, ita etiam ignorantia excuset ab incurrenda hac petendi debiti privatione, dicendum, quod si sit ignorantia facti, cum quis E. G. ignoret illam esse suae conjugis consanguineam, communiter, teste *Concina*, docent non privari jure petendi; cum haec poena, sive privatio ex *cap. de eo qui cognovit*, & *cap.* Si vir, *de Cognat. spirit.* illi tantum multantur, qui *scienter* delinquunt. Si vero sit ignorantia juris, cum nempe conjux scit talem mulierem, aut virum esse, consanguineum alterius, & ignorat lege positiva prohiberi talem concubitum, *Salmanticenses* cum aliis docent etiam non privari ob eamdem rationem, quod nempe jus Ecclesiasticum hanc poenam imponit *scienter* peccantibus. Si ignoret tantum poenam adnexam, tunc privari subdunt, cum ignorantia poenae non excuset a poena. 4. Qui extra necessitatis casum prolem ex legitima uxore susceptam baptizavit, aut ex baptismo scienter suscepit, aut in Confirmatione tenuit, cum in his casibus contraxerit cognationem spiritualem cum prolis matre: quae cognatio licet non dirimat matrimonium jam contractum, privat tamen jure petendi, licet reddere teneatur. 5. Cum quis vovit castitatem, sive ante, sive post matrimonium ex *cap.* 1. *de Convers. Conjug.* tenetur tamen reddere; nisi compars in votum consenserit, il-

lud

lud approbando, non tantum permittendo: quia conjux approbans votum compartis, cedit juri suo. Qui vero post matrimonium consummatum vovit Religionem, aut sacros Ordines, potest petere, & reddere; quia non vovit castitatem, sed statum cui adnexa est castitas: sed adveniente conjugis morte, tenetur votum servare.

Q. IV. *Quando non liceat reddere debitum petenti?*

R. I. Quoties petitio debiti est mortalis ob circumstantiam afficientem copulam ipsam, ita ut ob eam reddatur graviter illicita, tunc non licet reddere: & si reddat, gravi obstringitur peccato. Hinc si petatur in loco sacro, etiam juxta multos cum adsit necessitas, vel publico, vel cum periculo abortus, aut effusionis extra vas naturale, vel impediendo generationem, aut cum periculo gravis detrimenti prolis, vel mortis alterutrius conjugis, graviter peccat reddens: cum redditio sit formalis cooperatio ad actum graviter illicitum.

R. II. Quoties petitio debiti est mortalis ob circumstantiam versantem ex parte personae petentis, quando E. G. petens sit voto castitatis obstrictus, in hoc variant Doctores. Alii asserunt esse mortale reddere: alii contra cum *S. Antonino*, *Concina* adstipulante, docent, quod si petens averti nequeat, alter reddendo non peccet, imo ad reddendum teneatur; quia petens per ma-

matrimonium jus comparavit: nec per votum hoc jure excidit, cum votum hoc tantum praestet, ut illicite, non vero ut injuste petatur: nec reddens cooperatur peccato, cum det operam actui in se licito, nempe copulae. Consulendum tamen comparti, quae votum non emisit, ut dum praevidet debitum a vovente petendum, ipsa praeveniendo petat, & sic extra dubitationis aleam utrisque licita erit copula.

Q. V. *Quandonam conjuges in matrimonii usu graviter peccent?*

Nota I. Certum est actum conjugalem, usumque matrimonii, modo legitime & debite fiat, rem esse bonam, ac licitam. Nam cum conjugium sit divina & naturali lege institutum, cui divinitus ratio adjuncta est sacramenti; consequens est proprium ejus actum, modo legitime exerceatur, bonum ac licitum esse, ut tenent Catholici omnes contra Manichaeos, docentes omnem concubitum cum uxore esse fornicationem, ut testatur *Augustinus lib.* 1. *De actis cum Foelice Manich. cap.* 7. *&* 11.

Nota II. ex *D.Th. in IV. dist.* 31. *q.* 1. *art.* 2. *Quod duobus solis modis absque omni peccato* (conjuges) *conveniunt*, *scilicet causâ prolis procreandae*, *& debiti reddendi: alias autem semper est ibi peccatum aut minus veniale*. Et ratio prioris est, quia tunc refertur actus ille in eum finem ad quem divinitus, atque a natura matrimonium

nium ordinatur: hocce pacto conjugalis actus excusatur per bonum prolis. Ratio posterioris est, quia dum usus iste habetur reddendi debiti caussâ, exercetur actus justitiae, quo alteri quod suum est, redditur: hocce modo excusatur actus iste per bonum justitiae, seu fidei conjugalis.

Nota III. propositionem damnatam ab *Innoc. XI. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni prorsus caret culpa, ac veniali defectu*. Quae propositio, ait *Concina*, damnata est ob illam vocem *solam*; cum bruta, & non homines operentur ob solam voluptatem: Quod si voluptas haec dirigatur ad prolis generationem, omni prorsus culpa vacat, cum hoc casu voluptas sit medium ordinatum ad finem. His notatis,

R. Multifarie posse graviter peccare conjuges in usu conjugii. 1. Ratione affectus inordinati; ut cum quis ita intemperanter utatur conjuge, ut intra affectus conjugalis cancellos non se contineat, paratus etiam cum alia non conjuge, aut cum eâdem, quamvis conjux non sit, libidinem suam explere. 2. Ratione loci, ubi copula exercetur; si enim habeatur in loco sacro, est sacrilegium, etiam juxta multos stante necessitate: si in loco publico, erit scandalum. 3. Ratione damni tum ipsis conjugibus affuturo, ut quando quis per usum veneris immoderatum notabiliter suae, aut con-

conjugis sanitati noceat; tum ipsi proli. Hinc accedere ad uxorem gravidam, si secum trahat periculum perdendi conceptum fetum, quamvis nondum animatum, mortale est. Verum sublato hoc periculo, non erit mortale. Congredi vero cum muliere, quae menstruum patitur, ubi id concipiendae proli, vel matri valde officiat, grave peccatum est: at si nihil inde detrimenti vel mater, vel proles patiatur, docent Auctores leve esse peccatum.

4. Ratione modi, ubi vel naturale vas non servetur, vel dispersio seminis contingat, grave scelus est sic copulam habere. Remoto autem hoc periculo, immutatio situs, & ordinis naturalis, servato tamen debito vase, si fiat absque rationabili necessitate, est peccatum tantum veniale; cum sit eversio ordinis naturalis in modo tantum accidentali, cum ex ea non impeditur generatio. Si habeatur dictante necessitate, non erit peccatum per se loquendo. Sunt & alii casus, in quibus possunt gravi obstringi peccato conjuges, copulam inter se habentes, de quibus, si necessitas occurrerit, consulantur Theologiae moralis cordati & saniores Tractatores: sat enim per nos prata biberunt.

F I N I S.

ELEN-

ELENCHUS

Capitum, Sectionum, Paragraphorum, Quaestionum, & Propositionum, quae in hoc quarto Tomo continentur.

Tractatus de Sacramentis in genere.

§.III.

Sec-

Tractatus de Baptismo, & Confirmatione.

Prop.

Tractatus de Eucharistia, & Ordine.

Prop.

Prop.

Tractatus de Poenitentia, & Extrema Unctione.

Prop.

§. I.

Prop.

Prop.

co-

FINIS.

ER-

ERRATA. CORRIGE.

ERRATA.		CORRIGE.
Pag. 230 v.13.	*laudabilis*	*laudabile*
255 v.18.	*accipiatur*	*accipiat*
297 v.23.	*ſit*	*ſi*

